This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
ASTOR ... TILDEN
FOUNDATIONS

C-10
1601

EPITOME CHRONOLOGICA

RERUM

HUNGARICARUM,

TRANSSILVANICARUM,

ET

ILLYRICARUM,

CONCINNATA

A

STEPHANO KATONA.

METROPOLITANAE COLOCENSIS ECCLESIAE CANONICO.

PARS I.

PERIODUS ARPADIANA.



BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS.

MDCCXCVI.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
ASTOR LENOX & TILDEN FOUNDATIONS

Neſcire, quid, antequam natus ſis, acciderit, eſt ſemper eſſe puerum.

Cic. Orat. Al. Ed. n. 207.

AEQVO LECTORI SALVTEM!

Ad liberandam fidem, quam in praefatione tomuli XXIV. lectoribus obligaueram, eorum gratia, quibus ad vaſtam illam Hiſtoriae Criticae Regum Hungariae molem, quae quadragenos et amplius tomulos implet, vel comparandam aes, vel euoluendam tempus non ſuppetit; eamdem in compendium miſi; quoue facilius et a pluribus tam redimi, quam legi relegique poſſit, ad communem vſum accommodatam publici iuris feci. Quamuis autem Samuelis Timon methodum, quam is in *Epitome Chronologica rerum Hungaricarum* adoptauit, in hoc compendio mihi ſequendam propoſuerim; altius tamen rem ordiendam, et nonnihil vberius ſeriem actorum, nobis cumprimis viciniorum, exponendam cenſui. Suam is epitomen a natiuitate S. Stephani regis auſpicatus eſt; at ego meam a prima Hungarorum ex Aſia migratione, quantum per tenebras illorum temporum licuerit, inchoandam, ac vltra nouem

ſecula pertexendam duxi. Pollicitus ibidem ſum hiſtoriam, quae medium inter vaſtam illam et in ſumma capita coactam iſtam locum obtineat; quae planiore, quam illa, pleniore, quam iſta, narratione res geſtas exhibeat; ſed poſtremus ille fatiſcentis aetatis meae, vel vicarius alterius, aeſtuantis amore patriae, labor erit. Ne porro praeſtitutae breuitatis limites iſtic egrediar; annos illos, quibus res minus memorabiles occurrunt, transſiliam; iisque, quorum vſus erit, quum ad reges ventum fuerit, cyclum indictionis et diem paſchatis ita praeiiciam, vt primum dumtaxat menſis elementum M. vel A. ſeu Martii vel Aprilis, in quos ſolos incidere paſcha ſolet, exprimatur. Vt autem eorum rationibus velificer, qui res, iſtic breuiter perſtrictas, plenius cognoſcere voluerint; fontes, e quibus vberior narratio hauriri poſſit, indicabo; cumprimis autem hiſtoriae criticae loca, quibus eaedem res et fuſiore calamo deſcribuntur, et accuratiore criſi diſcutiuntur, deſignabo. Haec pauca, ne te, beneuole lector, in ipſo limine diutius morer, praefanda cenſui. Vale. Dabam Coloczae, die IV. menſis Octobris, anno dom. MDCCXCV.

I.

Hungariae hiſtoriam in tres periodos, adulto more, diſpeſcimus; quarum primam Arpadianam, mixtam alteram, poſtremam Auſtriacam dicimus. Ex prima ſtirpe, praeter 5. duces, reges 23. ex altera 14. ex poſtrema totidem numeramus. Primam clauſit Andreas III. alteram Ludouicus II. poſtremam aperuit Ferdinandus I. ex cuius glorioſa ſtirpe Franciscum, ordine regem quinquageſimum primum, hodie veneramur.

PARS I.

PERIODVS ARPADIANA.

II.

Quemadmodum primam Francicorum regum proſapiam Merouingicam, alteram Carolingicam ſcriptores appellant, licet et Meroueum Clodius, et Carolum Pipinus pater in regno praeceſſerint; quia ſcilicet filii, prae patribus illuſtres, adſertam ſtirpi

ſuae dignitatem magis ſtabilitam ad poſteros transmiſerunt: ita prima regum Hungariae ſtirps Arpadiana paſſim audit, licet Almus prius, quam Arpadus, genti Hungaricae praefuerit; quia ſcilicet et amplior Arpadi, quam Almi poteſtas, et illuſtriora filii, quam patris, in vniuerſam gentem promerita, hanc illi prae hoc praerogatiuam conciliarunt. Ex hac porro domeſtica regum proſapia praefuit I. Almus, annos circiter 6. II. Arpadus, annos 18. III. Zoltanus, annos 40. IV. Toxus, annos 25. V. Geiſa, annos 25. VI. S. Stephanus, titulo ducis annos 3. I. titulo regis an. 38. Poſt hunc inter reges II. Petrus, an. 5. III. Samuel Aba, an. 3. IV. Andreas I. an. 15. V. Bela I. an 3. VI. Salomon, an. 10. VII. Geiſa I. an. 3. VIII. S. Ladislaus, an. 18. IX. Colomanus, an. 18. X. Stephanus II. an. 17. XI. Bela II. an. 10. XII. Geiſa II. an. 20. XIII. Stephanus III. an. 12. XIV Ladislaus II. menſes 6. XV. Stephanus IV. menſes 5. XVI. Bela III. an. 23. XVII. Emericus, an. 9. XVIII. Ladislaus III. menſes 6. XIX. Andreas II. an. 30. XX. Bela IV. an. 35. XXI. Stephanus V. an. 2. XXII. Ladislaus IV. an. 18. XXIII. Andreas III. an. 10.

DVCES HVNGARIAE.

§. I.

ALMVS, DVX I.

Coepit A. C. 884. *deſiit A. C.* 889.

III.

Almum et Hungaros, quibus ille praefuit, ex Attilanis reliquiis ortos eſſe, conſtans maiorum noſtrorum traditio, quam vno quaſi halitu diſflare velle, temerarium foret, teſtatur. Hanc et anony-

mus

mus Belae notarius, (*a*) et Ioannes Turotzius (*b*) ſaepius inſinuant; quorum auctoritas in exterorum ſilentio valere debet, ſi poſſit oſtendi, quomodo Hungari ſuam originem ex Attilanis reliquiis, poſt tot rerum temporumque viciſſitudines, trahere potuerint. Id quod experiri modo lubet.

IV. Poſtquam Attila, terror orbis, viuere timerique deſiiſſet anno 454. filios eius de regno decertaſſe, non tantum patrii, ſed etiam externi ſcriptores, Theophanes (*c*) ac Iornandes, (*d*) qui ſeculo VI. vixerunt, affirmant. Poſt cruenta praelia, ſuperſtitem Attilae filium exteri Hernachum et Irnachum, domeſtici Chabam vocant; neque haec diuerſitas appellationis offendere quemquam debet; quum easdem res exteri Hernacho, quas domeſtici Chabae tribuant; et vt illi Hernachum, ita hi Chabam Attilae filium ac Attilanarum reliquiarum ducem in Scythiam fuiſſe perhibeant.

V. Hernachus iſte, Iordane teſte, (*e*) *cum ſuis in extremo minoris Scythiae ſedes delegit.* Eodem Chabam conceſſiſſe, Turotzius ſcribit, (*f*) duosque filios ibidem illum ſuſtuliſſe, quos ille quidem *Edemen* ac *Ed* vocat; at non videntur ab iis diſtinguendi, quos Procopius *Vturgur* et *Cuturgur* appellat; (*g*) quum eosdem fuiſſe tam loci, quam temporis adiuncta ſuadeant. Procopius porro, ſeculi VI. ſcriptor, perhibet, *Vturguros cum ſuo principe reuerſos in patriam, — Cuturguris trans* (nobis cis Maeotidem) *paludem relictis.* Ex his Cumanos,

(*a*) Cap. XIV. XIX. XX. XXXVIII. XLVI. (*b*) Chron. P. II. Prol. et C. I. (*c*) Edit. Stritt. T. I. p. 534. (*d*) De reb. Getic cap. 50. (*e*) Ibid. p. m. 217. (*f*) Chron. P. I. C. XXIII. (*g*) De B. Goth. L. IV. C. V.

ex illis Hungaros fuiſſe progenitos opinamur; quibus in plures tribus ſenſim diſcretis, quum Gordas praefuiſſet ſub A. C. 527. foedus cum Iuſtiniano I. percuſſurus, Conſtantinopolim petiit; vbi Chriſtianam religionem amplexus, multisque muneribus ab imperatore donatus eſt, vt Romanos fines et Bosphorum ciuitatem armis propugnaret. Quid ei, domum reduci, contigerit; operae pretium eſt ex ipſo Theophane, ſynchrono ſcriptore, cognoſcere. *Hunnorum*, inquit ille, (*a*) *rex, factus Chriſtianus, in propriam regionem reuerſus, fratri, quem illic offendit, imperatoris humanitatem atque liberalitatem, ſeque Chriſtianum factum eſſe, narrauit. Ad haec, direpta vndequaque ſimulacra, quae venerabantur Hunni, cuncta conflauit; erant enim illa argentea et electrina. Quamobrem ira ſuccenſi Hunni, coniuratione cum eius fratre excitata, in eum irruentes, necem intulerunt; et fratrem eius Muagerem* (Moageram Cedrenus vocat) *crearunt regem. Veriti porro, ne poenas ob regem occiſum expeterent Romani, in ciuitatem Boſphorum conuolarunt quantocius; et tribunum Dalmatium praeſidiariosque milites interfecerunt. His imperator auditis, miſit Ioannem exconſulem — cum numeroſis Scytharum copiis. — Hoc nuncio territi Hunni, fuga arrepta, diſparuerunt.*

VI. Quo hi Hunni cum Moagere, ſuo rege, diſparuerint, Theophanes non indicat. Liceat igitur hoc loco teſtium inopiam veriſimili coniectura ſupplere. Verſus Auſtrum ac infra Bosphorum, imperii Romani hac parte terminum, non iuerint; quum Romanos ſeu Graecos, hoſtes ſuos, effugere voluerint: nec etiam verſus occidentem, quum eas pla-

(*a*) Ed. Strater. T. I. p. 588.

plagas Cuturguri, Iuſtiniano tum amici, tenuerint: ergo verſus orientem aut ſeptemtrionem; vt longius ab Romanis, quos fugerant, abeſſent. Quum enim Theophanes ſubiiciat: *Ex quo pax Bosphoro reſtituta, locusque a Romanis, omni depulſo timore, occupatus eſt;* non poſſet omnis timor depulſus intelligi; niſi haec Hunnorum manus inde longius abſceſſiſſet. Atque hinc ego ſuſpicor, hanc Vturgurorum partem (nec enim omnes vel Gordae ſubiecti prius erant, vel fuga ſibi conſuluerant) in eam regionem, ex qua ſubinde Hungari ſub auſpiciis Almi ducis prodiuerunt, conceſſiſſe; hic in magnam poſtea gentem, interuallo 356. annorum, excreuiſſe; mutata regiminis forma, demum in varias tribus abiiſſe. Hoc dato, veriſimilis reddi ratio poteſt, quomodo Hungari, ſecundum communem patriorum ſcriptorum traditionem, ab Hunnis Attilanis, quorum reliquias Vturguros fuiſſe vidimus, deſcenderint; quomodo regio, quam olim incoluerunt, ſecundum anonymum Belae notarium, *Dentumoger* dicta fuerit. Facile nempe *Moger* a *Moager*, quem cum Hunnis, Boſphoro vicinis, effugiſſe vidimus, appellationem ſuam trahere potuit; quae tandem, emollita pronunciatione, in *Magyar* deſiit.

VII. Anonymus Belae notarius plagam illam, quam in Aſia Hungari, priusquam in Europam emigraſſent, incoluerunt, ſemel ac iterum Dentumoger appellat, ac in Scythia trans Tanaim ac vltra Pontum Euxinum collocat. (*a*) Hanc vero Scythiam anonymus alter, quem Turotzius ſuum deſcribendo fecit, trifariam, in *Boſtardiam*, *Dentiam* et *Magariam* diuidit. (*b*) MS. codex pro *Boſtardia*, *Baſcardiam*;

Kęza

(*a*) Cap I. (*b*) Chr. P. I, c. 5.

Keza *Baehardiam* ponit: quibus nominibus Praius *Baſchiriam*, quam infra Siberiam et ſupra regnum Aſtracanum vltra Volgam fluuium geographi collocant, intelligit. Licet igitur neque *Dentiam*, neque *Magariam* in antiquis auctoribus inueniamus; vtraque tamen trans Volgam, quem anonymus Etil vocat, ſita fuit.

VIII. Poſteaquam Hungarorum in hac regione numerus ita fuiſſet auctus, vt eiusdem anguſtiis capi porro non potuerint; longinquum in Europam iter ſuſcepturi, ne, diſtractis voluntatibus, huc illuc errarent, Almum ſibi viae ducem elegerunt, ac iureiurando promiſerunt, (*a*) ſe ſuosque poſteros ſemper ex eius progenie ducem habituros; praedam tamen communem eſſe voluerunt; nec abſolutam principi poteſtatem, ſed ab optimatum conſilio conſenſuque dependentem, contulerunt. Quemadmodum autem ſeditioſorum et in ducem conſpirantium ſanguinem fundendum eſſe declararunt; ita viciſſim Almum eiusque poſteros ad ſanctiones optimatum obſeruandas obligarunt. Ita natus, ita factus et electus dux Almus adeo reſtrictam in ſuos poteſtatem accepit, vt iure Porphyrogenitus Arpadum, eius filium, primum Turcarum ſeu Hungarorum principem, poſtquam more Chazarorum inauguratus eſt, appellet. (*b*) Tunc enim hic ampliorem, quam pater, in ipſos optimates poteſtatem accepit, quos ad varias expeditiones ire iuſſit, iisque terras occupatas arbitratu ſuo diſtribuit, legesque pertulit.

An-

(*a*) Anon. Cap. VI. (*b*) De adm. imp. c. 38.

Annus Chriſti 884. *Almi I.*

IX Rebus omnibus ad migrationem rite comparatis, ſeptem Hungarorum duces, quorum praecipuus erat Almus, popularibus ſuis in ſeptem exercitus diſtributis, quorum ſinguli 30857. armatis conſtabant, (*a*) ex Aſia verſus Europam mouent anno Chriſti 884. (*b*) Turotzius annum migrationis ſtatuit Chriſti 744. (*c*) ſed errore manifeſto; quum nullus orientalium vel occidentalium ſcriptorum migrationem Hungarorum ad ſeculum VIII. cum Turotzio, ſed ad ſeculum IX. omnes cum anonymo collocent; quum alioquin Auares adhuc anno 744. rerum in Pannonia potitos fuiſſe, nec illos ab Hungaris expulſos, ſed a Carolo M. ſub exitum eiusdem ſeculi ſubactos eſſe, tam Graecorum, quam Latinorum ſcriptorum teſtimonio conſtet. Hungari porro, ſuperatis quibusdam deſertis, Etil ſeu Volgam fluuium transmiſerunt. (*d*) Si rationem non tantum itineris longinqui, ſed etiam inermis impeditaeque turbae, quam 216. armatorum millia (*e*) ſecum trahebant, habeamus; anni circiter tres aut quatuor effluere facile poterant, donec, Kiouienſibus ad deditionem coactis ac obſidibus imperatis, Cumanos, quos illi per celeres nuncios in auxilium acciuerant, ex hoſtibus amicos feciſſent, et cum iis reliquum iter in hanc terram confeciſſent.

X. Cuius gentis ac originis hi Cumani fuerint, iam ſupra, quum de Cuturguris, cis paludem Maeotidem ab Vturgurorum gente relictis, agebam, obiter innui. Cl. Praius, poſtquam Cumanos eiusdem generis fuiſſe cum Chazaris, e ſcriptoribus Ruſſicis

ac

(*a*) Turotz. P. II. C. 2. (*b*) Anon. C. VII. (*c*) Chron. P. II. C. I. (*d*) Anon. C. VII. (*e*) Tur. P. II. C. II.

ac Byzantinis oſtendiſſet; merito ſuſpicatur, (*a*) *Cabaros*, *qui*, *Conſtantino teſte*, *cum 7. aliis tribubus*, *ſe Turcis ſeu Hungaris coniunxerant*, *a noſtris chronographis ſubobſcure deſignari;* quum Cumanorum meminerunt. Et certe, quum et locus, et tempus, quo Belae notarius Cumanos Hungaris, Conſtantinus Cabaros Turcis acceſſiſſe ſcribunt, congruant; nullum mihi dubium eſt, anonymi Cumanos cum Porphyrogeniti Cabaris eosdem fuiſſe: quos ego ſuſpicor a Chaba, quem Turotzius Attilae filium facit, et ortos, et appellatos eſſe: quumque Ruthenis Kiouienſibus opem tuliſſent; victos, Hungaris vltro ſe ſubieciſſe, poſtquam ſcilicet ſanguinis nexum, quem olim Vturguri, Hungarorum, et Cuturguri, Cumanorum progenitores, inter ſe habebant, ipſius idiomatis affinitate fortaſſis admoniti, agnouiſſent. Rei huius indicium et anonymus, (*b*) et Turotzius (*c*) praebet; quum de Chabae filiis ſeu poſteris agunt. (*d*)

Annus Chriſti 889. *Almi* 6.

XI. Quod igitur bonum, felix, fauſtum fortunatumque genti Hungaricae ſit! maiores noſtri, ſub auſpiciis Almi ducis, adiunctis etiam Cumanis, eodem genere Hunnico prognatis, multis quoque Ruthenis ſeu Roſſis, Oroſz patria lingua dictis, hanc terram, multis votis concupitam, multis laboribus exquiſitam, a poſteris iam vltra IX. ſecula poſſeſſam, multoque ſanguine rigatam, anno poſt Attilae mortem 435. poſt ſuum ex Aſia diſceſſum 5. Stephani VI. pontificis Rom. 4. Leonis VI. cognomento Phi-

(*a*) Diſſ. IV. p. 81. (*b*) Cap. X. (*c*) P. I. c. 23. (*d*) Vid. Hiſt. Crit. Duc. p. 79—99.

Philoſophi 3. Arnulphi, Germaniae regis 2do, feliciter attigerunt, primumque locum, in quo conſederant, Munkás (hodie *Munkáts*) ad labores alludendo, quos iſtuc veniendo pertulerant, appellarunt. (*a*) Auctoribus in anno memorabilis huius migrationis conſignando variantibus, nobis iſte potiſſimum placuit; quod nec nimis parum, nec nimis multum videri poſſit; ſi quinquennium, quod ab anno 884. ad annum vsque 889. fluxit, itineri, quod ex Aſia per Ruſſiam ad hanc regionem Hungari confecerunt, tribuamus. Ad eumdem hunc annum Hungarorum, hanc terram ingreſſorum, meminerunt plura chronica cum Reginone, cuius cum annaliſta Metenſi haec ſunt verba: *Anno dom. incarn. 889. gens Vngarorum ferociſſima — — a Scythicis regnis et paludibus — egreſſa eſt.* Vbi non tam primum ex Aſia Hungarorum egreſſum, quam primum in Hungariam ingreſſum, cuius epocham magis ſibi cognitam, quam illius, vtpote remotioris, habere poterant, conſignaſſe videntur.

XII. Etſi praecipuas in educendis Hungaris partes Almus habuerit; plures tamen tantae molitionis adiutores, quorum opera deinceps etiam Arpadus in ſubigendis his terris vſus eſt, cenſuit. Eos anonymus poſt Almum nominat (*b*) *Eleudium*, patrem Szabolts; *Kundum*, *Oundum*, *Toſum*, patrem Lehel; *Hubam*; *Tuhutum*, auum Gyulae, Cumanorum autem duces vocat (*c*) *Ed*, *Edumen*, *Etu*, *Bunger*, patrem Borſi; *Ouſad*, patrem Vrſuri; *Bojtam*, *Retel*. Ex his horumque filiis Turotzius ſuos 7. duces ita conflauit: (*d*) *Arpad*, *Szabolts*, *Gyula*, *Kund*, *Lehel*,

(*a*) Anon. Cap. XII. (*b*) Cap. VI. (*c*) Cap. X. (*d*) Chr. P. II. c. 3—9.

garorum *boebodum*, Lebediam, nobis Eleudium, ad ſe Chelandiam acciuit, ſupremumque gentis ſuae principem creare voluit. (*a*). At ille, memor iurisiurandi, quo Hungari ſemper ex Almi progenie ducem ſe habituros ſpoponderunt, oblatam ſibi dignitatem modeſte deprecatus, Almum ipſum aut Arpadum ſui loco propoſuit. Arpadus igitur, cui iam Almus, ob aetatem prouectam fractasque per longinquum iter vires, reſtrictam illam, quam inter Hungaros habebat, poteſtatem vltro ceſſerat, more Chazarorum in ſcuto ſublatus, princeps inauguratus eſt. Ab hac inauguratione maiorem ille poteſtatem in ipſas anonymi *principales perſonas* adeptus, ceteros duces in expeditiones, quas voluit, dimittebat; terras, bello partas, arbitratu ſuo victoribus addicebat; leges ipſas, quibus tota gens obſtringeretur, ipſe primus conſtituebat. Quapropter, auctiore, quam pater, poteſtate praeditus, copiis illico diuiſis, primum plagas, inter Bodrogum et Tibiscum ſitas, occupauit: deinde, miſſis ad Salanum, Bulgarorum principem, muneribus, terras ad Saionem vsque, tum ad portas Meſzeſinas ſibi vindicauit: tum, opera Tuhutumi, Tranſſiluaniam ſubegit; denique ditionem ſuam ſenſim ad Zagyuam, Ipolim, Granum, Vagum, Morauam promouit.(*b*)

A. C. 893. *Arpadi* 5.

XV. Occaſionem huic rei gerendae praebuit Zuentibaldus, nobis Suatoplugus, Marahaniae rex, ad quem oppugnandum Arnulphus caeſar Hungaros, victoriae curſu magnam regionis huius partem emen-

(*a*) Conſtant. cap. 38. (*b*) Anon. cap. 15—37. Hiſt. Crit. Duc. p. 126—145.

emenſos, euocauit. (*a*) Arpadus, vltro ſibi viam in Marahaniam ab Arnulpho pandi laetus, miſſis a Zagyua fluuio ſuis copiis, Zoborium, Suatoplugi ducem, ad Nitriam fudit ac ſuſtulit. (*b*) Quumque hic victrices copiae, ſuperatis ad Vagum fluuium pluribus caſtellis, ad Morauam vsque procurrerent, ac exitum in Pannoniam, quam ad ictum iam tum deſtinabant, obſeruarent; ipſe cum alio Hungarorum exercitu Salanum, auxilio Bulgarorum et Graecorum tumidum, ad Alpar iuxta Tibiscum aggreſſus, inſignem victoriam retulit, eiusque ditionem omnem, quam, miſſis nuper albis equis, ſe mercatum dictitabat, Hungaris aſſeruit. (*c*) Atque hinc natam arbitror fabulam illam, qua Turotzius Hungaros regnum albo equo mercatos a Suatoplugo comminiſcitur. Refert is, (*d*) Hungaros per Kuſidium equum album, ephippium, frenum inauratum Suatoplugo miſiſſe; hunc, pro terra quadam hoſpitali haec offerri ratum, dixiſſe: *habeant, quantumcumque volunt, pro hoc munere;* nec multo poſt, Arpadum, non iam vt hoſpitem, ſed vt legitimum poſſeſſorem, cum ſuis aduenisſe, Suatoplugoque denunciaſſe, vt terra, pretio dato comparata, decederet; riſiſſe quidem Suatoplugum, et verbis legatum eludere voluiſſe; ſed, vbi nihil profeciſſet; auxiliis vndique commendicatis, obuiam Hungaris ad Danubium iuiſſe; commiſſaque pugna, victum, dum fugeret, in Danubium ſe praecipitem egiſſe. Haec in Salanum potius anonymi, quam in Suatoplugum, cadere poſſunt. Hunc enim annaliſta tam Meten-

(*a*) Lamb. Schaff. Hepidan. Sigeb. ad A. C. 893. (*b*) Anon. cap. 32—38. (*c*) Idem cap. 39. (*d*) Chron. P. II. c. 3.

Metenſis, quam Fuldenſis naturali morte deceſſiſſe; Cosmas Pragenſis, nemine conſcio, montem Zobor petiiſſe; vitam cum tribus eremi cultoribus auſteram egiſſe; nec, niſi paullo prius, quam obiret, quis eſſet, ſociis aperuiſſe, perhibent. (*a*) Turotzius igitur hanc de Suatoplugo, qui non ipſe, ſed Zoborius cum Hungaris conflixerat, narrationem ex hiſtoria Salani male conſarcinauit. (*b*)

A. C. 894. *Arpadi* 6.

XVI. Poſt victos hic Bulgaros, illic Marahenſes Slauos, Hungaris non diu quietis eſſe licuit, implicitis bello, quod inter Leonem, orientis imperatorem, et Simeonem, Bulgariae regem, exarſerat. Agebat tunc Arpadus, victo iam Salano, non procul Danubio, per quem Nicetas, Leonis legatus, ad eum tranſiuiſſe ſcribitur. (*c*) Arpadus, auxilium pollicitus, quum ipſe per res domeſticas, nondum ſatis firmatas, abeſſe non poſſet; copiis, e Moldauia contra Bulgaros educendis, Liunticam filium praefecit. Quo tempore hic copias in Bulgariam infudit, ac Simeonem victum Diſtram fugere coegit, alia Hungarorum manus ad Raſciam ſubigendam arma conuertit, vbi victoribus Liunticae militibus vnire ſe facile potuit. Ergo coniunctis viribus, ad ipſum mare procurrerunt, Spalatoque capto, Croatiam ſuae poteſtati ſubiecerunt. (*d*) Atque hanc Hungarorum procurſionem intelligere videtur annalium Fuldenſium continuator, quum ad hunc annum 894. ita ſcribit: *Auari, qui dicuntur Vngari, — vltra Danubium peragrantes, multa miſerabilia perpetrauere.* (*e*)

A.

(*a*) Ad A. C. 894. (*b*) Hiſt. Crit. Duc p. 145—150. (*c*) Georg. Mon. Ed. V. p. 413. (*d*) Anon. cap. 42. 43. (*e*) Hiſt. Crit. Duc. p. 152—162.

A. C. 895. *Arpadi* 7.

XVII. Quum haec expeditio tam longinqua, tam diuturna fuerit, vt, anonymo teſte, (*a*) duces et milites *in ſecundo anno ad ducem Arpad reuerſi fuerint;* abſentibus tot fortiſſimis militibus, quot tanti momenti bellum, tam remote geſtum, exigebat, ingentem Hungari cladem in *locis Atelcuſu nuncupatis* acceperunt. Simeon enim, Bulgarorum rex, bellicae laudis iacturam, quam ab Hungaris fuſus fugatusque fecerat, reparaturus, tempore, quo magnam Hungarorum partem illo bello diſtineri nouerat, diligenter obſeruato, Patzinacitas, a quibus eos alias victos ac e Lebedia pulſos audiuerat, clam euocandos cenſuit. Cum his igitur coniunctus, facilem de paucis Hungaris, in Moldauia relictis, victoriam retulit. Patzinacitae, Hungaris ad ſedes iterum mutandas coactis, Moldauiam ſibi vindicarunt. (*b*) Atque haec clades praecipua cauſſa fuerit, cur Arpadus, e partibus Bodrogienſibus egreſſus, anonymo teſte, (*c*) iuxta Danubium aſcenderit; in inſulam magnam, Tsepel poſtea dictam, ſe receperit; conductis artificibus, ibi domos, quas adhuc habuiſſe nusquam legitur, exſtruxerit; ſex ipſos menſes et optimam ab Aprili menſe ad Octobrem anni partem, ibidem traduxerit. Licet igitur anonymus cladem, hoc tempore Hungaris illatam, diſſimulet; eam tamen non obſcure hac narratione nobis indicat. (*d*)

A. C. 896. *Arpadi* 8.

XVIII. Vt Hungari iacturam Moldauiae, nuper a Patzinacitis ereptae, ſarcirent; Glado, qui Ma-

---

(*a*) Cap. XLIII. (*b*) Conſt. Porph. c. 40. (*c*) Cap. XLIV. (*d*) Hiſt. Crit. Duc. p. 163—179.

ruſium inter ac Danubium Orſouam vsque dominabatur, ſubacto, (*a*) ditionem ſuam ad pontis vsque Traiani rudera promouerunt. Hac igitur parte cum Hungaris, qui cum Tuhutum in Tranſſiluania ſedes fixerant, coniuncti, verſus occidentem arma conuertenda Pannoniamque ſubigendam cenſuerunt. Ad conſilium hoc exſequendum opportunitatem obtulerunt diſſenſiones, inter Suatoplugi filios exortae, (*b*) quibus Arpadus in rem ſuam vſus, conuocatis omnibus ducibus, ex inſula Tsepel egreſſus, Danubioque cum Hungaris transmiſſo, ciuitatem Attilae regis ingreſſus, epulas illic plures dies inter varia laetitiae ſigna celebrauit. (*c*) Hic Arpadus Kundio terras ad Százhalom aſſignauit; eius autem filio Curzani, *dedit vnum caſtrum ad cuſtodiam populi ſui. Tunc Curzan caſtrum illud ſub ſuo proprio nomine iuſſit appellari, quod nomen vsque in hodiernam diem non eſt obliuioni traditum.* Hoc ego Curzanis nomen hodieque ſuſpicor in iis aggeribus ſupereſſe, qui duobus fere milliaribus infra Gyöngyöſinum ab Árok Szállás, vnde loco huic nomen, inchoati, 15 milliaribus ad Tibiscum procurrunt. Diſtinguendi hi ſunt a minoribus aggeribus, qui ſupra Peſtinum a Danubio 12. milliaribus verſus Tibiscum protenduntur. Hos Hungari *Kis-árok*; illos *Tsürſz'-árka* vocant, veriſimiliter ab hoc Curzane, quem anonymus, noſtrum *ts* et *ü* numquam exprimere ſolitus, iuxta hodiernam orthographiam non *Curz*, ſed *Tsürſz* ſcribere debuiſſet. *Centum montes*, quorum anonymus meminit, iidem ſunt cum Turotzii *Százhalom*; vnde dubitari poteſt, an non is de Hungarorum potius, quam Hunnorum per Danubium transitu

itu

(*a*) Anon. C. XLIV. XLV. (*b*) Porphyr. cap. XLI. (*c*) Anon. cap. XLVI.

itu ſit accipiendus, quum, admixtis quibusdam fabulis, eorum in Pannonia pugnam deſcribit. (*a*)

A. C. 897. *Arpadi* 9.

XIX. Arpadus, viceſimo primo die, poſtquam Budam ſubiuiſſet, cum ſuis egreſſus, ad Száz-halom prima caſtra defixit. Copiis bifariam diuiſis, vt Pannonum vires diſtraheret, partem verſus caſtrum Baranya, partem ad Veſprimium oppugnandum ire iuſſit. (*b*) Et hi quidem, Veſprimio poſt acre 10. dierum certamen expugnato, plagas Balatoni circumfuſas euaſtarunt. Arpadus, de ſuorum victoriis edoctus, et ipſe cum tertia copiarum parte verſus montem Pannoniae contendit. Haec anonymi verba: (*c*) *Dux autem Arpad et ſui milites ſic eundo, iuxta montem S. Martini caſtra metati ſunt, et de fonte Sabariae tam ipſi, quam eorum animalia biberunt*, clare docent, iuxta montem S. Martini Sabariam, ab ea, quae nunc epiſcopalis ſedes eſt, diſtinctam, exſtitiſſe. Vtra vero Sabaria S. Martini patria fuerit, et Carthuitius innuit, (*d*) et Geiſa II. his verbis oſtendit: *monaſterio S. Martini in S. monte Pannoniae, ob reuerentiam et ſanctitatem ipſius loci, et propter B. Martini patrocinium, cuius natiuitate, in eodem loco habita, Pannonia gloriatur.* An his teſtimoniis traditio, cui confuſum vel ignoratum duplicis Sabariae nomen originem dederit, praeualere debeat, lectoris arbitrium eſto. Arpadus, oculis in ſubiectam regionem ex hoc monte coniectis, ad Pannoniam reliquam ſibi ſubiiciendam animum adiecit, indeque profectus ad Rabam et

 Rab-

(*a*) Hiſt. Cr. Duc. p. 179—210. (*b*) Anon. cap. 47. 48. 49. (*c*) Cap. 50. (*d*) Ed. Prai p. 127.

Rabtzam, victrices vndique copias recepit, ac laetus in inſulam Tsepel reuerſus, maiorem ex nato hic filio Zoltano, qui Zoltenſi prouinciae nomen indidiſſe videtur, laetitiam perſenſit. (*a*)

A. C. 898. *Arpadi* 10.

XX. Nouis diſſidiis inter Suatoplugi filios exortis, Arpadus alias Marahanenſium ditiones inuaſit, ac in ſuam poteſtatem redegit; (*b*) poſtquam omnem ad Arrabonem vsque fluuium Pannoniam ſui iuris feciſſet.

A. C. 899. *Arpadi* 11.

XXI. Quum Marahanenſes Slauos hinc Arnulphus per ſuos duces, illinc Arpadus per ſuos milites premerent; tantis illi hoſtibus impares, ad fraudes conuerſi, cum Hungaris eiusmodi ſocietatem iniuerunt, vt, capitibus ad eorum morem attonſis, illis ſe miſcuerint; illos in vaſtanda Pannoniae parte, quae iuribus Arnulphi ſubiecta, nec adhuc ab Arpado ſubacta fuit, adiuuerint; illis denique viam ad populandam Carentaniam ac Italiam aperuerint, vt epiſcopi Bauariae, litteris ad Ioannem IX. anno ſequente datis, queruntur. (*c*) Epiſcopi Boici, ferociam Hungarorum mitigaturi, linteas quasdam veſtes iisdem, qui ferinis antea pellibus vtebantur, dono miſerunt. Illi, his acceptis, armorum terrorem alio conuerterunt, ac Italiam ad nouas praedas deſcripſerunt. Obtulerunt epiſcopi laudati pacem Marahanenſibus, vt ab iis liberi Longobardiam resque S. Petri defendere contra Hungaros poſſent.

At

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 211—217. (*b*) Ibid. p. 217—219.
(*c*) Ap. Hanſiz G. S. T. I. p. 177.

At illi non tantum paci non acquieuerunt, ſed nouum inſuper Bauaris periculum apud pontificem iniquis criminationibus crearunt. Nam, vt moleſtum Germaniae iugum excuterent, a Ioanne IX. multis precibus efflagitarunt, vt ſuos Morauis antiſtites daret, ne cum Bauaris, qui Hungaros ad Italiam vaſtandam immiſerint, communione ſacrorum iungerentur. Facile has criminationes in accuſatores epiſcopi retorſerunt. (*a*)

A. C. 900. *Arpadi* 12.

XXII. Hungari, cum ingentibus ſpoliis ex Italia ſub anni huius initium reuerſi, poſtquam vires attritas inſtauraſſent, ac alios quoque ſpe praedarum ad eamdem expeditionem ſuſcipiendam excitaſſent; rurſus ad ſpoliandam regionem illam arma conuerterunt, ac caeſis vno praelio 20. millibus Italorum, longius in Longobardiam inuecti, quum munitas a tergo ciuitates non expugnatas reliquiſſent; a Chriſtianis ad Brennam ſeu Brentam circumfuſi, quia promiſſis precibusque nihil profecerunt, animis ex deſperatione ſumtis, in incautos irruerunt, plurimisque iugulatis, reliqua regni loca ſaeuiendo percurrerunt. (*b*) Quum pugna haec 24. Septembris inita fuerit; longius Hungaris tempus erat, quam vt reliquam anni partem quieti tranſigere poſſent. Spoliis igitur in Pannonia, iam ſua, depoſitis, in Bauariam irrupturi, legatos quosdam praemiſerunt, qui, per ſpeciem ineundae cum Ludouico, rege nouo, pacis, aditum in regionem illam rimarentur. Hoc reperto, nulla mora fuit, quin cum vniuerſis repente copiis Anaſum tranſmitterent, et

 quic-

(*a*) Hiſt. Cr. Duc. p. 219—229. (*b*) Luitpr. L. II. C. IV. V. VI.

quicquid inter Danubium et Aenum fluuios interiacet, per 50. millia paſſuum igne ferroque vaſtarent. (*a*) Subiicit idem annalium Fuldenſium continuator, qui haec fuſe recenſet, illi Hungarorum agmini, quod ab aliis longius auulſum, tranſmiſſo Danubio, partem aquilonarem populabatur, aliquantulam cladem illatam fuiſſe, contra quorum incurſiones Anaſiburgum paullo poſt exſtructum eſt. (*b*)

A. C. 901. *Arpadi* 13.

XXIII. Hungari, ſtabilitis in Pannonia ſedibus, ac euaſtata tam Italia, quam Bauaria, Carentaniam populati, non leuem anno hoc et ſequente cladem acceperunt; nec deinceps, Arpado ſuperſtite, quicquam memoria dignum egerunt. Priusquam Arpadus obiuiſſet; ad opprimendum Menomorothum, qui iam alias ab Hungaris fugatus, magnaque ditionum parte verſus Samuſium multatus fuerat, copias ſuas dimiſit, quibus, vt anonymus loquitur, (*c*) *omnes Siculi, qui primo erant populi Attilae regis, — obuiam pacifici venerunt.* Eamdem de Siculorum origine ſententiam Turotzius inſinuat; (*d*) licet fabuloſa quaedam adiuncta narrationi ſuae miſceat. Quibus reſectis; nihil vetat admittere conſtantem Hungarorum traditionem, quae Siculos ex Attilanis reliquiis ortos eſſe docet. Hungarorum exercitus, Siculorum acceſſione firmatus, Menomorotum in fugam egit, caſtroque Bihar expugnato, neceſſitatem eidem impoſuit, vt Arpado regnum, eius filio Zoltano filiam ſuam in connubium offerret. (*e*)

A.

(*a*) An. Fuld. Murat. T. II. p. 576. (*b*) Hiſt. Cr. Duc. p. 229—249. (*c*) Cap. 50. 51. (*d*) P. I. Cap. 24. (*e*) Hiſt. Crit. Duc. p. 251—265.

A. C. 907. Arpadi 19.

XXIV. Arpadus, antequam decederet, Zoltano maiorem et auctoritatem, et ſecuritatem conciliaturus, in eum fidei ſacramentum a ſuis exegit, nec multo poſt, optime de tota gente meritus, cuius auſpiciis Hungari dominationem in his terris ſtabiliuerant, armorumque terrorem latiſſime ſparſerant, ex hac vita demigrauit. Eius obitum anonymus Belae notarius ad hunc annum 907. collocat; (*a*) nec quicquam occurrit, quod deſerendam eius chronologiam ſuadeat. (*b*)

§. III.

ZOLTANVS, DVX III.

Coepit A. C. 907. deſiit A. C. 947.

XXV. E quatuor Arpadi filiis Conſtantinus poſtremum *Zaltam* collocat, quem anonymus Belae notarius *Zultam* appellat, eiusque natiuitatem poſt vaſtatam ab Hungaris Pannoniam collocat. Quum igitur vndecimum dumtaxat aetatis annum a morte patris egerit; Ludouicus, Germaniae rex, contemta pueri ducis aetatula, bellum Hungaris intulit. Vrebat ſcilicet illum iactura Pannoniae, meritoque timebat, ne, ſi hoſtem adeo vicinum in ſua damna creſcere porro ſineret; breui non tantum Auſtria, ſed etiam Bauaria ceterisque prouinciis exueretur. Hungari quoque, licet dolorem, ex Arpadi morte hauſtum, nondum digeſſerint, pro ſalute ſua mox arma corripiunt: aliquot equites ad laceſſendas Bauarorum legiones praemittunt: mox ceteri conſequuti,

(*a*) Cap. 52. (*b*) Hiſt. Crit. Duc. p. 266—268.

quuti, Boiorum epiſcoporum agmen, velut aciem perrupturi, pernicibus equis impetunt: ingentem ſagittarum imbrem infundunt: hoſtem ſpiculis, quae corneis arcubus eiaculabantur, obruunt; oſtenduntque, bellicam Hungarorum virtutem exſtinctam cum Arpado non fuiſſe. (*a*) Initium hoc fuit malorum, quae Hungari longa ſerie ſub Zoltano Germanis intulerunt. Nam, caeſis triduana pugna multis praeſulibus et proceribus, anno ſequente Saxoniam et Thuringiam, mox etiam Alemanniam euaſtarunt. (*b*)

A. C. 909. Zoltani 3.

XXVI. Ludouicus, tot cladibus prouinciarum ſuarum permotus, ne tota Germania deinceps vno velut incendio conflagraret, edicto ſeueriſſimo ſanxit, vt, quum Hungari rurſus Franconiae minarentur, omnes arma ſumerent, quibus per aetatem et vires liceret; niſi reſtim et infelicem arborem experiri velint. Hungari, quum maiores, ac alias, apparatus a Ludouico fieri non neſcirent; ipſi quoque maioribus ſtudiis ad bellum apparandum incubuerunt. Experti vero, nec domi iuſtitiam adminiſtrari, nec belli diſciplinam militarem obſeruari, prout oporteret, propter tenellam principis aetatem poſſe; quosdam e communi conſilio conſtituendos duxerunt, qui partim dirimendis litibus, partim propulſandis hoſtibus operam vicaria poteſtate Zoltano nauarent. *Transactis quibusdam temporibus*, inquit anonymus, (*c*) *dux Zulta quum eſſet* 13. *annorum, omnes primates regni ſui communi conſilio et pari voluntate, quosdam rectores regni ſub duce praefecerunt,*

(*a*) Auent. L. IV. p. 480. (*b*) Hiſt. Cr. Dup. p. 268–280. (*c*) Cap. 53.

runt, qui moderamine iuris conſuetudinis diſſidentium lites contentioneſque ſopirent; alios autem conſtituerunt ductores exercitus, cum quibus diuerſa regna vaſtarent. Atque hoc illud eſt, quod Porphyrogenitus in haec verba ſcribit; (*a*) *Habent autem primum ducem exercitus principem e proſapia Arpadae, cum quo duo alii, Gylas et Carchan, qui iudicum vicem obtinent.* Schwartzius exiſtimat, (*b*) in his iacta fuiſſe fundamenta praecipuorum in Hungaria magiſtratuum; nam *Gylas*, quaſi *gyülés*, quod nobis comitia ſignificat, indicare videtur praeſidem comitiorum, qui palatinus eſſe conſueuit; *Carchan* autem, a *Kár*, quod nobis damnum eſt, dicto, damnorum reparandorum iudicem ortum cenſet, cui iudicis curiae munus hodie reſpondet. (*c*)

A. C. 910. Zoltani 4.

XXVII. Poſtquam Hungari, conſtitutis domi iudicibus, qui iuſtitiam, et ducibus, qui bellum adminiſtrarent, ne quid reſpublica detrimenti per aetatem Zoltani totieſque ſuſceptam in exteras prouincias expeditionem pateretur, ſapienter prouiderunt; coactis, quas Germanis opponerent, copiis, priusquam illi ſe mouerent, in alieno ſolo theatrum belli conſtituendum rati, magnis paſſibus Auguſtam, vbi hoſtes colligi nouerant, properarunt. Plerique chroniſtae, qui bellum iſtud ad hunc annum referunt, (*d*) more ſuo paucis id expediunt; omnes tamen vno conſenſu victoriam Hungaris adſcribunt. Luitprandus, aliis fuſior, ita narrationem ſuam concludit: (*e*) *Factusque eſt per nonnullos annos populus*

(*a*) De adm. imp. cap. 40. (*b*) In Samuele p. 45. (*c*) Hiſt. Cr. Duc. p. 280—294. (*d*) Herm. Contr. Lamb. Schaf. Contin. Reg. Chron. S. Galli. (*e*) Libr. II. Cap. I.

lus hic tributarius. De tributo, Hungaris promiſſo plures teſtimonium perhibent. Anonymus tamen eiusdem non meminit, quum idem bellum paucis ita refert: (*a*) *Francos quoque orientales, in confinio Franconiae et Bauariae, multis millibus eorum caeſis, ictibus ſagittarum, in turpem fugam conuerterunt, et omnia bona eorum accipientes, ad ducem Zultam in Hungariam reuerſi ſunt.* (*b*)

A. C. 911. *Zoltani* 5.

XXVIII. Quia Ludouicus, annuo tributo Germaniae pacem mercatus, ex animi moerore menſe Iunio deceſſit, et Carolingicam ſtirpem in tumulum ſecum traxit; imperii proceres Conradum Franconem primum liberis ſuffragiis regem elegerunt, quod eum rerum vſus ad Hungaros retundendos idoneum fore polliceretur. Sed ſecus euenit. Nam annuas in Bauariam, Alemanniam, Thuringiam, Saxoniam, Alſatiam et Lotharingiam excurſiones, etiam eo regnante, Hungari ſuſceperunt; (*c*) et ſemel dumtaxat ad Aenum leuiorem a Bauaris cladem paſſi, ſpoliis alias diuites, in Hungariam reuerterunt. Mirum videri poſſet, quomodo Hungari tot excurſiones in tam remotas prouincias impune facere potuerint; niſi conſtaret, Germaniam iisdem temporibus inteſtinis bellis diſtractam fuiſſe. *Nam*, vt Hanſizius obſeruat, (*d*) *quoadusque progenies Carolingica habenas Germaniae flectebat; ab officio non valde diſcedebant praefecti. Conrado poſtmodum aliunde aſſumto, reuerentiam exuere.* Horum igitur diſſidiorum

(*a*) Cap. LIV. (*b*) Hiſt. Cr. Duc. p. 285—290. (*c*) Herm. Contr. ad an. 912. 913. 916. 917. Cont. Reg. 915. cet. (*d*) Germ. S. T. I. p. 187.

rum occaſione Hungari non tantum vicinas, ſed etiam remotas regiones ad praedam deſcripſerunt: per Alemanniam, ſaepius eraſam, in ipſam Alſatiam irruperunt: Baſileam in Heluetia funditus euerterunt: magnam denique Lotharingiae partem euaſtarunt ac diripuerunt, immortuo his cladibus Conrado, 23. Decembris, anno 918. (*a*)

A. C. 919. Zoltani 13.

XXIX. Vbi Henricus Auceps Conrado ſuffectus eſt; Hungari, fortaſſis annuo tributo deliniti, vim a Germania tantiſper abſtinuerunt, et in Italiam omnem impetum annis ſequentibus conuerterunt, ac Berengario, qui ſuis inuiſus, de regno periclitabatur, opem ferendo, multos interfecerunt. (*b*) Quum ad caedem eius vindicandam rurſus Italiam ingreſſi, Papiam incenderunt; (*c*) dux illis tunc, Luitprando teſte, Salardus erat, in quo Porphyrogeniti Zaltam, anonymi Zultam, noſtrum Zoltanum latere, bene Cl. Praius ſuſpicatur. (*d*)

A. C. 926. Zoltani 20.

XXX. His in Italia patratis, Hungari, Germaniae non obliti, populationem ad lacum vsque Podamicum protulerunt ac in S. Galli coenobio Wiboradam, virginem DEO deuotam, peremerunt. A Daleminciis Slauis, qui hodiernae Misniae partem eo tempore colebant, aduerſus Henricum Aucupem euocati, Saxoniam ſemel ac iterum depopulati, rurſus *Alemanniam*, vt Herm. Contractus perhibet, (*e*) *totam Franciam, Alſatiam atque Galliam, igne et gla-*

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 291—301. (*b*) Luitpr. L. II. Cap. 17. (*c*) Id. L. III. Cap. 1. (*d*) Hiſt. Cr. Duc. p. 301 — 313. (*e*) Ad A. C. 926.

gladio ſaeuientes, percurrerunt. Poſt hanc incurſionem nouennales inducias cum Henrico pacti ſunt, vt ſuum ducem, a Germanis interceptum, ſub quo Zoltanum latuiſſe, nimia ſollicitudo Hungarorum oſtendit, recuperarent. (*a*) Ita Hungaris hac pace neceſſitas impoſita fuit, vt interea rerum ſuarum domi ſatagerent, regnique limites conſtituerent ac communirent. (*b*)

A. C. 931. *Zoltani* 25.

XXXI. In hoc pacis otio non Zoltanum dumtaxat principem, ſed vniuerſam quoque Hungarorum gentem magna laetitia cumulauit natus Zoltano filius, incertum, vnde Toxus, aliis Taxis appellatus, qui nomen dediſſe videtur vico, *Takſony*, quaſi *Tuks'-honyja* dicto, quem in prouincia Peſtinenſi Danubius ad Tsepel inſulam alluit. Ante huius natiuitatem, quam anonymus affigit ad annum 931. (*c*) Hungari, Germaniae prouinciis abſtinere coacti, Seruiis et Croatis iuncti, Bulgaros bello petiiſſe leguntur; (*d*) quo tamen euentu, nusquam conſignatur.

A. C. 934. *Zoltani* 28.

XXXII. Poſtquam Hungari, plurium annorum quiete firmati, maximum exercitum conflauiſſent; primum impetum in orientem conuerterunt: vbi ſub initium veris, obuiis quibusque per Thraciam abactis, quum ipſis Conſtantinopoleos maenibus appropinquaſſent, a Romano Lacapeno, Graecorum imperatore, miſſus eſt ad eos placandos Theophanes patricius, qui ſua ſagacitate pacem cum illis com-

(*a*) Vitichind. L. I. (*b*) Hiſt. Cr. Duc. p. 313—353. (*c*) Cap. 55. (*d*) Cedr. ap. Stritt. T. II. p. 614.

compoſuit. (*a*) Quia vero haec Hungarorum excurſio, teſtibus Graecis ſcriptoribus, Aprili menſe contigit; longus a[illegible]e illis annus, longius nouennalium induciarum tempus erat, quam vt diutius illud cum Henrico prorogare vellent. Quare nouam bello cauſſam quaeſituri, legatis ad illum miſſis, conſueta munera tributi loco poſtularunt. Henricus, quum militibus ſuis, ad armorum vſum tempore pacis ſollerter exercitatis, tantum virium et animorum iam eſſe videret, vt frontem obuertere Hungaris auderent; legatis non ſine contumelia reiectis, ferrum, non aurum, eos exſpectare iuſſit. Hungari, repulſa hac irritati, bellum continuo decernunt; raptisque confeſtim armis, apud Dalemincios conſiſtunt; rati, hos, quibus alias opem aduerſus Henricum tuliſſent, in belli ſocietatem acceſſuros. Sed Dalemincii, vel quod graues illos hoſpites prius experti fuiſſent, vel quod intempeſtiuum eſſe cenſerent, caput vltro periculis obiicere, cognito praeſertim Henrici copiarum apparatu, communionem armorum audacter negant. Hungari, vindicta commodiori tempori ſeruata, primum impetum in Thuringiam vertunt, eaque vaſtata, copias bifariam diuidunt. Ita diuiſos Henricus decretorio praelio vicit, et, vt Luitprandus ſcribit, (*b*) *tributum, quod hoſtibus dare conſueuit, diuino cultui mancipauit, et largitionibus pauperum deſeruire conſtituit.* Nunc igitur primum Germani Hungaris tributum pendere deſierunt (*c*)

A.

(*a*) Cont. Theoph. E. V. p. 197. (*b*) Libr. II. Cap. IX. (*c*) Hiſt. Cr. Duc. p. 354—368.

A. C. 936. Zoltani 30.

XXXIII. Poſtquam Henricus Auceps, qui primus Hungarorum victoriis frenum impoſuit, et cuius proneptem Giſelam ſubinde S. Stephanus connubio ſibi iunxit, hoc anno 936. die 2. Iulii pie deceſſiſſet, eique filius Otto I. ſuffectus fuiſſet; Hungari, noui regis virtutem exploraturi, Franciam orientalem inuaſerunt, ac irruptionem in Saxoniam ab occidentali parte tentarunt. Otto, nihil cunctatus, occurrit illis cum exercitu valido; nec prius deſtitit, quam eosdem e ditionibus ſuis exegiſſet. (*a*) Hinc pulſos Hungaros in Burgundiam impetum vertiſſe, chronographus Beſuenſis innuit. (*b*)

A. C. 937. Zoltani 31.

XXXIV. Tamdiu Hungari Bauariae parcendum cenſuerunt; quamdiu ſuperſtes Arnulphus, cum quo foederis communionem habebant, ei praefuit. At, duce hoc rebus humanis nunc exemto, ſoluti nexu foederis, in arma ruerunt, ac Bauariam omnem, tot annos intactam, licentius euaſtarunt: inde per Alemanniam et orientalem Franciam caedes et incendia ſparſerunt: Rheno Vormatiae transmiſſo, non tantum Alſatiam et Lotharingiam, ſed ipſam ad oceanum vsque Galliam, igne ferroque graſſando, percurrerunt. Ab Hungaris tot tantasque res vno hoc anno peragi potuiſſe, niſi multis ſynchronorum aut ſupparium auctorum teſtimoniis doceremur, credere vix poſſemus. Vnum ex his audire iuuat Hermannum Contractum, qui paucis ita rem totam exhibet: (*c*) *Vngarii, per Baioariam Alemanniam-*

que

(*a*) Vitichind. Ann. L. II. (*b*) Hiſt. Cr. Duc. p. 369. 370.
(*c*) Ad A. C. 937.

que et orientalem Franciam, praedis, gladio igneque furendo vagantes, tranſito Vormatio Rheno, Alſatiam, regnum Lotharii et adiacentes vsque ad oceanum Gallias vaſtantes, per Burgundiam Italiamque, tandem in Pannoniam redierunt. Patrii quoque ſcriptores tot prouinciarum, ab Hungaris vna hac procurſione vaſtatarum, licet ordine confuſo, meminerunt. (*a*)

A. C. 938. *Zoltani* 32.

XXXV. Hungari, tot regiones paullo prius emenſi, vix aliqua ſibi quiete conceſſa, rurſus arma corripiunt, et Saxoniam, ad vlciſcendam illic acceptam cladem, infeſti petunt. Rem illis tam male ſucceſſiſſe Vitichindus aſſerit, (*b*) vt in Saxonia per tricenos annos non apparuerint; quod ſcilicet, accepta ſemel, iterum ac tertio clade, regionem hanc ſuis conatibus admodum infeſtam experti fuerint. Sigebertus igitur male notat, Hungaros a Saxonibus anno ſequente caeſos eſſe. (*c*)

A. C. 941. *Zoltani* 35.

XXXVI. Ne tamen otio torpeſcerent Hungari, diſſidiis, inter Berengarium iuniorem et Hugonem exortis, in rem ſuam vſi, rurſus Italiam inuaſerunt, tantumque Hugoni metum incuſſerunt, vt is, (*d*) *datis decem numorum modiis, pacem cum Hungaris fecerit.* In Bauaria male per Bertolfum ducem accepti, contra Graecos arma conuerterunt anno 943. Sed pace rurſum opera Theophanis conciliata, per Carinthiam ad vaſtandam Germaniam aditum anno ſequen-

(*a*) Hiſt. Cr. Duc. p. 370—380. (*b*) Annal. Libr. II. (*c*) Hiſt. Cr. Duc. p. 380—383. (*d*) Luitpr. L. V. C. VIII.

ſequente tentarunt, tantamque cladem, quantam numquam alias, acceperunt, vt plures chroniſtae teſtantur. (*a*)

A. C. 946. Zoltani 40.

XXXVII. Zoltanus, ſiue quod affecta valetudine, quod tot clades innuere videntur, ipſe fuerit, ſiue quod videre filium, ſupremo iure ſuis dominantem, pulchrius omni regno cenſuerit, vxorem Toxo Cumanam accepit, ac in eum ſupremi principis dignitatem et poteſtatem, proceribus ac militibus in eiusdem verba iurare coactis, viuens transtulit. (*b*)

§. IV.

TOXVS, DVX IV.

Coepit A. C. 947. deſiit A. C. 972.

XXXVIII. Poſtquam Zoltanus, ſeu morbis fractus, ſeu videndi ſucceſſoris filii cupidus, ſupremum Hungariae principatum in eum transtuliſſet; Toxus, vt erat ingenii praeferocis aetatisque viuidae, natus annos 17. initia principatus illuſtri facinore condecoraturus, quo primum arma conuertere deberet, deliberare coepit. Viciniſſima quidem Bauaria fuit; ſed occurrebat, excurſiones illuc ſuſceptas plerumque male ſucceſſiſſe Hungaris, ex quo Henricus Auceps, militibus ad omnem diſciplinam inſtitutis, multas arces et vrbes, veluti perpetuos aggeres, Hungarorum excurſionibus obiecit; ad quas expugnandas illi, ſtatariae pugnae nondum aſſueti, nec arte, nec machinis inſtructi fue-

(*a*) Hiſt. Cr. Duc. p. 383—388. (*b*) Anon. cap. 57.

fuerant. Quum igitur feliciores ſemper expeditiones in Italiam Hungari ſuſceperint; eamque mutuis partium ſtudiis, inter Lotharium, Hugonis filium, et Berengarium iuniorem excitatis, ſciſſam audiuerint; huc primus armorum impetus Toxo vertendus videbatur. Lupus Protoſpata Hungarorum in Italiam excurſionis ad hunc annum 947. meminit, quam Luitprandus, teſtis ſynchronus, ita deſcribit: (*a*) *Taxis, Hungarorum rex, magno cum exercitu in Italiam venit, cui Berengarius, non ex propria pecunia, ſed ex eccleſiarum ac pauperum collectione,* 10. *modios numorum dedit.* (*b*)

A. C. 948. *Toxi* 2.

XXXIX. Scriptores Byzantini pacem, quam Theophanis opera concluſam ad indictionem I. quae reſpondet anno 943. referunt, quinquennio duraſſe perhibent. Nunc igitur, elapſo foederis tempore, quod in numerato Hungari habebant, ſolitas incurſiones reſumſerunt, quarum occaſione duo duces, Porphyrogenito iam regnante, Conſtantinopoli baptismum ſuſceperunt. Eorum alterum Cedrenus Buloſudem, qui Bultsu Hungaris eſt, vocat, qui, baptismo ſimulate ſuſcepto, meritas perfidiae poenas in Auguſtano praelio dedit. Alterum Gylam, qui Gyula nobis eſt, appellat; quem in fide conſtantem perſtitiſſe, monachumque Hierotheum ſecum abduxiſſe, quo plures e popularibus eius opera Chriſti fidem amplecterentur, affirmat. (*c*) Schwartzius iſtinc initium conuerſionis Hungarorum repetit, et Gyulam Tranſſiluaniae principem fuiſſe, plu-

 ribus

(*a*) Libr. V. Cap. XV. (*b*) Hiſt. Cr. Duc. p. 390—394. (*c*) Edit. Ven. p. 498.

ribus oſtendit; (*a*) cuius poſtea filiam, Saroltam, Geiſa duxerit; id quod omnino cum anonymi teſtimonio congruit. (*b*) Hanc Saroltam, Chriſtianam Chriſtiani patris filiam, marito verae fidei ſenſum inſtillaſſe, dicere Schwartzius cum veritate poterat. At is, vltra limites eruditionis abripi ſe paſſus, omnem conuerſorum Hungarorum gloriam Latinis adimere Graecisque tribuere conatus, iis Hierotheum epiſcopum ingratiis obtrudit. Nulla ſane veſtigia vel conuerſionis per illum factae, vel epiſcopatus ipſius apud Hungaros exſtant. Nec eſt veriſimile, Hierotheum vmquam in Hungariam veniſſe. Gyulam enim, cum quo profectum illum Graeci tradunt, ſolius Tranſſiluaniae, non item Hungariae fuiſſe ducem, ex anonymo diſcimus. In Tranſſiluaniam igitur adductus Hierotheus, ſi quod operae pretium fecit; ad ſolos id Valachos, hodieque ritui Graecorum addictos, pertinuerit. Quo magis miror Schwartzium, qui Gyulam Tranſſiluaniae dumtaxat principem fuiſſe perhibet; Hierotheum tamen vltra Transſiluaniae limites promouet, Hungarisque primum epiſcopum obtrudit, vt apoſtolatus in Hungaria gloriam Latinis, quorum labores apoſtolicos hiſtoriae paſſim loquuntur, eripiat. Certe S. Stephanus in litteris abbatiae S. Martini datis 1001. diſſerte dicit, ante hanc abbatiam, nullum epiſcopatum in Hungaria fuiſſe. (*c*)

A. C. 949. *Toxi* 3.

XL. Magnum hoc anno luctum vniuerſae genti Hungarorum adtulit obitus Zoltani, qui, quod non plures, quam 53. annos aetatis numerarit, non

(*a*) Init. Rel. §. 30. 31. (*b*) Cap. XXVII. (*c*) Hiſt. Cr. Duc. p. 394—418.

non tam ſenio, quam morbo conſumtus, e viuis exceſſit. Eum anonymus *tertio anno regni ſui filii de ergaſtulo corporis viam vniuerſae carnis ingreſſum eſſe*, ſcribit; (*a*) locum igitur habere hic non videtur illa Hellii ſententia, qua Zoltani mortem deponit ad annum 901. (*b*) quum Porphyrogenitus, qui viuere deſiit anno 961. aetate ſua iam *omnes Arpadi filios mortuos fuiſſe* teſtetur. (*c*) Vix Hungari Zoltano, *quem omnes primates et milites Hungariae miro modo diligebant*, vt anonymus perhibet, parentarunt; quum, inferias illi ſollemniores daturi, rurſus ad arma prouolarunt; et anno quidem ſequente cladem aliquam ab Henrico, Bauariae duce, paſſi, rurſus alias prouincias anno 951. tentarunt, ad quem ita Flodoardus ſcribit: *Hungari, ab Italia, transſcenſis Alpibus, egreſſi, Aquitaniam ingreſſi ſunt; ibique tota paene demorati aeſtate, — per Italiam reuerſi ſunt in terram ſuam.* (*d*)

A. C. 955. Toxi 9.

XLI. Non alius apud ſcriptores vberior, non alius genti noſtrae funeſtior annus occurrit, quam 955. internecina Hungarorum ad Auguſtam clade notatus. Bellum enim, quod inter Ottonem I. eiusque filium Ludolphum ac generum Conradum exarſerat, in magnam illorum perniciem tandem deſiit. Quum enim ſuperioribus annis plures prouincias impune vaſtaſſent; quum, ſpoliis ingentibus domum relatis, eorum ſpe ceteros etiam ad nouam expeditionem accendiſſent; quum Germaniam, inteſtinis odiis agitatam, praedae totam patere putaſſent; quo maiore numero, quamdam Attilanorum

 tempo-

(*a*) Cap. LVII. (*b*) Adium. Mem. p. 244. (*c*) De adm. imp. C. 40. (*d*) Hiſt. Crit. Duc. p. 418—423.

temporum imaginem exhibituri, ſaga ſumſerunt, eo plures hoſtium gladiis occubuerunt. Gerardus pares numero copias numquam iis temporibus ab vllo viſas fuiſſe perhibet. (*a*) Tantus apparatus meliorem anni huius partem Hungaris eripuit, vt nonniſi poſt initium Iulii fatale ſibi bellum aggredi poſſent. Sub illud tempus legatos ad Ottonem miſerunt, ſpecie quidem inſtaurandae pacis; reipſa belli ciuilis euentum, quod ſub exitum anni ſuperioris finem accepit, ſpeculaturos. Et reuera Hungarorum exercitus, vix exſpectato reditu legatorum, Bauariam inundauit, ac omnibus ad Licum vsque fluuium euaſtatis; Auguſtam obſidione cinxit. Erat tunc Auguſtanus epiſcopus S. Vdalricus, qui quum armis tam ſacris, quam profanis vrbem aduerſus Hungaros defendiſſet; Otto, de periculo ſuorum ab Henrico fratre, Bauariae duce, iam antea certior redditus, obſeſſis ocius auxilium adtulit. Occurrerunt Hungari, ſoluta ciuitatis obſidione; quum iam Conradus, prius Hungarorum ductor, nunc hoſtis, Ottoni ſocero reconciliatus, legionem quartam, e Francis conflatam, regebat. Otto tres Bauarorum legiones in fronte conſtituit; ſed Hungari, transmiſſo Lico, primum legionem octauam, ad impedimenta relictam, inuaſerunt; eaque caeſa, ſeptimam et ſextam in fugam impulerunt. Hic Conradus periclitantibus adfuit; et victores quidem Hungaros vicit, ſed eorum ſagittis confixus, occubuit. Huius nomen Turotzium decepit, quum eum a Lehelio cornu ſublatum fabulatur. (*b*) Cum hoc Lehelio Bultsum, qui non alius eſt a Cedreni Buloſude, patibulo ſuſpenſum tradit. (*c*) De caede promiſcuae

(*a*) Vit. S. Vdal. C. 12. (*b*) Chr. P. II. C. 25. (*c*) Ibid. c. 55.

miſcuae multitudinis exteri multa ſcribunt, cuius iacturam Toxus, nouis colonis in regnum admiſſis, inſtaurauit. (*a*)

A. C. 972. Toxi 26.

XLII. Hungari, viribus Auguſtana clade vehementer attritis, leuiores quasdam in orientem excurſiones tentarunt; ſed facile reiecti, nihil porro memorabile, Toxo ſuperſtite, patrarunt. Hic hoc anno, quum iam aetatis 42. principatus 26. annum egiſſet, praematura morte deceſſit. Auo patreque ferocior, vtroque bellicis in expeditionibus infelicior, fractis ſuorum viribus, ab armis ceſſandi neceſſitatem ſucceſſori filio reliquit, *in villa Toxum vltra Danubium ſepultus.* (*b*)

§. V.

GEISA, DVX V.

Coepit A. C. 972. deſiit A. C. 997.

XLIII. Geiſam anno 972. Toxo patri ſucceſſiſſe, ſequentis ſeculi ſcriptor, Aloldus, teſtatur. *Hunc,* inquit, (*c*) *gratia DEI praeuenit, vt prudens conſideraret mala maxima, quae ſua gens tot aliis regionibus intulit, et crudeles ſtrages, quas ipſa viciſſim paſſa eſt; et ideo in pace maiorem ſpem habuit. Igitur admiſit conſilium, ſibi a DEO in animo inſpiratum; et propoſuit formare Pannoniam ſuam in remp. et illam ditare non amplius iniuſtis praedis,*

(*a*) Anon. C. 57. Hiſt. Cr. Duc. p. 423—477. (*b*) Turotz. P. II. C. 42. Hiſt. Cr. Duc. p. 477—499. (*c*) Ad A. C. 972.

dis, ſed licitis lucris. Et quia terram ſuam nouit eſſe bonam et fertilem; ſuaſit genti ſuae, vt arma deponeret, et merces ſuas potius vicinis diſtraheret, quas ſibi prouincia ſua copioſe germinaret. Otto M. vbi his ſtudiis intentum eſſe Geiſam intellexit; Brunonem, epiſcopum Verdenſem, legatum ad eumdem deſtinauit. (*a*)

A. C. 973. Geiſae 2.

XLIV. Poſtquam Geiſa ſuos itidem legatos ad Ottonem miſit; pacem inter hos principes ea conditione fuiſſe compoſitam, vt euangelii praeconibus aditus in Hungariam aperiretur, diſcimus ex Piligrini, Paſſauienſis epiſcopi, litteris, ad Benedictum VI. hoc anno datis, quibus inter cetera ſcribit: (*b*) *A neophyta Hungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto ſub occaſione pacis fiduciam ſumſimus, operam exercere praedicationis.* Hoc igitur Otto legatione ſua ſpectabat; in hoc pactum foedus inter illum et Geiſam coaluerat; in hanc conditionem non inuitus Geiſa deſcenderat, de quo Carthuitius, S. Stephani biographus, ita loquitur: (*c*) *Statuit inſuper praeceptum, cunctis Chriſtianis, ducatum ſuum intrare volentibus, hoſpitalitatis et ſecuritatis gratiam exhiberi: clericis et monachis poteſtatem conceſſit, ſuam praeſentiam adeundi: quibus voluntarium libenter aditum praebens, orthodoxae fidei ſemen, pectoris in horto ſatum, delectabatur germen emittere.* Hic fuit effectus legationis Ottonis, effectus recens initae pacis, quam Geiſa tam ſancte cuſtodiuit etiam poſt obitum Ottonis I. nonis Maii ſubſequutum eodem hoc anno 973. vt euocatis ad ſe

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 508—509. (*b*) Ap. Timon. Imag. A. H. l. 3. c. 7. (*c*) Ed. Prai. p. 119.

ſe verae fidei praeconibus omnem hoſpitalitatem et ſecuritatem exhiberi voluerit, ipſeque ſuum in conſpectum eosdem admiſerit, ac pronis auribus audiuerit. Tantum vero ſtudium Chriſtianae religionis admittendae vix aliunde, poſt Ottonis conatus, repeti poteſt, quam a Sarolta, Chriſtiana Gyulae filia, *qua duce erat Chriſtianitas coepta.* (*a*)

A. C. 974. Geiſae 3.

XLV. Et Ottonis auctoritate, quae grandis apud omnes eo tempore fuit, et vxoris aſſidua cohortatione, quae plurimum apud maritum ſemper potuit, inductus Geiſa, Piligrinum in Hungariam ad praedicandam Chriſti fidem inuitauit: qui ſimul hanc inuitationem intellexit, ſimul ad Chriſtianae doctrinae ſementem ſpargendam ſtrenuas e canonicis et monachis operas in Hungariam miſit. Tanta vero meſſis in agro nouello per hos operarios collecta fuit, vt, anno nondum circumacto, quinque millia capitum ſacri fontis aſperſione coetui Chriſtianorum aggregarentur. Maior tamen fructus ad illos Chriſtianos pertinuit, quos Hungari per tot excurſiones ex variis Europae prouinciis in miſerrimam ſeruitutem abripuerant. Quum enim his nulla prius vel templorum, vel ſacrorum copia fuiſſet, nunc, abſterſo metu, certatim et proles ad ſacrum lauacrum, et manus ad exſtruenda DEO vero templa conferebant. Tam fauſtis Chriſtianae religionis initiis laetus Piligrinus, gaudium ſuum cum ſummo pontifice, datis ad eum litteris, communicauit. Vtrum iſti verae religionis praecones idioma Hungaricum iam antea calluerint; an Hungari Teutonicum a vicinis Germanis vel Chriſtianis captiuis prius edocti fuerint,

(a) Biogr. S. Adalb. cap. 5. Hiſt. Crit. Duc. p. 509—513.

rint, an per interpretes egerint, incertum eſt. Forte tasse iam tunc Hungari, ſaltem nobiliores, e quibus illa quinque millia, ſacro latice tincta, fuere, linguam Latinam, quam gens iſta ſemper familiariſſimam habuit, condidicerunt. Hanc enim neceſſitatem iis impoſuit ignorantia linguarum Europaearum, vt commune ſingulis gentibus idioma familiare ſibi redderent, cuius beneficio ſermones cum populis adeo diuerſis miſcere poſſent. Quod vnum vtilitatem ac neceſſitatem Latinae linguae ſatis oſtendit. Quum autem Latinorum incredibile ſtudium in conuertendis Hungaris ex Piligrini litteris eluceat; nullum contra Graecorum in Hungaria praedicationis veſtigium appareat; qua fronte Schwartzius gloriam conuerſionis Hungarorum Graecis audet adſcribere? Benedictus, a Piligrino de hac Hungarorum conuerſione certior redditus, datis ad Germaniae principes et praeſules litteris, gaudium ſuum explicuit, ac ſuperiorem Pannoniam eccleſiae Salisburgenſis, inferiorem Laureacenſis iuribus addixit. (*a*)

A. C. 975. Geiſae 4.

XLVI. Nondum Geiſam baptizatum fuiſſe, quum epiſtolam illam Piligrinus ad pontificem ſcripſerat, ex eiusdem ſilentio colligitur. Quum enim quinquies mille nobiliores Hungaros ſalutaribus vndis ablutos commemorat; non erat ſilentio preſſurus ſpolium omnium nobiliſſimum, ducis ipſius baptismum; ſi iam tunc illi collatus fuiſſet. Neque duobus annis conſequentibus Geiſam ſacro fonte luſtratum eſſe, veriſimillimum eſt. Nam laetiſſima religionis inter Hungaros initia mox bellum, quod Henricus, Ba-

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 514—557.

Bauariae dux, cui Hungari fauebant, aduerſus Ottonem II. cui Piligrinus adhaeſerat, conflauit, anno hoc turbare coepit. Illis enim, quos Piligrinus in Hungariam miſerat, ſolum vertere coactis, omnis eius in conuertendis Hungaris conatus, armis vndique circumſtrepentibus, in irritum recidit. (a)

A. C. 977. Geiſae 6.

XLVII. Omnibus turbis in Bauaria compoſitis, Otto II. Laureacenſis archiepiſcopi dignitatem, bellorum tumultibus adhuc ſuſpenſam, caeſareis litteris confirmauit. Piligrinus, iam prius a Benedicto P. M. ſibi conceſſum, nunc etiam Ottonis diplomate ſtabilitum ius metropolitanum in ſalutem Hungarorum exſerturus, euangelicos operarios ad repetendam in Pannonia meſſem, bello Bauarico tantisper interceptam, dimiſit. Nunc igitur, vt Carthuitii verbis vtar, (b) *adeſt tempus, caelitus diſpoſitum: credidit ipſe* Geiſa *cum familiaribus ſuis, et baptizatus eſt; et omnes, ditioni ſuae ſubditos, ſe pollicens Chriſtiano nomine mancipaturum.* Hoc illud eſt feliciſſimum tempus, quo Geiſa pacis, quinquennio prius initae, fructum optatiſſimum tulit, vt Aloldus in ſuis notulis obſeruat. *Geizza vero Hungarus*, inquit ille, (c) *pacis fructum dulciter quoque guſtauit; dum ſequentibus annis illuſtratus lumine fidei, agnouit verum dominum ac DEVM IESVM Chriſtum. A cuius deinde filio Stephano Hungaria in regnum florens et Chriſtianum tranſiuit. Laudemus mirabilem DEVM et vere magnum dominum noſtrum, qui, peccatis hominum per maxima mala* lon-

(a) Hiſt. Crit. Duc. p. 558—560. (b) Edit. Prai. p. 119.
(c) Ad an. 980.

longo tempore caſtigatis, miſericordiam tandem ſuperexaltauit iudicio; et conuertens corda regum, quae ſunt in manu ſua, populis fecit ſolem oriri. (a)

A. C. 978. Geiſae 7.

XLVIII. Geiſa, quum baptismum ſuſcepiſſet, pollicitus, ſe praeſtiturum, vt omnes, ditioni ſuae ſubiecti, Chriſtianam religionem amplecterentur; maiores, quam animo praeceperat, in ea re difficultates experiebatur. Nec id mirum videri debet in tanta religionis mutatione, quae tunc Hungaris, Chriſtianos alias vexare ſolitis, imperabatur. Nam etſi non ignoremus, ſectas eiusmodi, quae ſenſibus et carni blandiuntur, caelumque vix non dormientibus pollicentur, facillime propagatas eſſe; nemo tamen diffiteri poteſt, plus difficultatis habere propagationem religionis, ſenſibus inimicae carnique contrariae, quae bonorum operum ſtudium, ieiunia, corporis afflictationes, voluptatum, honorum, diuitiarum contemtum praecipiat, rapinasque, quibus Hungari gentiles inſueuerant, prohibeat. Angebatur Geiſa, quod apud ſuos difficilius inolita populandi conſuetudo coerceri poſſet, lentiusque negotium conuerſionis procederet: quumque ſuos conatus in abolendis ritibus ſuperſtitioſis piisque ſtabiliendis, quod epiſcopatuum erectione fieri debebat, irritos videret; eaque cura tam anxius eſſet, vt, nimio difficultatum timore perculſus, de ſucceſſu paene deſperaret; diuina miſericordia hanc formidinem depellere voluit, eumque per internuncium ſuum monuit, vt bene coepta non omitteret; etiamſi non ſtatim ad perfectionem perduci poſ-

(a) Hiſt. Crit. Duc. p. 561—564.

poſſent. (*a*) Non multo poſt alia viſio Saroltae fuit oblata, qua naſciturus ei filius a S. Stephano protomartyre praedicebatur, Stephanique nomen eidem imponi iubebatur. Vtramque hanc viſionem Schwartzius oppugnat; (*b*) ſed vtramque Stiltingus egregie propugnat. (*c*) Viſiones omnes Schwartzium reiicere, non exiſtimo; nec eum ignorare puto, DEVM in adducendis ad Chriſti fidem gentibus plerumque prodigiis vſum fuiſſe. Nec poteſt opportuna reddi ratio, cur eorum filio Stephani nomen inditum ſit, niſi recipiatur haec viſio. Cur enim a parentibus Hungaris Graecum nomen, quod coronam Latine ſignificat, datum fuiſſet; niſi dicta viſio monitioque praeceſſiſſet. (*d*)

A. C. 979. Geiſae 8.

XLIX. Poſt viſiones iſtas, S. Stephani parentibus oblatas, eius natiuitatem Carthuitius ita refert: (*e*) *Naſcitur interea praedictus a domino filius principi; quem ſecundum prophetam, antequam in vtero conciperetur, dominus nouit; et cui, antequam naſceretur, per protomartyrem ſuum nomen indidit.* Non exprimit hic annum natalem S. Stephani, quem Turotzius defigit ad an. 969. Baronius ad 989. Hellius ad 979. qui nobis prae ceteris arridet. Hac enim via geminos ſcopulos euitari poſſe cenſemus, in quos illi, qui plures vel pauciores annos S. Stephano tribuere ſolent, impingunt. Nam, ſi S. Stephanus in lucem editus eſt anno 989. octennis fuiſſet; quum patri ſucceſſiſſet anno 997. vndecim annos natus;

(*a*) Carth. Ed. Pr. p. 119. 120. (*b*) Init. Rel. §. 11. 12. 13. 14. (*c*) Act. SS. Sept. T. I. n. 111.—114. (*d*) Hiſt. Crit. Duc. p. 564—577. (*e*) Edit. Prai p. 122.

natus; quum bello cum Cupa terminato, deſignatisque ſacerdotiis ac aliis egregie cogitatis atque factis, a Silueſtro II. dilaudatus fuiſſet anno 1000. Nemo non videt, has actiones puero non conuenire. Certe Carthuitius teſtatur, (*a*) S. Stephanum ante patris obitum *gradum adoleſcentiae primum aſcendiſſe*; nondum autem adoleſcens, ſed puer ſeptennis aut octennis ante patris obitum in ea ſententia fuiſſet. Atque hic idem Carthuitii locus euertit eam ſententiam, quae S. Stephani natalem deponit ad an. 969. inter hunc enim et 997. annum, quo S. Stephanus patri ſucceſſit, non 15. anni, qui primum adoleſcentiae gradum conſtituunt; ſed 28. qui iam iuueni conueniunt, intercipiuntur. In noſtra ſententia S. Stephanus, quum patri ſucceſſit, vndeuiceſimum; quum a Silueſtro II. litteras accepit, alterum aut tertium ſupra viceſimum aetatis annum agebat. Et idoneus igitur rebus gerendis erat, et pueritiae metas ante patris obitum exceſſerat, et adoleſcentiae, non item iuuenilis aetatis, annos attigerat. (*b*)

A. C. 994. Geiſae 23.

L. Ceterum idem Carthuitius, cuius teſtimonio hic nitimur, nobis contrarius his verbis, poſt memoratam S. Stephani natiuitatem ſubiectis, eſſe videtur: (*c*) *Hunc DEO dilectus Adalbertus epiſcopus chriſmali baptiſmate, ſecundum credulitatis ſuae veritatem, intinxit.* Nam, ſi S. Adalbertus, quum iam epiſcopus fuiſſet, S. Stephanum ſacro latice tinxit; id ante 983. annum, quo Veronae conſecratus eſt epiſcopus, fieri non potuit. At enim dici quidem

poſſet,

(*a*) Edit. Prai. p. 123. (*b*) Hiſt. Crit. Duc. p. 577—58.. (*c*) Edit. Prai. p 122.

poſſet, id ab Adalberto, nondum epiſcopo, factum eſſe; vocarique per prolepſim hiſtoricam epiſcopum, qui poſtea factus ſit epiſcopus; ſi vellemus aſſerere, S. Stephanum mox poſt natiuitatem vndis ſalutaribus aſperſum fuiſſe. Nos tamen opus hoc effugio non habemus, qui S. Stephanum a S. Adalberto, iam tunc epiſcopo, verum adultiorem, ſacro fonte luſtratum eſſe cenſemus. Quotquot enim auctores S. Stephanum vel conuerſum ſcribunt, vel occaſione matrimonii, cum Giſela Bauara contracti, baptizatum tradunt; ii quidem omnes, eumdem initio ſtatim Chriſtianum non fuiſſe, ſatis ſuperque teſtantur. Iam vero plerique veteres S. Stephani baptismum his phraſibus exprimunt, his nuptiarum adiunctis circumſcribunt. Omnium antiquiſſimus Hermannus Contractus, viuente S. Stephano natus anno 1013. de ſancti regis *conuerſione*, quae non infanti, ſed iam adultiori conuenit, ita loquitur: (*a*) *Huius* (Henrici) *ſoror Giſela Stephano, regi Hungarorum, quum ſe ad fidem Chriſti conuerteret,* — — *in coniugium data.* Praeter grauiſſimos alios ſeculi XI. XII. XIII. ſcriptores, Eugenius III. ceteras inter cauſſas canonizationis S. Henrici, *conuerſionem regis Stephani,* — *per eum factam*, numerat. (*b*) Carthuitius ipſe, quum ait, S. Stephanum baptismate, *ſecundum credulitatis ſuae veritatem*, intinctum eſſe; ſatis innuit, eius aetatis S. Stephanum fuiſſe, quum baptismum ſuſcepiſſet, vt iam ipſe fidei ſuae veritatem aſſequi potuerit, et pro ſe patrini loco reſponderit. Cauſſa baptismi tamdiu dilati fuit, quod Hungari, Mellicio depulſi, cum Germanis implacabiles iras ſuſceperint, et omnem rurſus in Hungariam aditum euangelii praeconibus clauſerint: qui

quod

(*a*) Ad an. 995. (*b*) Act. SS. Iul. T. III. p. 716.

quod coeptis imponere coronidem non potuerint; ipſe Geiſa, deſtitutus inſtitutione plena, putabat, officio hominis Chriſtiani non repugnare, ſi ſimul idola cum vero DEO coleret. (*a*)

A. C. 995. Geiſae 24.

LI. Opportune S. Adalbertus, a Bohemis ſuis repetitus, iter per Hungariam agebat, cum vt hunc eidem errorem eximeret, tum vt S. Stephanum ſalutari lauacro tingeret. Quum enim hic quintum decimum aetatis annum attigiſſet, adeoque *transacta pueritia, gradum adoleſcentiae primum aſcendiſſet;* Geiſa ſimul fidei ſacramentum a ſuis in eum exegit, ſimul ſponſam ei Giſelam, Bauariae ducis filiam, deſtinauit. Sed quia haec obtineri non potuit, niſi Stephanus Chriſtianis ſacris prius initiaretur; obicem hunc S. Adalbertus aduentu ſuo feliciter ſuſtulit; nihilque iam obſtitit, quominus S. Stephanus, 17. annos natus, adeoque hymenaeo iam maturus, nuptias hoc anno 995. ad quem earumdem Hermannus Contractus meminit, iniuerit. (*b*)

A. C. 997. Geiſae 26.

LII. Iam Geiſa cultum ſuperſtitioſum, quem antea patriis etiam diis impendebat, eiurauit; iam ſolum DEVM verum, cuius cultum antea profanauerat, adorauit; iam plures e vicinis populis ſacros profanosque viros, quorum opera facilius ad Chriſti fidem populares ſuos traduceret, euocauit; iam etiam celeberrimum in monte Pannoniae coenobium, quod virorum apoſtolicorum quoddam quaſi ſeminarium eſſet, inchoauit; quum in medio piorum cona-

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 582—650. (*b*) Ibid. p. 651—659.

conatuum curſu viuendi finem hoc anno fecit; (*a*) eaque, quibus fundamenta iacere coepit, Stephano filio perficienda, prout in viſione praedictum erat, reliquit; tanto melius de Hungaris, quam progenitores, meritus, quanto melioris boni, pacis et ſalutis, fundamenta poſuit. (*b*)

§. VI.

S. STEPHANVS, DVX VI.

Coepit A. C. 997. *dux eſſe deſiit A. C.* 1000.

LIII. Stephanus, 19, annos natus, quum patri pleno iure ſucceſſit, quid egerit, vt fidei Chriſtianae vexillum altius erigeret; quomodo paci cum vicinis principibus, quam pater defunctus conciliauerat, conſeruandae ſtuduerit, vt ad ſeditioſos comprimendos plus virium haberet; fuſe Carthuitius perſequitur. *Poſt obitum patris*, inquit, (*c*) *Stephanus, adhuc adoleſcens* (ſi natus fuiſſet an. 969, iuuenem, ſi 989. puerum dicere debebat) *fauore principum et plebis in patris ſolium laudabiliter prouectus, et ardentiori animo coepit veritatis propagator exſiſtere.* cet. Sed non multum temporis ab obitu patris effluxit; quum tenellus princeps ad arma prouolare coactus eſt. Deſpiciebatur nempe tenerior eius aetas, quae magis, quam Geiſae dignitas, ipſo iam vſu corroborata, ſperabatur iniuriis obnoxia. Primus impetus videbatur exſertus in Germanos, quos in Hungariam Geiſa receperat. Id enim

(*a*) Carthuit. Ed. Pr. p. 124. (*b*) Hiſt. Crit. Duc. p. 659—684. (*c*) Edit. Prai. p. 125.

enim innuunt haec S. Stephani verba, litteris abbatiae S. Martini datis inſerta: *Inter Teutonicos et Hungaros ſeditio maxima excreuerat.* Inuidiam nempe Hungaris mouerit, quod Germanos, homines nouos, ampliſſimis latifundiis donatos, inſignibus honorum praerogatiuis ornatos, ſibique praelatos conſpicarentur. Acuerit eorum indignationem, qui Chriſtiana ſacra deteſtabantur, quod horum opera tam Geiſa prius, quam nunc Stephanus ad eradicandum ex Hungaria deorum cultum vteretur. His igitur, quas putabant, iniuriis inſtincti, furorem ſuum in eos expromſerint; non eorum, non ipſius ducis praediis, vt Carthuitius perhibet, pepercerint; nonnullos etiam ſeruos, ex aduenis conflatos, interemerint. Sed tumultum hunc potius, quam bellum fuiſſe; nec multo poſt repreſſum, inde patet, quod laudati Germani deinceps etiam in Hungaria perſtiterint. (*a*)

A. C. 998. Stephani 2.

LIV. Defuiſſe videtur ſeditioſis dux idoneus, qui ne porro deſideraretur; Cupa, Calui Zirindi filius, Simeghienſis prouinciae praefectus, caput ſe rebellibus obtulit. Hic primum per cuniculos rem aggreſſus, vt Stephanum principatu certius deturbaret, Geiſae viduam in coniugium depoſcebat. (*b*) Quum has ille Saroltae nuptias ambiuit; conſilium ſuum, Stephanum perdendi Chriſtique fidem euertendi ſtudioſe texit; neque tamen ita tegere potuit, vt a ſagacioribus non intelligeretur, ac idcirco connubium a Stephani matre reiiceretur. Hanc Geiſae viduam Stiltingus S. Stephani non matrem, quod Hungari, ſed nouercam, quod Poloni ſcriptores tra-

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 690—703. (*b*) Turotz. P. II. cap. 28.

tradunt, fuiſſe cenſet. At enim eas hi res Adelheidi, quam ſecundam Geiſae coniugem tribuere conantur, affingunt, quae cum vetuſtioribus hiſtoricis conciliari minime poſſunt. Cum his enim manifeſte pugnat, Geiſam anno 970. cum Hungaris Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe, ſecundoque coniugio iam tunc illigatum, ex priore S. Stephanum ſuſtuliſſe. Poſtquam Cupa, ſpe nuptiarum deiectus, clamdeſtinis molitionibus ſe nihil proficere vidit; in apertam vim tandem prorupit. Et quia bello huic auitas maiorum ſuperſtitiones praetexuit; nullo negotio plurimos ex iis Hungaris, qui patrios ritus abolitos aegre ferebant, in ſuas partes pellexit. (a) Quum apparatu bellico tota late Hungaria perſtreperet; ac iſtis ad Cupam, patriae ſuperſtitionis defenſorem; his ad Stephanum, Chriſtianae religionis propugnatorem, vndique conuolantibus, magnum vtrimque certamen inſtaret; ſanctus dux, ciuium ſanguini parſurus, multa prius, quam in arenam deſcenderet, tentauit, vt ſeditioſos ad officium fidemque iuratam reuocaret. *Quumque declinare de via ſua peruerſa nollent*, vt Carthuitius ait, (b) *nec furor eorum ſatiaretur; dux ipſe, confidens de aeterna virtute, ad ſuperandam hoſtium rabiem, cum multitudine exercitus ſui, ſub vexillo DEO dilecti pontificis Martini, ſanctique martyris Georgii, proceſſit.* Hos iſte belli praeſides, quum illi Martem et Herculem, ſibi delegit; Georgium quidem, prius profanum, deinde purpuratum Chriſti militem; Martinum autem, natione Pannonem: quem vt in ſua vota facilius flecteret; ſollemnibus verbis promiſit, ſe, ſi victoria potiretur, decimas omnium rerum prouinciae Simeghienſis eius honoribus dicaturum

 eſſe.

(a) Carthuit. Edit. Prai. p. 125. (b) Edit. Prai. p. 126.

eſſe. Inter praecipuos duces a Turotzio nominantur *Hunt et Paznan, qui S. Stephanum regem in flumine Garam gladio, Teutonico more, accinxerunt.* (*a*). Vigebat enim ea tempeſtate pium inſtitutum, principum filios, vbi militarem aetatem attigiſſent, ſacras inter cerimonias militari gladio praecingendi. Hoc eodem ritu S. Stephanum nunc initiatum fuiſſe, Turotzius etiam alibi refert, idque rurſus ad Granum amnem factum eſſe docet; (*b*) ibi fortaſſis, vbi nunc ad Been veſtigia veterum caſtrorum apparent. Hic enim exercitus, ab hoſtibus Danubio diſcretus, tutius et colligebatur, et inſtruebatur. Hic igitur S. Stephanus duos illos ſpectatae virtutis et fidei duces, Huntium, et Paznanum, corporis ſui cuſtodes delegit; Venceslaum autem ſeu Vencellinum Alemannum vniuerſis copiis praefecit. Apparet hinc praecipuos Hungariae proceres ad Cupam defeciſſe; quum S. Stephanus ſe ſuasque copias externis credere coactus fuerit. Apparet etiam, prouide patrem eius externa haec auxilia iam prius in Hungariam acciuiſſe, ſine quibus ex tanto diſcrimine Stephanus vix ſaluus euaſiſſet. Nec eſt dubium, nouas affini copias Henricum ſubmiſiſſe, quibus is auctus, quum iam hoſtis Veſprimium obſidione preſſiſſet, cum exercitu Danubium traiecit. Conſertis manibus, anceps aliquamdiu praelium fuit; donec Vencellinus, in obuium Cupam inuectus, caput ei demeſſuiſſet. Tum vero ſeditioſi, duce iam deſtituti, nihil ex ordine agere, pugnam remittere, fugam arripere. Neque ſanctus dux fugientes perſequi, neque ſupplicibus indignari; contentus, arma ciuibus excutere, mentemque victis ſaniorem reddere. Ne tamen in alios vis exempli peſſimi ſerperet; vindicis

(*a*) Chron. P. II. cap. 13. (*b*) Ibid. cap. 28.

cis ſcelerum iuſtitiae documentum popularibus editurus, Cupae cadauer quadrifariam diuidi paſſus eſt; vtque terror latius ſpargeretur; vnam ſecti corporis partem Strigonium, alteram Veſprimium, tertiam Iaurinum, quartam in Tranſſiluaniam mitti, portisque ciuitatum affigi, non tam iuſſit, quam ex aliorum conſilio permiſit. (*a*)

A. C. 999. *Stephani* 3.

LV. S. Stephanus, hoſtium metu liberatus, omnem porro conatum eo conuertit, vt armorum terrore ſubactos populares ſuos ad deteſtandum ac abiiciendum inanium ſimulacrorum cultum, veramque Chriſti religionem amplectendam, adduceret. Pias induſtrias, quibus in eam rem vſus eſt, Carthuitius fuſe deſcribit. (*b*) Ex iis apparet, quam imperfecta Hungarorum conuerſio ſub Geiſa fuerit; quam difficilem in hoc negotio prouinciam pater filio reliquerit; quam merito S. Stephanus, qui tantum in vera religione propaganda ſtabiliendaque deſudauerat, apoſtolici regis appellationem abſtulerit. Poſtquam autem, poſt impenſos conuertendis Hungaris labores apoſtolicos, laetiſſimum vbique fructum prouenire vidiſſet; maturum iam ac opportunum hoc tempus eſſe cenſuit, quo conſilium Ottonis expleret; in certas portiones omnem Hungariam diſcriminaret; idoneos ſingulis epiſcopos ac paſtores deſignaret; eorum confirmationem ac regiam coronam ab apoſtolica ſede poſtularet. *Imperatoris autem praedicti gratia et hortatu*, ſcribit Ditmarus, (*c*) *gener Henrici, ducis Bauariorum, Waic* (ante baptiſmum hoc S. Stephano nomen erat)

(*a*) Hiſt. Crit. Duc. p. 704—723. (*b*) Ed. Prai. p. 127. (*c*) Ann. Libr. IV.

erat) *in regno ſuo epiſcopales cathedras faciens, coronam et benedictionem accepit.* Carthuitius numerum epiſcopatuum ita deſignat: (*a*) *Prouincias in decem partitus epiſcopatus, Strigonienſem eccleſiam metropolim. et magiſtram ceterarum fore conſtituit.* Ex his Carthuitii verbis deduci quidem, clare non poteſt, extra numerum decem epiſcopatuum Strigonienſem metropolim collocandam eſſe; breuiarium tamen eccleſiae tam Romanae, quam Hungaricae diſſertis hisce verbis id indicat: (*b*) *Archiepiſcopatum Strigonienſem et decem epiſcopatus in Hungaria conſtituit.* Huic vetuſtiſſimae traditioni maiorum innixi, S. Stephanum vndecim dioeceſium auctorem eſſe ſtatuimus, quarum quatuor vltra Danubium ſuas ſedes habent: *Strigonienſis*, *Iaurinenſis*, *Veſprimienſis*, *Quinqueeccleſienſis*; totidem intra Danubium, et Tibiscum: *Batſienſis*, *Colocenſis*, *Vacienſis*, *Agrienſis*; vltra Tibiscum duae: *Tsanadienſis* ad Maruſium, *Varadinenſis* ad Chryſium; his *Tranſſiluanienſis* accedit, (*c*)

A. C. 1000. *Stephani* 4.

LVI. S. Stephanus, deſignatis vndecim ſacerdotiis, vt haec rata Romanus pontifex, a quo ſacrae iurisdictionis omnem vim propagari non ignorabat, haberet, Aſtricum, aliter dictum etiam Anaſtaſium, Romam oratorem miſit. Fruſtra Schwartzius contendit, (*d*) *Stephanum regem ſuo conſilio ſuaque propria auctoritate archiepiſcopen, epiſcopatus, abbatias aliasque praelaturas condidiſſe; et quibus viſum ipſi eſt, immunitatibus donaſſe.* Reclamat ipſe S. Stephanus, in litteris, quas coenobio Bakonbeelienſi

(*a*) Edit. Prai. p. 130. (*b*) Lect. VI. (*c*) Hiſt. Crit. Duc. p. 723—743. (*d*) Init. Relig. p. 61.

lienſi datas ad annum 1037. produximus (*a*) ita loquutus: *Sicut habui poteſtatem, vt, vbicumque vel in quocumque loco vellem, eccleſias aut monaſteria conſtruerem; ita nihilominus a Romanae ſedis ſupremo pontifice habui auctoritatem, vt, quibus vellem, eccleſiis ſeu monaſteriis libertates et dignitates conferrem.* Hoc loco ſanctus rex inter poteſtatem eccleſias aut monaſteria conſtruendi, quod priuatorum etiam eſſe poteſt, ac auctoritatem eccleſiis aut monaſteriis libertates et dignitates conferendi, quam a Romano pontifice habuit, accurate diſtinguit. Vtque neceſſarius ad hoc pontificis conſenſus erat; ita neceſſarius non erat ad eccleſias conſtruendas. Nec ad id impetrandum Romam Aſtricum miſit, ſed vt pontifex (verba ſunt Carthuitii) (*b*) *Strigonienſem eccleſiam in metropolim ſuae ſubſcriptionis auctoritate ſanciret, et reliquos epiſcopatus ſua benedictione muniret.* Atque hoc erat primum legationis huius caput; alterum idem Carthuitius mox ita ſubiicit: *Regio etiam dignaretur ipſum diademate roborare, vt, eo fultus honore, coepta per DEI gratiam poſſet ſolidius ſtabilire.* (*c*)

LVII. Priusquam Aſtricus Romam appuliſſet; petendae pariter coronae gratia Poloniae legati iam prius eodem aduenerant. Praefuit tunc eccleſiae Romanae Silueſter II. qui pridie, quam Aſtricus adfuiſſet, per angelum nocturno ſomno praemonitus, vt diadema, quod Poloniae duci conſtituerat, Pannoniae duci, cuius legatus poſtridie venturus eſſet, mitteret, auide huius aduentum exſpectabat; quum ecce! deſideratus ignotae gentis legatus adeſt. (*d*)

 Eius

(*a*) Hiſt. Cr. Reg. T. I. p. 441. (*b*) Edit. Prai. p. 130.
(*c*) Hiſt. Cr. Duc. p. 744—747. (*d*) Carth. Ed. Prai. p. 132.

Eius poſtulatis facile pontifex annuit; immo non tantum conflatam ex auro ſolido coronam eidem contulit; ſed etiam poteſtatem eccleſias ordinandi, ac in huius poteſtatis ſignum crucem quoque praeferendam ei per Aſtricum miſit. Singularis haec eſt praerogatiua, qua Hungariae reges, prae ceterarum prouinciarum principibus exornati, hodieque fulgent. Hanc praerogatiuam aliaque, quae nunc e Carthuitio recenſuimus, elegantibus Silueſter litteris, quas ad Stephanum deferendas Aſtrico tradidit, 27. Martii hoc anno 1000. complexus eſt. Schwartzius ſicut epiſtolam hanc impugnat; ita coronam a Romano pontifice miſſam fuiſſe negat. Sed vanum eſt, quod oggerit, (*a*) autographam non produci; quum paſſim etiam apographis tabulis fides adhiberi ſoleat. Quod autem in Tragurienſi tabulario hae litterae iam non reperiantur; perperam arguitur, nec olim ibidem repertas et eodem repoſitas fuiſſe; quum variis modis deperdi poſtea potuerint. Suppoſitas non eſſe, Stiltingus probat ex ſtili conformitate cum aliis Silueſtri litteris, et phraſibus indidem a Carthuitio depromtis. (*b*) Nam dicta duorum, loci temporisque ſpatio diſiunctorum, temere concurrere non poterant; niſi quaedam alter ab altero hauſerit. Atqui dicta Silueſtri II. qui Romae has litteras dedit anno 1000. et Carthuitii, qui ſeculo tardius vitam S. Stephani regis in Hungaria ſcripſit, concurrunt. Vel igitur Carthuitius e Silueſtri litteris quaedam hauſit, vel e Carthuitio Silueſtri litterae ſunt compoſitae. Sed componi non poterant e Carthuitio, qui nec Silueſtri nomen, nec alia multa, quae litteris illis continentur, habet. Nec ex epiſtolis Gregorii VII. quae poſt Inchoffe-

(*a*) Init. rel. §. LII. (*b*) Vit. S. Steph. n. 248.

choſſerum ſunt in lucem eductae. Certe ſi hic Inchoffer has litteras compoſuiſſet; iis, quae mendoſe prius ſcripſerat, contraria non illis inſeruiſſet. Ac Inchofferum quidem ab hac impoſturae ſuſpicione plerique iam abſoluunt, eique Leuakouichium, qui confictas haſce litteras illi tradiderit, ſubſtituunt. At enim, ſi Leuakouichius augendorum, vt iactatur, Romanae curiae iurium cauſſa has litteras procudit; ſi cauſſa coarctandae regum Hungariae poteſtatis in eccleſiaſticis dignitatibus conferendis easdem confinxit; imprudentiſſime haec illis inſeruit: *Eccleſias regni ſui, praeſentes et futuras, noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum vice, diſponere atque ordinare, apoſtolica auctoritate, ſimiliter conceſſimus.* Atque haec vna fuit potiſſima ratio, cur Leuakouichius ad card. Aldobrandinum ſcripſerit, ſe citra conſenſum eius vulgare has litteras auſum non fuiſſe. (*a*)

LVIII. Coronam quoque Shwartzius negat eſſe munus pontificis Romani, ſed imperatoris potius Graeci. Verum affirmant vetuſtiſſimi ſcriptores; affirmant ipſi Hungariae reges; num grauiſſimo horum teſtimonio nouicium Schwartzii commentum praeualere poteſt? Praeter domeſticum Carthuitii teſtimonium, Ditmarus, vt ſupra vidimus, aſſerit, Ottonis imp. hortatu S. Stephanum *coronam et benedictionem accepiſſe.* Quis vero ſanus admittat, vel Ottonem hortatum fuiſſe Stephanum, vt a Graeco potius imperatore, quam a ſe, coronam accipiat; vel Graecum imperatorem Stephano benedictionem miſiſſe, quam pontifices impertiri ſolent? Nullus vero prohibere Silueſtro potuit, ne coronam clauſam cum vittis dependentibus ad Graecorum imitationem

nem

(*a*) Hiſt. Crit. Reg. T. I. p. 3—47.

nem efformandam curaret. Nullus etiam eo tempore Conſtantinopoli Latini characteris vſus erat, quo tamen apoſtolorum nomina ſunt inſcripta, *Petri*, *Paulli*, *Andreae*, *Iacobi*, *Ioannis*, *Thomae*, *Philippi*, *Bartholomaei.* Vix dubitari poteſt, quin apoſtoli quoque reliqui: *Iacobus*, *Matthaeus*, *Simon*, *Thaddaeus*, *Mathias*, *Barnabas* inciſi fuerint in poſtremo limbo, quem nunc occupant inſcriptiones Graecae cum nominibus archangelorum *Michaelis* et *Gabrielis*; ſanctorum item *Georgii*, *Demetrii*, *Coſmae*, *Damiani*; praeterea *Michaelis Ducae*, *Conſt. Porphyrogeniti*, *Geobitzi*, ſeu Geiſae, *regis Turciae*, ſeu Hungariae. Videtur igitur circulus illius coronae, quam Michael Ducas Geiſae I. regi donum miſerat, eum in modum additus et obductus Silueſtrinae coronae, vt vltimum huius circulum, qui ceterorum apoſtolorum effigiem et nomina continebat, velet ac contegat. (*a*)

REGES HVNGARIAE.

§. I.

S. STEPHANVS, REX I.

Coepit A. C. 1000. *deſiit A. C.* 1038.

LIX.

Poſtquam Aſtricus orator omnia non ſolum e ſententia, ſed etiam ſupra ſpem et exſpectationem impetraſſet; ſub exitum Martii Roma profectus, magnis

(*a*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 14—20. Diſſ. mea Lat. et Hung. de Cor.

gnis itineribus in Hungariam properabat. Acceptus eſt incredibili non Stephani ſolum, ſed omnium ſolatio, quod vehementer auctum eſt, vbi coronam et crucem, Roma miſſam, oculis vſurparunt, ac epiſtolam, qua, quorum cauſſa legatus Romam profectus erat, confirmabantur, audiuerunt. Bonfinius perhibet, (*a*) S. Stephanum *ad vnamquamque Romani pontificis mentionem, ſpectante populo, inclinato capite, ſeſe ingeniculaſſe, vt exemplo ſuo ad Romani pontificis apoſtolicique ſenatus obſequium et obſeruantiam omnes hortaretur.* Quod quamuis a pietate S. Stephani non ſit alienum; in veteribus tamen auctoribus nusquam legitur. Poſt Aſtrici legati reditum ad inaugurationem ſancti regis omnia diligenter apparabantur, quo maiore cum populi frequentia pompaque haec tanta ſollemnitas perageretur. Diem eius inaugurationis, virginis in caelos aſſumtae feſtum fuiſſe, vetus Hungarorum traditio, quam antiquiſſima breuiaria teſtantur; annum vero milleſimum, anni ſequentis diploma, quod mox videbimus, docet. Locum coronationis Praius Albam fuiſſe primum opinatus, hanc ſententiam mutauit, adductus auctoritate diplomatis Ladislai IV, quo S. Stephanus Strigonii tam natus, quam coronatus fuiſſe dicitur. (*b*) Huius coronationis ea fuit vis, vt omnes ſcriptores D. Stephanum eiusque ſucceſſores regio dehinc titulo condecorauerint. Atque hunc nos S. Stephanum, non Geiſam, non vllum ex eius progenitoribus, quibus aliqui ſcriptores exteri, propter nimiam eorum potentiam, regium axioma nonnumquam tribuunt, primum Hungariae regem veneramur. Certe Geiſa, Belae II. filius, in litteris anni 1151, diſſerte ſe Geiſam II. vocat; fuiſſet

(*a*) Dec. II. L. I. p. 203. (*b*) Hiſt. Cr. R. T. VI. p. 651.

ſet autem hoc nomine tertius, ſi pater S. Stephani rex item fuiſſet. Id quod Bela IV. ad viuum reſecat, dum in litteris, anno 1263. praepoſiturae Tatenſi datis, ita loquitur: (*a*) *Anteceſſores noſtri, piae memoriae, Geiſa dux, et S. Stephanus, filius eius, primus Hungariae rex* — Quis poſt tam luculenta teſtimonia non miretur, Horanyium, Detſium, cet. adhuc Peltzimizare? (*b*)

A. C. 1001. *Steph.* 1. *Ind.* 14. *P.* 13. *A.*

LX. S. Stephanus, conſtituto iam regno, de populi ſui ſalute ſollicitus, praeter cathedrales baſilicas, multas in vrbibus, oppidis vicisque ſacras aedes exſtruxit; pluraque monaſteria, quo ſanctioribus ſtudiis acti ſeſe reciperent, precibusque ſuis ac bonorum operum meritis DEVM regi regnoque propitium redderent, excitauit. Hoc anno coenobium, in monte Pannoniae ſitum, a patre iam inchoatum, ad faſtigium perduxit; ac memor, cuius auſpicio nuper victoriam de Cupa retuliſſet, in honorem S. Martini beneficiis ampliſſimis donauit, datis publicae fidei litteris, quae cauſſam et magnitudinem beneficiorum, S. Martini meritis acceptorum, poſteris conſignarent. Earum epilogus ita habet: *Anno dom. incarn. MI. indict. XV. anno Stephani, primi regis Vngrorum, ſecundo.* Quo docemur, S. Stephanum non tantum primum Hungariae regem, ſed etiam anno ſuperiore coronatum fuiſſe. Venerandas has canae vetuſtatis reliquias e manibus noſtris excutere conatus quidam Poſonienſis anonymus anno 1779. mox a triumuiris egregie confutatus eſt anno 1780. Manſius earum fidem eleuat, quod

(*a*) Ibid. p. 384. (*b*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 47—92.

quod illic *parochianus epiſcopus*, praeter morem eius aetatis, memoretur. At enim Benedictus VI. in litteris, cauſſa Piligrini datis, eadem phraſi iam vtitur, intelligitque per parochianos epiſcopos archiepiſcopis ſubiectos ſuffraganeos. Ceteris vt immoremur, hic locus non patitur. (*a*)

A. C. 1002. *Steph.* 2. *Ind.* 15. *P.* 5. *A.*

LXI. S. Stephanum, promouendis in Hungaria religionibus intentum, inquietum Gyulae iunioris ingenium ad arma corripienda pertraxit. Hunc Gyulam, licet non Gyulae ſenioris, cuius filia fuit S. Stephani mater, ſed Zomboris, eius fratris, filium, ſancti regis auunculum minus proprie Turotzius vocat, quod alibi his ipſe verbis indicat: (*b*) *Tandem, quum Gyula Hungaris, in Pannonia habitantibus, infeſtus eſſet et multipliciter moleſtus; per S. Stephanum regem in Pannoniam eſt deductus. Non tamen iſte Gyula capitaneus; ſed ab illo tertius.* Inter Gyulam enim ſeniorem et iuniorem Zomborius interceſſit. Hic belli cauſſam et euentum; alibi hunc et tempus ita Turotzius expreſſit: (*c*) *Anno dom.* 1002. *B. rex Stephanus cepit Gyulam ducem cum vxore et duobus filiis eius, et in Hungariam transmiſit.* Aliam quoque belli cauſſam ibidem his verbis innuit: *Hoc autem ideo fecit; quia ſaepiſſime admonitus a B. rege Stephano, nec ad fidem Chriſti conuerſus, nec ab inferenda Hungariae iniuria conquieuit.* Eamdem obmoti belli cauſſam anonymus Belae notarius ſemel ac iterum inſinuat. (*d*) Si nihil iuris S. Stephanus in Tranſſiluaniam habuiſſet; neque

(*a*) Ibid. p. 93—102. (*b*) Chron. P. II. cap. 5. (*c*) Ibid. cap. 29. (*d*) Cap. 24. 27.

neque Gyulam, vt Chriſti fidem amplecteretur, admonuiſſet; neque bellum illi, quod amplexus non fuerit, intuliſſet; neque quartam diſſecti Cupae partem in Tranſſiluaniam miſiſſet. Quare non Patzinacitae, quod aliis placuit; ſed Hungari, quod anonymus tradit, Tranſſiluaniam obtinuerunt. Hanc prouinciam Tuhutum, Arpado conſentiente, neque tamen ius ſupremum in eam exuente; ſubegit, ac fiduciario iure poſſidendam ad poſteros transmiſit. Hoc nunc iure ſpoliatam Hungariae S. Stephanus arctius adnexuit ac ſubiecit. (*a*)

A. C. 1003. *Steph.* 3. *Ind.* 1. *P.* 28. *M.*

LXII. Et Turotzius, et alii ſcriptores domeſtici bello Tranſſiluanico Bulgaricum ita ſubiiciunt, vt aut ſimul geſtum, aut indidem ortum fuiſſe videatur. *Poſt haec autem*, inquit Turotzius, (*b*) *mouit exercitum ſuper Kean, ducem Bulgarorum et Sclauorum; quae gentes loca, naturali ſitu munitiſſima, inhabitant. Vnde etiam multis laboribus et bellicis ſudoribus praedictum ducem vix tandem deuicit et occidit.* Cauſſa belli huius nusquam notatur; ſed videtur Keanus Gyulae ſuppetias tuliſſe, proptereaque S. Stephani regis arma prouocaſſe. Nec enim Keanum iſtum eorum Bulgarorum, qui Maeſiam inferiorem occupauerant; ſed qui Tranſſiluaniam accolebant, fuiſſe ducem, ex adiunctis loci temporisque colligitur. Nullus ſane Bulgarorum Maeſiae ſeu dux, ſeu rex, qui Keanus fuerit dictus, inuenitur. Vicinam Tranſſiluaniae Bulgariam illam fuiſſe, vel inde patet, quod vtrique prouinciae ſanctus rex

vnum

(*a*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 102—105. (*b*) Chron. P. II. cap. 30.

vnum Zoltanum praefecerit; non tamen illum, qui proauus eius erat, quiue tertio Toxi ducis anno deceſſerat, vt anonymus perhibet. Porro S. Stephanus opimas praedas, ex vtroque bello relatas, ad locupletandam Albenſem baſilicam impendit, cuius exquiſitam ac pretioſiſſimam ſupellectilem tam Turotzius, quam anonymus fuſe recenſet. (*a*)

A. C. 1005. *Steph.* 5. *Ind.* 3. *P.* 1. *A.*

LXIII. Ad hunc annum id referendum videtur, quod Carthuitius ſine certa temporis nota narrat de Sebaſtiano monacho, quem S. Stephanus, (*b*) *ob vitae merita, pontificali honore dignum iudicans, regendo Strigonienſi archiepiſcopatui eum praefecit. Et quoniam flagellat DEVS, quem recipit; praedictum Sebaſtianum, ad probandam ipſius patientiam, corporalium oculorum lumine ad tempus priuauit. Sed ne nouellus in fide grex, absque paſtoris regimine, a recti tramitis propoſito deuiaret; per conſenſum Romani pontificis, ſaepe dictum Aſtricum, Colocenſem epiſcopum, in illius locum ſubſtituit. Euolutis deinde trium annorum circulis, Sebaſtianus, ex DEI miſericordia recepto lumine, rurſum per apoſtolici conſilium ſuae ſedi reſtitutus eſt; et Aſtricus ad ſuam eccleſiam, videlicet Colocenſem, cum pallio rediit.* Hoc circiter anno Sebaſtianum oculis captum fuiſſe, patet inde, quod Aſtricus, ſeu Anaſtaſius anno ſequente ſynodo Francofordienſi ſubſcripſerit in haec verba: (*c*) *Anaſtaſius, Vngrorum archiepiſcopus, interfui.* An autem Sebaſtianus primum inter archiepiſcopos

(*a*) Edit. Prai. p. 138. Hiſt. Cr. R. T. I. p. 106—114. (*b*) Edit. Prai. p. 157. (*c*) Ap. Hard. Coll. Conc. ad an. 1006.

piſcopos Strigonienſes locum obtineat, ideo dubitari poteſt, quod in diplomate S. Stephani, quod abbatiae S. Martini dedit anno 1001. non tantum Sebaſtianus, ſed etiam Dominicus archiepiſcopus dicatur. In mea ſententia ſicut Aſtricus et Anaſtaſius, ita Dominicus et Sebaſtianus iidem erant. In Nouakiana ſententia Dominicus tantum regionarius; Sebaſtianus Strigonienſis archiepiſcopus erat. Plura de hac difficultate diſſeruimus ad annum 1103. (*a*)

A. C. 1007. *Steph.* 7. *Ind.* 5. *P.* 6. *A.*

LXIV. Quum Stephanus variis per regnum eccleſiis ac coenobiis exſtruendis intentus erat; Giſela quoque, ſancti coniugis exemplum imitata, Veſprimii cathedralem eccleſiam ſuis impenſis excitauit ac ampliſſime dotauit. Hanc ſancti regis, hanc piae reginae tam profuſam et magnificam in cultum diuinum liberalitatem DEVS remuneratus, prolem illis maſculam, quae regnum vniuerſum miro gaudio compleuerat, hoc anno conceſſit. Huic Emerici nomen in luſtrico fonte datum in gratiam auunculi Henrici, cuius nomen in Henericum, Hemericum ac tandem Emericum ex vſu gentis abierat. Albae regiae natum eſſe, vetus traditio teſtatur. (*b*) Annum eius natalem nullus quidem veterum conſignauit; quia tamen vetuſtiſſima breuiaria 24. annos aetatis eidem tribuunt; ſi hos ſubducamus ab A. C. 1031. cui Carthuitius cum pluribus aliis mortem eius affigit; deducunt nos ad hunc annum 1007. Quotus naſcendo S. Emericus fuerit; exploratum quidem non eſt; certum tamen, plures ei

(*a*) T. III. p. 182—190. T. I. p. 114—124. (*b*) Velius L. II. p. 3.

ei fratres fuiſſe, qui, teneris admodum annis ex hac vita ſublati, locum Emerico ſuperſtiti reliquerunt, vt ſupremum paternae dilectionis argumentum euaderet. (*a*) Vnius nomen Pelbartus ad nos transmiſit, quem Ottonem vocat; quod ei nomen in gratiam Ottonis imperatoris, nuptiarum inter Stephanum et Giſelam conciliatoris, inditum fuerit. Addit Praius Dobucam, qui Sunadum genuerit. Atqui filii S. Stephani, teſtibus patriis ſcriptoribus, infantes praeter Emericum obierunt; non igitur eius filius Dobuca fuit, ſi Sunadum genuit. Locum errori dedit obſcurus ille Belae notarii locus: (*b*) *Ohtumum poſtea, longo tempore S. regis Stephani, Sunad, filius Dobuca, nepos regis, in caſtro ſuo iuxta Moriſſum interfecit.* Sunad nepos regis latiore ſenſu dicitur, cuius pater *Dobuka* cum *Bukna*, qui Gyulae iunioris filius erat, idem fuiſſe videtur. Quia tamen Sunadus baptismum ad hoc vsque bellum vix diſtuliſſet, ſi reipſa nepos S. Stephani fuiſſet; Ohtum potius, minus proprie rex dictus, Sunadum habuiſſe nepotem dicendus eſt. (*c*)

A. C. 1008. *Steph.* 8. *Ind.* 6. *P.* 28. *M.*

LXV. Non ceſſauit interea ſanctus rex ab vrgendis ac in finem perducendis bene coeptis; vtque ſe DEO gratiorem, ob datam ſibi ſobolem, exhiberet, multo profuſior in res diuinas, hoc anno Veſprimienſem epiſcopatum ampliſſimis fundis dotauit ac publico diplomate firmauit. Nam etſi ante legationem Romanam regnum vniuerſum in varias dioe-

(*a*) Carth. Ed. Prai. p. 154. Turotz. Chr. P. II. cap. 27. (*b*) Cap. XI. (*c*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 127—140.

dioeceſes deſcripſerit, iisque viros idoneos partim deſtinauerit, partim praefecerit; dotem tamen eccleſiarum neque ſtatim deſignauit, neque ſtatim publicae fidei litteris confirmauit. Eiusmodi fundationis litterae plerumque non prius, quam eccleſiae dedicarentur, expediebantur. Veſprimienſis eccleſia dudum honori S. Michaelis deſtinata, quod e S. Stephani litteris anni 1001. diſcimus, pia liberalitate Giſelae iam ita ſurrexit, vt conſecrari hoc anno potuerit. Eius conditricem Giſelam et Carthuitius, et lapis ſepulcralis, a Praio ſemel ac iterum productus, facit; licet episcopatus ipſius fundatorem veneremur S. Stephanum, qui regias huius rei teſtes litteras ſignauit in *Soly*, Veſprimio verſus ortum aeſtiuum vno milliari diſſito, ſed in anno variant apographa, quae partim 1008. partim 1009. exprimunt. (*a*)

A. C. 1009. *Steph.* 9. *Ind.* 7. *P.* 17. *A.*

LXVI. Inexhauſta S. Stephani liberalitas et incredibile nouellae religionis in Hungaria firmandae ſtudium nouam epiſcopen ad faſtigium perduxit, amplisque limitibus circumſcripſit. Dicta fuit ea Quinqueeccleſienſis a quinque baſilicis, quas auctor conuerſionis Boioariorum ac Carentanorum illic extitiſſe perhibet. Licet autem eas Hungari gentiles euerterint; ex illarum tamen parietinis templum aliquod ita iam nunc inſtauratum erat, vt illic ſacris operari nouus epiſcopus interim potuerit, donec aliud poſtea magnificentius e fundamentis Petrus rex educeret. Litterarum porro, quibus limites epiſcopatus Quinqueeccleſienſis definiuntur, epilogus ita habet: *Datum X. kal. Septembris, indictione*

(*a*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 140—150.

ne-VII. anno domini MIX. Pio Stephano regnante anno IX. Actum in ciuitate Iauriana. Diſplicet Schwartzio, quod in his litteris S. Stephanus aſſerat, ſe *cum conſenſu ſanctiſſimi apoſtolici erectionem epiſcopatus Quinqueeccleſienſis ſtatuere.* Nodum igitur in ſcirpo quaerit et ait, nonniſi *Belae IV. aetate Latine ſcribi ac dici coepiſſe Iaurinum.* Sed enim multo prius et *Gewr* ab Hungarico *Györ*, et *Iaur*, *Ior* promiſcue dicebatur. Aloldus, ſcriptor ſynchronus iam ad an. 1044. *Iaurenckum* vocauit. Non defuerunt, qui Maurum, primum fuiſſe Quinqueeccleſiis epiſcopum crederent; priusquam, his litteris in lucem productis, Bonipertus ei praeponendus ſtatueretur. (*a*)

A. C. 1010. *Steph.* 10. *Ind.* 8. *P.* 9. *A.*

LXVII. Aduentum in Hungariam SS. Andreae Zoerardi et Benedicti Cuperus ad hunc annum collocat, quorum egregia ſtupendaque facinora Maurus, poſtea Quinqueeccleſienſis epiſcopus, qui tam Andream iuuenis viderat, quam Benedictum familiarius nouerat, poſterorum memoriae ſine certa temporis nota tradidit: quae proinde ſiquis ad ſuos annos reuocare vellet, actum ageret. Non minus incertum eſt tempus, quo S. Stephanus honori S. Adalberti templum in arce Strigonienſi poſuit, quem aliqui perperam primum Strigonienſem epiſcopum faciunt, prius, quam epiſcopatus deſignarentur, martyrio ſublatum anno 997. Pariter incertum eſt tempus, quo S. Stephanus in valle Veſprimienſi monaſterium ſanctimonialibus exſtruxit, vt non viri ſolum, ſed feminae quoque, ſi quae religioſum inſtitutum amplecti vellent, ſuum coenobium haberent.

E 2 Quia

(*a*) Ibid. p. 150—159.

Quia vero diploma fundationis idiomate Graeco dedit; coloniam hanc ſacrarum virginum ex Graecia huc deductam fuiſſe, veriſimillimum eſt. Incertum item tempus eſt, quo S. Stephanus Romam *corporaliter viſitarit*, quod Turotzius ſcribit; (*a*) quoue geminum illic ſuae liberalitatis monumentum ſtatuerit, et tam XII. canonicorum collegium, quam pro Hungaris peregrinis hoſpitium erexerit; quo denique Guntherus, per Giſelam S. Stephani cognatus, poſtquam ſolitariam vitam in Bohemiae ſiluis amplexus, ſanctitate vitae vulgata, magnum ſui deſiderium apud S. Stephanum excitaſſet; ab eo per nuncios euocatus et eleemoſinis praefectus fuerit. Haec tamen omnia, quae hic in cumulum congeſſimus, intra hoc quinquennium acta fuiſſe videntur. (*b*)

A. C. 1015. *Steph.* 15. *Ind.* 13. *P.* 10. *A.*

LXVIII. Certius eſt Pétsváradienſem abbatiam, cuius initia defigimus ad an. 999. hoc anno ſupremam manum accepiſſe. Diplomatis fragmentum, quo coenobium a S. Stephano confirmatum ac dotatum eſt, magnam ſancti regis curam et prouidentiam in ornanda DEI domo teſtatur. Huic ſubſcriptus legitur *Aſtricus*, *Colocenſis archiepiſcopus*; quod indicat, eum cum pallio titulum archiepiſcopi retinuiſſe, ſimulque cancellarii munus geſſiſſe; ſic enim epilogus habet: *Hanc paginam manibus propriis roborantes, ſigilli noſtri munimine, in ipſo die conſecrationis dicti monaſterii, per miniſterium domini Aſtrici, Colocenſis archiepiſcopi, et Paulli, abbatis praedicti monaſterii, nobiscum omnibus regni principibus ibidem aſſiſtentibus, confirmauimus vnanimiter. Circumſcri-*

(*a*) Chr. P. II. cap. 31. (*b*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 160—198.

cumſcriptio noſtrae donationis ante noſtram coronationem fuit aſſignata ante annos 15. *priusquam fundamentum foderetur; quintodecimo vero anno a fundatione monaſterium iam dictum eſt conſecratum anno ab incarn. dom. MXV.* Vix mihi perſuaſerim ad vnam hanc conſecrationis ſollemnitatem omnes regni praeſules et proceres vel vltro confluxiſſe, vel euocatos fuiſſe; quum id in aliis aliarum eccleſiarum dedicationibus factum non legamus. Suſpicor igitur, eos, ad comitia regni Tolnae celebranda congregatos, vel huc excurriſſe, vel hinc illuc transiuiſſe. Nam et Petsvaradino Tolnam intra diem optimates commeare facile poterant; et annum conſecrationis 1015. annus comitiorum 1016. ſtatim excipiebat; et locus natalis legum, quem alii Tolnam, alii Strigonium fuiſſe volunt, ita conciliari poteſt; ſi dicamus, eas quidem Tolnae perlatas an. 1016. Strigonii tamen promulgatas anno 1035. Sic enim exiſtimo: ſanctum regem ex procerum conſilio leges quidem, quibus gentis ferocia partim refrenaretur, partim ciuili conſuetudine perpolita, ſenſim ad retinendam fidem veram firmior redderetur, Tolnae conſtituiſſe; ſed eas nonniſi ſerius, poſtquam in vſum ſuauiter prius deductae fuiſſent, Strigonii promulgaſſe. (*a*)

A. C. 1016. *Steph.* 16. *Ind.* 14. *P.* 1. *A.*

LXIX. Codex legum, hoc anno Tolnae conditarum, *liber ſecundus decretorum* audit; primus enim monita ſancti regis, Emerico filio data, continet. Quia vero has leges prudentiſſimus rex ad veteres Hungarorum mores ſic attemperauit, vt et rudi po-

(*a*) Ibid. p. 193—203.

pulo, qui diſciplinam Chriſtianam recens amplexus erat, congruerent; nec religionis integritas quicquam inde detrimenti caperet; nonnullas, pro temporum ratione, ſucceſſores reges vel correxerunt, vel ſuſtulerunt; pleraſque tamen in ſuo vigore reliquerunt. Hic liber vniuerſe conſtat 55. capitibus, quorum I. agit *de ſtatu eccleſiaſtico et veneratione domus DEI.* II. *De poteſtate epiſcoporum ſuper res eccleſiaſticas.* Vtrumque hoc caput e concilio Moguntino, ſub an. 847. celebrato, depromtum eſt. III. *Quales debeant eſſe accuſatores et teſtes; et quod laici clericos accuſare non poſſunt* (in tribunali profano). IV. *De aſſiduo et graui labore clericorum:* quibus venerationem conciliare ſtudet, probe gnarus, a contemtu ſacerdotum contemtum ſacrorum incipere. V. *De conceſſione regali propriarum rerum.* VI. *Regalia et fiſci res ſint intactae.* VII. *De obſeruatione dominicae diei, vt abſtineatur a laboribus;* ſub multa iacturae boum, equorum, inſtrumentorum et veſtimentorum. VIII. *Vt eodem die dominico concurrant omnes ad eccleſiam;* ſub poena depilationis. IX. *Diebus 4. temporum carnes non comedantur;* ſub poena ieiunii hebdomadarii. X. *Sexta feria carnes non edantur;* ſub eadem poena. Nondum vbique ſabbatinum ieiunium obſeruabatur. XI. *De his, qui ſine confeſſione moriuntur,* ſepeliendis vt infidelibus, vel proximis, quorum culpa preſbyter non adfuit, puniendis. XII. *De obſeruanda Chriſtianitate.* XIII. *De homicidiis, et primo caſuali;* pro quo multa 12. penſarum et ieiunium imponitur. XIV. *De his, qui ſuas occidunt vxores.* XV. *De periuriis.* XVI. *De homicidiis voluntariis;* 110. auri penſis redimendis et ieiunio canonico. Huic Mathias I. et Wladislaus II. poenam mortis ſubrogarunt. XVII *De libertate ſeruorum.* XVIII. *De conuentu*

uentu ad eccleſiam. „Si qui, ad eccleſiam venientes, „ ad audiendum diuinum officium, et ibidem hora „ ſollemnitatis miſſarum inter ſe murmurant, et ce- „ teros inquietant; — ſi maiores ſunt; increpati, „ cum dedecore expellantur de eccleſia: ſi vero mi- „ nores et vulgares; in atrio eccleſiae pro tanta te- „ meritate coram omnibus ligentur et corripiantur „ flagellis.“ Moribus antiquis res Hungara ſtatque caditque. XIX. *De non recipiendis ſeruis vel ancillis in accuſationem vel teſtimonium contra dominos ſuos vel dominas.* XX. *Liberum nemo in ſeruitutem redigat.* XXI. *De his, qui alterius milites aut ſeruitores auocant.* XXII. *De recipiendis hoſpitibus.* XXIII. *De his, qui flagellantur, ſua quaerentes.* XXIV. *De viduis et orphanis.* XXV. *De raptu puellarum* XXVI. *De liberis fornicantibus cum ancillis alterius domini.* XXVII. *De his, qui petunt ancillas alienas in vxores.* XXVIII. *Qui extra regnum a ſuis aufugiunt vxoribus.* De gentilibus coniugibus id accipiendum videtur, vt ad aliud connubium eo caſu tranſire liceat. XXIX. *De furto mulierum maritatarum.* XXX. *De incendiis manſionum.* XXXI. *De ſtrigibus.* XXXII. *De maleficis, veneficis et ſortilegis.* XXXIII. *De inuaſione domorum et de pugna ibidem ſequuta.* XXXIV. *De aedificatione et dote eccleſiae, a villis compoſitae.* XXXV. *De donationibus regum et propriae rei poſſeſſione.* XXXVI. *De ſeruo, interfecto ab altero ſeruo.* XXXVII. *De redemtione homicidae ſerui.* XXXVIII. *De vindicta nitentium acquirere libertatem alienis ſeruis.* XXXIX. *De furto ſerui ſemel commiſſo.* XL. *De poena furtum ſecundo et tertio committentis.* XLI. *De furto liberorum, ſemel, bis et ter commiſſo.* XLII. *Comites, quod regis eſt, apud ſe non detineant.* XLIII. *De contemtu et ſpretione iuſti iudicii comitis.* XLIV. *De reſtituenda re, militibus per comites iniuſte abla-*

 ta.

ta. XLV. *Promiſſum cadit in debitum.* XLVI. *De his, qui hominem gladio occiderint.* XLVII. *De debilitatione membrorum, gladio facta.* XLVIII. *De eo, qui gladio percuſſus, vulnus accepit.* XLIX. *De gladii euaginatione ſine vulnere.* L. *De teſtimonio ſeruorum, regali curiae, vel comitis, praepoſitorum.* LI. *De conſpiratione contra regem et reginam.* Videtur *regnum* pro regina reſcribendum, vt eſt in nigro. LII. *De decimatione*, quam abſcondentes, nouem ſoluere iubentur. LIII. *De calumniatoribus aulae.* Suſurrones poenae mortis addicuntur. LIV. *De his, qui mendacia inter duos aulae familiares adſtruunt*, lingua multandis. LV. *De furto vduornicorum*, aulicorum ſeruorum, qui, propter infamiam furti, praerogatiua teſtimonii nobilium inſtar ferendi priuantur. *Explicit decretum S. Stephani regis, promulgatum Strigonii, anno MXXXV.* Haec prima fuerunt politiae Hungaricae fundamenta, ſubinde per alios reges altius educta, pluribus eorum decretis in codicem iuris patrii relatis, e quibus Stephanus Verbötzius ſuum opus tripartitum concinnauit anno MDXIV. (*a*)

A. C. 1017. *Steph.* 17. *Ind.* 15. *P.* 21. *A.*

LXX. Vt ſaluberrimis legibus, ita viris ſanctis ſanctorumque reliquiis Hungariam ſanctus rex communiturus, S. Colomani, qui caeſus in Auſtria fuit anno 1012. corpus in Hungariam intulit; ſed ob ſterilitatem agrorum ſequutam non multo poſt remiſit. (*b*)

A.

(*a*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 203—239. (*b*) Ibid. p. 240—244.

A. C. 1018. *Steph.* 18. *Ind.* 1. *P.* 6. *A.*

LXXI. S. Stephanus exſules Edmundi, regis Angliae, filios benigne recipit, ae ſubinde nuptiis innectit. (*a*)

A. C. 1019. *Steph.* 19. *Ind.* 2. *P.* 29. *M.*

LXXII. S. Stephanus, pluribus iam eccleſiis et coenobiis per Hungariam excitatis, nouum ordini S. Benedicti, cuius vtilem operam ad promouendam ac ſtabiliendam in regno Chriſti religionem experiebatur, monaſterium, de Szala dictum, in honorem S. Adriani M. erexit, ac ampliſſimis fundis inſtruxit, quos alio diplomate regio confirmauit anno 1024. (*b*)

A. C. 1020. *Steph.* 20. *Ind.* 3. *P.* 17. *A.*

LXXIII. Licet nullum apud veteres certum tempus, quo S. Emericus, diuinitus admonitus, integram mentis corporisque puritatem DEO per votum obtulerit, expreſſum legamus; recentiores tamen ad hunc annum id factum referunt. Et congruit aetas Emerici, quartum decimum annum iam ingreſſi, cuius virtutes ac inprimis ſtudium orationis pluribus eius biographus deſcribit. (*c*) Addit, illum a voto nuncupato tam ſingulari virginitatis praerogatiua gauiſum fuiſſe, vt, quo quisque caſtitatis gradu polleret, noſſe potuerit. Huius indicium dedit, quum obuios ſibi monachos oſculo, ſed diſpari numero, pro tempore modoque ſeruatae caſtitatis, in monte Pannoniae dignatus eſt. Maurum ſubinde, cui ſeptem oſcula libauerat, S. Stephanus epiſcopum Quinqueeccleſienſem, explorata prius eius virtute, renun-

(*a*) Ibid. p. 244. (*b*) Ibid. p. 246—253. (*c*) Edit. Tirn. p. 32. ſeqq.

renunciauit. Poſtquam S. Emericus ex inſtitutione S. Gerardi, noui magiſtri, noua virtutum incrementa ſumſiſſet, ac *pater illius, regno conſulere volens, virginem, et forma corporis, et morum integritate ſpectatiſſimam, ſtirpe regia ortam, ei deſpondiſſet,* vt biographus loquitur, *id etſi ille principio multum recuſaret; tandem tamen, paternis precibus victus, aſſenſit quidem; ſed ita tamen, vt non ſolum ipſe virgo permanſerit; ſed etiam ſponſam integram conſeruarit.* Hanc Emerici ſponſam Tomcus innuit, (*a*) *filiam Creſcimiri, regis Dalmatiae, fuiſſe.* Mauult tamen Praius eam dicere Creſimiri ſororem, Stephani filiam, nomine Cicham. (*b*) Sed enim Cicham Doimi, non Stephani filiam, nec Emerici ſponſam, ſed vxorem Andreae fuiſſe, patet ex diplomate, quod Farlatus producit. (*c*) Quia nullus veterum notauit annum, quo S. Emericus nuptiis illigatus fuerit; licet recentiores ad an. 1026. eas collocent, in hac incertitudine temporis hic earum meminiſſe maluimus. (*d*)

A. C. 1021. *Steph.* 21. *Ind.* 4. *P.* 2. *A.*

LXXIV. Incertum pariter eſt tempus, quo Beſſorum in Tranſſiluaniam incurſio contigit. Tacentibus tamen veteribus, eam recentiores ad hunc annum collocant. Agebat tunc S. Stephanus in iis regni partibus, quas Chryſius aut Maruſius alluit, vnde *veredarius infra diem et noctem ad Albam Tranſſiluanam*, vt Carthuitius perhibet, (*e*) peruenire facile potuit. Vix tantum temporis ſpatium inter-

(*a*) Sanct. Illyr. p. 231. (*b*) Ann. R. H. P. I. p. 36. (*c*) Illyr. S. T. V. p. 19. (*d*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 263 —272. et 323—337. (*e*) Edit. Prai. p. 148.

terceſſit, vt nuncio regis praemoniti Tranſſiluani ſe ſuaque vicinis vrbibus inferre potuerint, quum hoſtis adfuit; ſed non imparatos, vt ſperabat, Tranſſiluanos reperit. Quum igitur in homines non poſſet; in tecta ſolum ſaeuiit; incendia late ſparſit; praedam, quae ſubito munitis vrbibus inferri non potuit, collegit. Sed hanc quoque, quum ad manus ventum eſt, dimittere coactus, multis amiſſis, maiori celeritate, quam venerit, in patriam rediit. Idem Carthuitius alibi narrat, (*a*) 60. *viros Beſſorum, — cum vniuerſo apparatu ſuo, — de partibus Bulgarorum egreſſos, ad regem venire volentes*, in limitibus a quibusdam Hungaris partim caeſos, partim ſpoliatos fuiſſe; ſanctum vero Stephanum, de hac iniuria certiorem redditum, praedones illos in limitibus regni ſuſpendendos curaſſe. Beſſi, Biſſeni cum Picenis ſeu Pacinacitis, et Cumanis in vnam gentem in Moldauia coaluerunt, vnde ſaepe Tranſſiluaniam alias etiam incurſarunt. (*b*)

A. C. 1022. *Steph.* 22. *Ind.* 5. *P.* 25. *M.*

LXXV. Quum S. Stephanus, ne quid detrimenti reſp. pateretur, iam inferiores, iam ſuperiores Hungariae partes luſtraret; Emericum filium itineris ſocium, vt eum rebus gerendis ſacriſque diligenter procurandis exemplo ſuo ſenſim aſſuefaceret, adlegere ſolebat. Hunc in modum *ſanctus rex*, vt Turotzius refert, (*c*) *venit in ciuitatem, quae vetus Buda vocatur, vna cum filio ſuo, ſancto Emerico, et regina. Et quum ibi non inueniſſet aliquod pium opus in Chriſto, in quo poſſet laudari creator omnium, ſtatim*

(*a*) Ed. Pr. p. 152. (*b*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 272—282.
(*c*) Chron. P. II. cap. 31.

ſtatim ſanctiſſimus rex de theſauro praedicti Kean, ducis Bulgarorum et Sclauorum, quem occiderat, coepit in medio ciuitatis aedificare grande coenobium in honorem apoſtolorum Petri et Paulli, ditando illud multis praediis et ſimili libertate Romanae eccleſiae fulciendo, in memoriam et honorem curiae Romanae, quam corporaliter viſitarat. Etſi nullum ex vetuſtioribus certum tempus aſſignari poſſit; recentiores tamen ad hunc annum pium hoc opus S. Stephani defigunt. Vt igitur ſanctus rex ad exemplar Romanum aedem ſacram excitaret; e Graecia praeſtantiſſimos artifices et plaſticos magna mercede conduxit: vtque magis opus ferueret; Budae cum Emerico filio coniugeque Giſela, pietatis ſocia, conſtitit. *Dum igitur aedificaretur;* ſubiicit Turotzius, *magiſtri lapicidae de Graecia ducti erant: et ſanctiſſimus rex cum regina, ratione deuotionis, ibidem degebat.* En primam ſedis regiae, Budae poſitae, mentionem! Sed nimirum, vt S. Stephano Buda tantum diuerſoria ſedes erat, ita ceteris regibus ex Arpadiana ſtirpe nusquam regia perpetua fuerat, quibus ibi plerumque verſari ſollemne fuit, vbi maxima negotiorum moles eos opperiebatur. Quia tam vaſtum opus abſoluere S. Stephanus non potuit; ab eius morte per inteſtina bella vel interruptum, vel lentius continuatum, demum S. Ladislaus ad coronidem perduxit. (*a*)

A. C. 1023. *Steph.* 23. *Ind.* 6. *P.* 14. *A.*

LXXVI. Quod Budenſe templum ac monaſterium lentius aſſurrexerit; praeter operis magnificentiam et accitos e remotioribus prouinciis artifices peritos, aliae

(*a*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 283—288.

aliae quoque cauſſae fuerunt. Eodem enim tempore non tantum intra regnum plura S. Stephanus moliebatur; ſed Hieroſolymas quoque ſuae munificentiae fructus exporrigebat. Occaſionem expromendae liberalitatis ſancto regi dedit Hakemi, Saracenorum principis, primum crudelitas, deinde benignitas in Chriſtianos: quos quidem atrociter perſequi coepit anno 1009. ſed ante mortem reſipuit, templique Hieroſolymitani, quod antea diruerat, inſtaurandi poteſtatem dedit; antequam caeſus fuiſſet anno 1020. Prior illa Chriſtianorum calamitas ſequutaque dehinc tranquillitas occaſionem obtulit Chriſtianis in occidente, qua caritatem et liberalitatem aduerſus orientales exhiberent. *In his non poſtremus Stephanus*, inquit Inchoffer, (*a*) *non ſolum munera ſacro templo regia miſit; verum augendae fidelium religioni ſtudens, quod ſuperiori anno deliberauerat, effectui mandauit. Itaque ſpectabile monachorum coenobium, addita eccleſia, magnifico ſumtu illic aedificauit. — Additae praeterea domus et hoſpitia peregrinis Hungaricae nationis, quorum cura penes dictos monachos erat, qui Carmelitani, an Baſiliani fuerint, in medio eſt.* Haec ille figit ad an. 1010. quo difficile creditu videtur, in illa rerum viciſſitudine, monaſterium fuiſſe conditum. Credibilius eſt, poſt annum 1020. quo vexatio Chriſtianorum in oriente ceſſauit, id factum eſſe, circiter hoc anno, quum illa dirutas eccleſias inſtaurandi nouasque conſtruendi poteſtas non ſtatim per Europam didita fuerit; nec ſtatim a S. Stephano, pluribus aedificiis in Hungaria ponendis occupato, tantum aes transmitti potuerit. (*b*)

A.

(*a*) Ad an. 1010. (*b*) Hiſt. Crit. R. H. T. I. p. 304—311.

A. C. 1024. *Steph.* 24. *Ind.* 7. *P.* 5. *A.*

LXXVII. Henricus imperator, qui, raro continentiae miraculo, virgo cum virgine Cunegunde, ſua coniuge, vixit, et cum eadem caeleſtes in terris honores obtinuit, hoc anno cum orbis Chriſtiani maximo moerore viuere deſiit. Communis ille Chriſtianis moeror ad Hungariam praecipua de cauſſa pertinuit, non tantum, quia Giſela, S. Stephani coniux, S. Henrici ſoror erat; ſed etiam, quod eius opera Chriſtiana fides in Hungaria maximum incrementum acceperit. Succeſſit illi Conradus Salicus, qui Germaniae rex 8. Septembris inunctus, nec iam e Saxonica, quae tres Ottones ac S. Henricum imperio dederat, ſed e Franconica domo prognatus, poſt triennium imperii coronam Romae ſuſcepit anno 1027. poſt aliud triennium S. Stephano bellum intulit anno 1030. (*a*)

A. C. 1028. *Steph.* 28. *Ind.* 11. *P.* 14. *A.*

LXXVIII. Pax et tranquillitas illa, quae Hungaros inter ac Germanos, regnante Henrico, viguit, ab eius obitu mox turbari coepit. Quum enim, reddita Chriſtianis in Palaeſtinam commeandi libertate, plerique peregrini, liberalitate S. Stephani, qua hoſpites illos excipiebat, pellecti, per Hungariam iter direxiſſent; ille tamen Wetinharium, Argentinenſem epiſcopum, quem Conradus imperator Conſtantinopolim oratorem deſtinabat, aditu Hungariae prohibuit; quamuis Hieroſolymitanam is peregrinationem praeſetulerit. (*b*) Gliſcebat nempe iam tum magna ſimultas inter Hungaros et Bauaros, vt Wip-

(*a*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 311—313. (*b*) Wippo Vit. Chunr. p. 475.

Wippo, Conradi Salici capellanus, in haec verba teſtatur: (*a*) *Eodem tempore multae diſſenſiones inter gentem Pannoniam et Baioarios, culpa tamen Baioariorum, factae ſunt; ita vt Stephanus, rex Hungarorum multas incurſiones et praedas in regno Noricorum, id eſt, Baioaricorum, faceret.* Atque hic quidem auctor diſſenſiones, inter vtramque gentem exortas, non item earumdem cauſſas, conſignauit; eas tamen in Bauaros aperte reiecit. Nec eſt credibile, ſanctum regem has in Bauariam incurſiones, niſi coactum iniuriisque grauibus affectum, ſuſcepiſſe. Belli cauſſam Aloldus, ſcriptor ſynchronus, ita memoriae prodidit: (*b*) *Bauariae cauſſa hereditandae, Chunradus, Romanorum, et Stephanus, Hungariae rex, diffidentes, arma in alterutrum parabant.* Haec Auentinus ita fuſius exponit: (*c*) *Adſunt legati Stephani, regis Vngrorum, et Giſelae, vxoris eius, Hainrico* (Emerico) *filio horum, regnum Baioariae, quod maiores, atauus, proauus, auus et auunculus tenuiſſent iure hereditario, a Conrado repetunt: quod quum negatum foret; bellum imperatori et regi indicunt; domosque abeunt.* Quamdiu Bruno, S. Henrici Giſelaeque germanus, Auguſtanus epiſcopus, qui Henrici, Conradi filii, pueritiam moderabatur, in viuis erat; diſſenſiones inter S. Stephanum et Conradum in apertum bellum non eruperunt. At, poſtquam is, qui cognatos inter principes pacem conſeruare ſatagebat, e viuis ereptus eſt anno 1029. non multo poſt arma Conradus in S. Stephanum apparauit. (*d*)

A.

(*a*) Ibid. p. 476. (*b*) Ad annum 1030. (*c*) Ann. Boic. P. II. L. V. (*d*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 337—343.

A. C. 1030. *Steph.* 30. *Ind.* 13. *P.* 29. *M.*

LXXIX. Quidam auctores bellum Conradi cum Hungaris ad annum ſuperiorem referunt: quo tamen apparatus dumtaxat poſt mortem Brunonis, qui prius expeditionem iſtam impediuiſſe videtur, fiebant; ipſum autem bellum hoc anno ſuſcepiſſe Conradum alii ſcriptores teſtantur, e quibus Wippo rem aliis vberius ita narrat: (*a*) *Vnde commotus, imperator Chonradus, cum grandi exercitu ſuper Hungaros venit. Rex autem Stephanus, minime ſufficiens aduerſus imperatorem, orationibus et ieiuniis in vniuerſo regno ſuo indictis, praeſidium domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluuiis et ſiluis intrare non valens; multis tamen praedationibus, incendiis circa terminos regni iniuriam ſuam vlciſcens, reuerſus eſt; volens tempore opportuniori coepta ſua peragere.* Sed numquam deinceps reuerſum eſſe, pacemque breui poſt coaluiſſe ſcriptor idem ita perhibet: *Sed filius ſuus, rex Heinricus, adhuc puerulus, Eigelberto, Friſingenſi epiſcopo creditus, legatione Stephani regis, pacem rogantis, accepta, vnico conſilio principum regni, patre neſciente, gratiam reconciliationis annuit; iuſte et ſapienter agens, qui regem, iniuſte iniuriatum, vltro petentem gratiam, recepit in amicitiam.* Ita Wippo; licet addictus Conrado, ſemel ac iterum affirmauit, nullam bello huic cauſſam S. Stephanum dediſſe. Quia tamen incredibile videtur, Conradum grandem exercitum in Hungariam infudiſſe; neque fluuios ſuperare potuiſſe; bellum igitur in opportunius tempus diſtuliſſe; reditus huius alia cauſſa fuerit, quam Carthuitius ita prodit: (*b*) *Accidit poſt hoc, defuncto*

(*a*) Ad annum 1030. (*b*) Edit. Prai. p. 149.

ſto beati regis amico, Romanae dignitatis auguſto, Henrico Pio, Conradum imperatoriae dignitatis coronam per Germanorum electionem aſſumere, qui, deſtructa pacis tranquillitate, totius Theotoniae manu coadunata, Pannoniae terminos hoſtiliter conatus eſt inuadere. Contra quem rex, conſultum habens epiſcoporum et principum, ad tuendam patriam armatos totius Hungariae extraxit. Prius tamen recolens, ſe nihil poſſe ſine Chriſti ſuffragio, manus et cor leuans ad aethera, dominae ſuae, perpetuae virgini, DEI genitrici, matri ſuas iniurias commendans, talem erupit in vocem: „Si placet tibi, domina mundi, tuae partem hereditatis ab inimicis „ deuaſtari, et nouellam plantationem Chriſtianita- „ tis aboleri; non meae, precor, imputetur deſi- „ diae; ſed potius diſpoſitioni voluntatis tuae. Si „ paſtoris culpa quid meretur; ipſe luat: inſonti- „ bus parce, precor, omnibus." *His dictis, quaſi conſolatus ab ipſa, fiducialiter aduerſus hoſtes iter arripuit. Altera mox die nuncius ad vnumquemque ducem Germanorum, et in caſtra Theotonicorum, ab imperatore venit, qui eis redeundi mandatum detulit. — Imperator vero, ſuorum tam repentina perterritus defectione, ſciſcitans, qualiter res facta fuerit; quum nuncium reuerſionis eorum non ſuum fuiſſe, veraciter ſciret; per conſilium diuinitatis, ad corroborandam fideliſſimi regis ſpem, factam non dubitauit; ſeque dehinc ab inuaſione regni eius, timore iudicis aeterni retentus, abſtinuit.* Dubitant aliqui, num candidae huic Carthuitii narrationi fides adhiberi poſſit; quod prodigii huius Wippo non meminerit. At ex eius quoque verbis colligi poteſt, ope caeleſti belli perniciem ab Hungaris auerſam eſſe, preceſque potius, cum ieiuniis indictas, quam fluuios et ſiluas, exercitum Conradi ſtitiſſe. Plures

enim alii ſcriptores tradunt, Conradum cum exercitu Hungariam intraſſe; nullus autem aſſerit, pugnam etiam commiſſam eſſe. Quid? num ludum dumtaxat facturus, aut Hungariam ſolum inſpecturus, tantas copias Conradus conſcripſit? tantis impendiis in Hungariam promouit? tantis cum moleſtiis ad Arrabonem vsque fluuium peruenit? An non facilius erat vel fluuiis pontem inſternere, vel ſiluas exſcindere, vel alibi tranſitum tentare; quam exercitum tantum, rebus infectis, reducere, dimittere, rurſum colligere, rurſum in Hungariam reducere; verbo ſpatium Hungaris dare, vt et ipſi melius ſe comparare, faciliusque hoſtium conatibus obuiare poſſint? Haec profecto ſatis indicant, aliud aliquid interueniſſe, quod conſilia Conradi ſufflaminauerit; id nempe, quod e Carthuitio vidimus, qui non dicit, vt Bonfinius fingit, nuncium illum caeleſtem fuiſſe. Fieri poterat, vt illum Henricus, Conradi filius, patre longius adhuc agente, ſuadentibus pacis auctoribus, in caſtra miſerit, vt, exercitu reuerſo, facilius pax inſtaurari poſſet. Certe ſeu Carthuitium, ſeu Wipponem audiamus; ex vtroque ſanctum regem ſingulari DEI protectione defenſum, miroque modo bello huic finem impoſitum fuiſſe videmus. An non enim admiratione dignum eſt, ab Henrico, circiter 14. annos nato, cum S. Stephano pacem initam fuiſſe, quin pater Conradus id ſciuerit? (*a*)

A. C. 1031. *Steph.* 31. *Ind.* 14. *P.* 11. *A.*

LXXX. Pace iam vndique parta, veraque Chriſti religione per omne regnum propagata, ſanctiſſimus

(*a*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 343—353.

mus rex ſibi ſoli vacare, regnique curam in Emericum filium reclinare conſtituit. (*a*) Cauſſa, quae ſanctum regem ad hanc cogitationem impulerit, fuerint morbi, quibus eum tribus continuis annis laboraſſe, Carthuitius ſcribit. (*b*) Iam alias diximus, praecipuum, cui S. Emericus virtutibus et litteris informandus a patre creditus erat, fuiſſe S. Gerardum, quem S. Stephanus Venetiis appulſum laetus excepit, ac eius ſanctimonia non vulgari permotus, iam ſub annum 1022. epiſcopum Moriſſenum, ſeu Tsanadienſem deſtinauit, nondum tamen renunciauit. Poſtquam S. Emericum diutius inſtituiſſet; ſolitariam vitam amplexus in eremum Bakon-Beel ſeceſſit. (*c*) Septem annis illic exactis, ad Tsanadienſem inſulam euocatus, multos ad Chriſti fidem adduxit. (*d*) Etſi vero S. Emericus a S. Gerardo multa documenta virtutum acceperit; vt tamen pius pater ſimilem ſibi ſucceſſorem, in quo religionis et regni moles tuto niteretur, in eo haberet: ipſe quoque pluribus eum monitis erudiuit: quae, quo memoriae tenacius inhaererent, et futuris quoque regibus pro norma deſeruirent; in ſcriptum retulit. Ea ſane monita, caeleſti ſapientia plena, quae X. capitibus pius rex complexus eſt, maiores noſtri digna cenſuerunt, quae decretis ſeu legibus Hungariae, quamuis non tam leges, quam praeceptiones ad regnum melius adminiſtrandum eſſent, adnumerarentur, ac in corpore iuris Hungarici vulgarentur. Poſt praefationem, *qua hortatur ducem ad capeſſenda paterna monita*, hoc ordine capita ſequuntur: I. *De obſeruanda catholica fide.* II. *De eccleſia et continendo eccleſiaſtico ſtatu.* III. *Epiſcopi nomencla-*

(*a*) Turotz. P. II. cap. 33. (*b*) Edit. Prai. p. 154. (*c*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 288—303. (*d*) Ibid. p. 354—359.

menclatura; et de impendendo honore pontificibus. IV. *De merito honore principum, et baronum.* V. *De ſeruanda virtute patientiae et tribuendo iudicio.* VI. *De acceptione exterorum et nutrimento hoſpitum.* VII. *De magnitudine conſilii.* VIII. *Quod maiores imitari debeant, et filii obedire parentibus.* IX. *Orandum eſſe, et quomodo?* X. *De pietate et miſericordia ceterisque virtutibus.* Ex his apparet, quantae virtutis et prudentiae pater fuerit; quantus in filio rex ſperari potuerit. Sed enim ſpes hae non multo poſt acciſae ſunt. Nam, teſte Carthuitio, (*a*) *talibus et his ſimilibus diſciplinis inſtitutus iuuenis praeclarus, ad nutum diſpoſitionis aeternae, — MXXXI. dom. incarn. anno, vitam hanc exitialem commutauit, ſempiterno ſuperorum ciuium adiunctus contubernio.* — Grauem fuiſſe dolorem ſancti regis ex obitu filii, quem ſucceſſorem ſibi deſtinabat, pronum eſt coniicere. Nec nos meminiſſe, ſine graui doloris ſenſu, poſſumus, ſpes ſollicitiſſimi patris ita ſuccifas; ſpes Hungariae, quae ſibi regem in Emerico praeſtantiſſimum deſpondebat, ita ſubuerſas eſſe. Sed acquieſcendum ſupremi numinis, omnia ſapienter diſponentis, voluntati, cuius eſt arcana ſua, hominum oculis ſubducta, ſapienter ad ſublimes fines diſponere. (*b*)

A. C. 1032. *Steph.* 32. *Ind.* 15. *P.* 2. *A.*

LXXXI. Tam Carthuitius, quam Turotzius, cum ceteris inferioris ſubſellii ſcriptoribus, vno conſenſu tradunt, ſanctum regem a morte filii grauibus morbis oppreſſum fuiſſe. Solum id dubitatur, an cauſſa morbi mors filii fuerit. Nam etſi biographi depulſum

(*a*) Edit. Prai. p. 156. (*b*) Hiſt. Crit. T. I. p. 359—395.

ſum breui moerorem afferant; ipſe tamen ſuppreſſus animi dolor corpus afficere poterat. Ceterum ſanctus rex regni potius, quam ſuam orbitatem, amiſſo filio, quem caelo receptum fuiſſe prodigia teſtabantur, doluit. Nam, vt Turotzius ſcribit, (a) *tanta doloris acerbitate ſanctus rex Stephanus exacerbatus, in grauiſſimam incidit infirmitatem. Et poſt multos dies vix qualemcumque vitae reparationem recepit; ſed priſtinae ſanitati numquam plene potuit reſtitui. Nam et pedum doloribus vrgebatur, et triſtitia ac gemitibus afficiebatur: praeſertim propterea, quid nullus videbatur de conſanguineis eius idoneus ad hoc, vt, eo mortuo, regnum in fide Chriſti conſeruaret. Pronior enim erat gens Hungarica ritui paganico inclinari, quam fidei Chriſtianae.* Haec igitur praecipua iuſtaque doloris cauſſa fuit, quod nullum e conſanguineis idoneum vidiſſet, cui tenellam adhuc in regno religionem committere tuto poſſet. Quatuor enim ſuperſtites cognatos, qui ſummae rei praefici poſſent, habuit: Baſilium ſeu Vazulem; ex patruo ſuo Michaele patruelem; huiusque, vel eius germani, Ladislai Calui, tres filios, Andream, Belam, Leuentam. Sed nullus horum ad ſacram profanamque remp. tot tantisque curis a ſancto rege conſtitutam, ſeu tutandam, ſeu ſtabiliendam, tantum vel doctrinae, vel pietatis habere videbatur, vt merito timeri non potuerit, ne tam religionis integritas, quam regni tranquillitas, a morte primi conditoris peſſumdaretur. Certe metum hunc non fuiſſe vanum, euentus poſtea docuit. Nam et Andreas, regno ſubinde potitus, gentilibus principio facilem ſe praebuit; et Leuenta, deſertis Chriſti caſtris, ad auitas ſuperſtitiones

 rediit;

(a) Chron. P. II. cap. 33.

rediit; et Bela, ſumtis in Andream fratrem, legitimum iam regem, armis, ciuili bello patriam inuoluit; et Vazul *propter iuuenilem laſciuiam et ſtultitiam, vt corrigeretur*, teſte Turotzio, (*a*) recludi debuit. Sanctus igitur Stephanus, ex ducum iſtorum indole non pauca mala Hungaris auguratus, prae his cognatis in Petrum, e Giſela ſorore nepotem ſuum, magis propendebat, quem, vtpote Chriſtianis parentibus ortum, Chriſtianam religionem ab obitu ſuo melius defenſurum et incolumem ſeruaturum ſperabat. Certe, quum in ſupremo morbo *de ſubſtituendo pro ſe rege* cum regni proceribus ageret; hunc ſibi ſucceſſorem optauit, vt Mellicenſis codex in haec verba teſtatur: (*b*) *Primum tractauit de ſubſtituendo rege pro ſe, Petro videlicet, ſororis ſuae filio, quem in Venetia genitum, ad ſe vocatum, iam dudum exercitui ſuo praefecerat ducem*, vt ſcilicet illi Hungaros aſſuefaceret, ſenſimque viam ad regnum illi praemuniret. (*c*)

LXXXII. Haec deſtinatio ſancti regis occaſionem obtulit conſpirationi, quam ſceleratiſſimi quidam proceres in eum conflauerant, quod aegerrime tulerint, hominem exterum, excluſis Hungaris, regno deſtinari. Maleſana horum coniuratorum, omni ſupplicio digniſſimorum, conſilia, quae regnum et religionem in exitium grauiſſimum praecipitare poterant, ita Carthuitius narrat: (*d*) *Videntes autem* 4. *nobiliſſimi palatinorum diu grauiterque laborantem; — iam die adueſperaſcente, antequam in domo lucerna accenderetur; vnus eorum audacter ſub obſcuro ingreſſus eſt, et ad iugulandum regem, enſem nudatum*

(*a*) Ibidem. (*b*) Ap. Stiling. p. 553. (*c*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 397—400. (*d*) Edit. Prai. p. 158.

tum ſub chlamyde tegebat. Dum pedem inhiberet, vbi rex quieſcebat, reuera caeleſti impulſu gladius corruit, percuſſaque terra, tinnitum reddidit. Statim rex, audiens, cauſſam requiſiuit; quum, quid fuerat, praeſciebat. Ille vero anxius corruit: conſilium furoris ſui recognouit: doluit, acceſſit, procubuit, veſtigia amplexus eſt: ſe deliquiſſe confeſſus, ſibi indulgeri precatus eſt. Veniam quaerenti, non auertit faciem, facile dimiſit. Qui fuerint 4. illi palatini, qui ſaeuiſſimam hanc coniurationem iniuerant, tacentibus monumentis, arduum eſt inueſtigare. Si tamen captiuitatem Vazulis; ſi fugam Andreae, Belae, Leuentae, quos omnes propius, Emerico mortuo, ſpes ſucceſſionis attingebat, attendamus; aliquis dubitationi locus relinquitur, an non iſti crudelis in regem, a quo ſibi Petrum praeferri nouerant, attentatae caedis auctores fuerint: e quibus Vazul ſceleſtiſſimi facinoris poenas in carcere Nitrienſi dederit; ceteri, conſpiratione detecta, matura ſibi fuga conſuluerint. Aliter quidem iſta Turotzius narrat; ſed ſic omnia perturbat, vt exiguam hic fidem mereri videatur. Errat enim, quum Vazulem S. Stephani *patruelis filium*, Ladislaum eiusdem *patruum* vocat. Nam, quum vterque filius Michaelis, Geiſae fratris, fuerit, vt idem Turotzius alibi teſtatur; (*a*) vterque patruelis eiusdem ſancti regis erat. Et quis credat, S. Stephanum regno praeficere voluiſſe Vazulem, quem Nitriae clauſum *ob iuuenilem laſciuiam et ſtultitiam* tenebat? Quis tantae potentiae fuiſſe Giſelam, vt auderet aut poſſet oculis illum orbare, quem rex ſibi ſucceſſorem deſtinaſſet? Quis, Hungaros electioni Petri fuiſſe conſenſuros; ſi corona tanto ſcelere fuiſſet illi quaeſita?

 Quam

(*a*) Chron. P. II. cap. 27.

Quam hoc alienum a moribus Giſelae, quam omnes S. Stephano marito, S. Emerico filio, S. Henrico fratre non indignam fuiſſe praedicant? Ad hanc difficultatem eludendam fruſtra quidam geminam S. Stephano coniugem tribuunt; quidam eius ſorori factum hoc adſcribunt, vt ſub Petro rege videbimus. Certe S. Stephani conſilio, non Giſelae dolo, Petrum electum eſſe, ſupra laudatus codex Mellicenſis teſtatur. Vt tamen aliquid Turotzio hac in re deferamus; dicere veriſimiliter poſſumus, Giſelam, caritate viri permotam, cui tantum amittendae vitae periculum a coniuratis impendebat, re cum quibusdam proceribus communicata, ne hac impunitate, quam rex veniam petenti promiſerat, plures ad ſuſcipiendum ſimile facinus allicerentur, eam ſancti regis lenitatem corrigere voluiſſe, principemque coniuratorum, grauiſſimos alioqui cruciatus commeritum, ea poena, quam Graeci tyrannidem affectantibus dictare ſolebant, praeter voluntatem mariti, caſtigaſſe. Re, praeter voluntatem regis, patrata, ſi iam is parem delicti gratiam eiusdem coniurationis vel ſociis, vel conſciis, Andreae, Belae, Leuentae, fecit, veritus fortaſſe, ne pari hi quoque ſupplicio, praeter ſuam voluntatem ac innatam ſibi lenitatem, afficerentur, fugam eis ſuadere potuit. (*a*)

A. C. 1033. *Steph.* 33. *Ind.* 1. *P.* 22. *A.*

LXXXIII. Rurſus errat Turotzius, quum exſules fratres in extremo S. Stephani morbo fugam arripuiſſe ſcribit ad Micislaum, qui quatuor annis ante S. Stephanum obiit. Illorum igitur fuga differri non poteſt vltra hunc annum; nam, priusquam anno ſequente

(*a*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 400—410.

quente Micislaus deceſſiſſet, vtilem eidem operam, Pomeranorum defectionem caſtiganti, nauarunt. Praecipue tamen in eo bello Belae virtus emicuit, qui, duce Pomerano ſingulari certamine victo, Micislai filiam in coniugem, Pomeraniam in dotem accepit. (*a*) Ex hac Micislai filia, nomine Richſa vel Richeſa, Bela ſubinde Geiſam I. et S. Ladislaum ſuſtulit; cuius frater Caſimirus, Cluniaci monaſticam vitam amplexus, iamque diaconus, a Polonis, ciuili bello feſſis, poſt 7. annos repetitus, a Benedicto IX. ſacramenti religione ſolutus, vxorem ducendi poteſtatem accepit. Bela, tantis honoribus et opibus in Polonia cumulato, fratres eius, Andreas et Leuenta primum in Lodomeriam, tum in Cumaniam, demum in Ruſſiam conceſſerunt, vnde matrem illos habuiſſe, Turotzius his verbis innuit: (*b*) *Iſti filii ſunt Calui Ladislai, qui vxorem de Ruthenia dicitur accepiſſe.* Sed idem auctor aliam aliorum opinionem hac de re ſic inſinuat: *Tradunt quidam iſtos tres fratres filios fuiſſe Vazul ducis ex quadam puella de genere Tatan.* Quam ſententiam biographus Gerardinus ita confirmat: (*c*) *Hungari miſerunt ſollemnes nuncios ad filios Vazuli Andream, Leuentam et Belam.* Haec ſcriptor antiquiſſimus, qui ſimul apoſtolicos S. Gerardi labores in Hungaris opera ſeptem monachorum, linguae patriae peritorum, ad fidem adducendis ac inſtituendis fuſe deſcribit. (*d*)

A. C. 1035. *Steph.* 35. *Ind.* 3. *P.* 30. *M.*

LXXXIV. Vt pia peregrinorum in terram ſanctam Chriſtianorum ſtudia S. Stephanus promoueret, iam

(*a*) Turotz. P. II. cap. 38. Cromer. Rer. Pol. L. III. (*b*) Chron. P. II. cap. 42. (*c*) Cap. XIX. (*d*) Hiſt. Cr. R. T. I. p. 410—422.

Chriſtianis parentibus ortum, nouellam religionem aduerſus auitas Hungarorum ſuperſtitiones feruentiſſime tuiturum ſperauerit. *His dictis*, pergit Chartuitius, *manus et oculos leuans ad ſidera*, *ſic exclamauit*: „Regina caeli, reparatrix inclita mundi, tuo „ patrocinio ſanctam eccleſiam cum epiſcopis et cle„ ro, regnum cum primatibus et populo, ſub tuis „ precibus committo: quibus vltimum vale dicens, „ manibus tuis animam meam commendo.“ *Inſtabat tunc ſollemnitas praecipua*, *celebris angelis et hominibus dies aſſumtionis MARIAE*, *in cuius gaudio diſſolutio ſui corporis fieret*, *miſericordiae ſpem maioris ſe ſperans habiturum*, *precibus haec ſpiritualibus poſtulauit*, *ſuſpiriis et lacrimis obtinuit*. *Aderat ergo felix illa dies*, *per eius obitum felicior mox futura*. *Circumſtabat cum clero paternitas epiſcoporum*, *cum manu miniſtrorum principalis chorus comitum*: *vbi rex dilectus*, *in medio iacens*, *accepta vnctione ſpiritalis ſacramenti*, *ſanctam animam*, *corporis et ſanguinis domini noſtri IESV Chriſti viatico recreatam*, — *in manus perpetuae virginis et ſanctorum angelorum*, *aeternae quietis beatitudini inferendam*, *tradidit*. Ecce! ſic moritur iuſtus! dignus, vt eodem die, quo ſanctiſſima virgo, cuius tenerum in ſubditorum ſuorum cordibus amorem accendere, cultumque latiſſime porrigere nitebatur, in caelum euecta, caeleſtique diademate redimita fuit, ipſe quoque cum *Magna Domina* ſua regnaturus, ad caeleſtem e terreſtri coronam euocaretur. *Factus eſt*, eodem teſte, *planctus maximus ſuorum*, *gaudium angelorum*; *ſed hic planctus poſtea verſus eſt in laetitiam ſempiternam*, *tam naſcentium*, *quam viuentium populorum*. Aris enim ſubinde ſanctus rex impoſitus, pluribus prodigiis et beneficiis in clientes effuſis, orbi terrarum innotuit, exemploque ſuo princi-

pes

pes Chriſtianos docuit, inſignem vitae ſanctimoniam cum arduis reip. curis optime coniungi. *Ad exſequias funeris*, eiusdem Carthuitii verba ſunt, *ex omnibus Pannoniae plagis concurritur. Corpus ad ſedem regalem, Albam videlicet ciuitatem, deducitur. Et quoniam eccleſia beatiſſimae virginis, ab ipſo conſtructa, nondum erat dedicata; merito conſilio ſtatuere pontifices, prius baſilicam ſanctificare, deinde corpus terrae commendare. Perfecta dedicationis ſollemnitate, corpus ſanctum in medio domus ſarcophago candidi marmoris imponitur; vbi per annos plures dominus per ipſius merita multis, incommoda patientibus, febricitantibus, afflictionem et miſeriam ſuam proclamantibus iudiciumque portantibus, beneficia praeſtitit innumera.* Cetera pertinent ad apotheoſim, quae ſub S. Ladislao peracta fuit. (*a*)

LXXXVII. Mirum eſt, Carthuitium, ſcriptorem alias accuratiſſimum, figere ſancti regis obitum ad annum 1034. Sed hunc ego non tam Carthuitii, quam librarii ſuſpicor errorem eſſe, qui quum noſſet, S. Stephanum praefuiſſe Hungaris annos 38. ſuumque principatum iniuiſſe poſt Geiſae patris obitum anno 997. hinc numerando principatus eius annos 38. deductus eſt ad annum 1034. Turotzius annum Chriſti, non item regni, bene conſignauit in haec verba: (*b*) *Beatus autem rex Stephanus, ſanctitate et gratia plenus, ſecundum quosdam 46. ſecundum autem hiſtoriae, in eiusdem laudem ab eccleſia editae, veritatem, 37. ſui regni; dominicae autem incarn. 1038. anno, in feſto aſſumtionis BB. MARIAE ſemper virginis, a praeſenti ſeculo nequam eri-*

(*a*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 451—457. (*b*) Chron. P. II. cap. 34.

§. VII.

PETRVS, REX II.

Coepit A. C. 1038. *pulſ.* 1044. *deſiit* 1046.

A. C. 1038. *Petri I. Ind.* 6. *P.* 26. *M.*

LXXXVIII.

Si Turotzium audimus; nec deſtinatione S. Stephani, nec electione procerum regni, ſed malis artibus Giſelae, Petrus Hungariae rex euaſit. Quod vtrumque non tantum teſtimoniis veterum ſcriptorum, ſed etiam moribus et conſuetudini Hungarorum aduerſatur. Vidimus ſupra, Carthuitium affirmantem, S. Stephanum ante mortem *cum epiſcopis et primis palatii tractaſſe de ſubſtituendo pro ſe rege.* Quod vberius codex Mellicenſis ita declarat: (*a*) *Primum tractauit de ſubſtituendo rege pro ſe, Petro videlicet, ſororis ſuae filio.* Vidimus alias, Hungaros eam libertatem habuiſſe, vt, quem prae caeteris mallent, ex Arpadiana ſtirpe principem ſibi conſtituerent. Inde factum, vt duces Hungariae, quo certius ad filios dignitatem ſuam transmitterent, ante mortem iusiurandum a ſuis in eos exigerent. Id multo magis nunc neceſſarium videbatur; quum Petrus, qui ſucceſſor deſtinabatur, paterno genere prorſus extraneus fuerit; alii tamen ex Arpadiana ſtirpe ſuperſtites exſtiterint. Quare ſanctus rex, vt turbis occurreret, quae poſt obitum ſuum in electione noui regis enaſci poterant, auctoritate ſua, quae maximi ponderis apud Hungaros erat, vota procerum in Petrum inclinaturus, exemplo deceſſorum ſuorum,

(*a*) Act. SS. Sept. T. I. p. 553.

rum, qui prius, quam obirent, ſucceſſores cum conſenſu procerum ſibi conſtituebant, cum iisdem egit, et, vt in Petrum conſentirent, faciles habuit. Numquam profecto Giſela tantum potentiae habuit, vt inuitis Hungaris regem imponere potuerit. Nec in alterutram Giſelam, ſiue coniugem, ſiue ſororem S. Stephani, cadere potuit, vt, quod Turotzius fingit, alterutra *regnum Hungariae, amiſſa libertate, Teutonicis ſubdere* voluerit. Non in coniugem ſanctiſſimam, quae plus in Hungaria, quam in Germania vixit. Non in ſororem Hungaram, quae nullum cum Germanis nexum habuit. (*a*)

LXXXIX. Idem Turotzius Wilhelmum, Petri patrem, male vocat S. Sigismundi fratrem, quum anno 524. quo hic caeſus eſt, Wilhelmus a nullo potuerit imperatore Venetiis collocari, collapſo iam tunc occidentis imperio. Huius Wilhelmi pater fuit Adalbertus, auus Berengarius II. quos Otto M. ob rebellionem fundis, in Longobardia poſſeſſis, exuit. Hos deinde Wilhelmus ab imperatore recuperauit, adeoque Venetae Longobardiae reſtitutus, ſeu *Venetiis collocatus*, vt Turotzius loquitur, dici potuit. Huius mater Gerberga ſecundis nuptiis collocata fuit Henrico, Burgundiae duci, a quo Wilhelmus priuignus adoptatus etiam Burgundiae comes euaſit, ac *Ermentrude*, prima coniuge, mortua, quam Turotzius *Gertrudem* appellat, eodem teſte, *duxit in vxorem ſororem S. regis Stephani, de qua genuit Petrum regem.* Huius igitur pater non erat Wilhelmus Pataujenſis, vt Aloldus vult; nam Agneti, ter-

(*a*) Hiſt. Crit. Reg. T. I. p. 471—476.

tertiae coniugi, Wilhelmus ipſe praemortuus, ſororem S. Stephani ducere non potuit; nec Otto Venetiarum dux, quod ex ſilentio tam Venetorum, quam aliorum veterum ſcriptorum colligitur. Petrus tamen *Venetus* dici poterat, quod eius pater, Otto Wilhelmus, etiam in Veneta Longobardia fundos auiticos poſſederit. Haec, nonnihil implexa, lucem ex laterculo hoc accipient.

Adalbertus, dux Eporediae = Giſela, Bereng. I. filia.

Berengarius II. = Villa.

Adalbertus II. = Gerberga. 2. nupta Henrico Burg.

Otto Wilhelmus, Burgundiae comes,

Vx. I. Ermentrudis. Vx. II. Giſela, S. Steph. ſoror.

Rainaldus. Agnes. Petrus, R. H. Adelhais. (*a*)

XC. Petrum regem in Giſelam reginam ſaeuiiſſe, recentiores tantum ſcriptores tradunt; ac aſſerunt, eam propterea Paſſauium profectam, abbatiſſam ibidem creatam, mortuam ac ſepultam eſſe. Haec opinio nititur potiſſimum inſcriptione Paſſauienſi, quam nec ſynchronam, nec fide dignam eſſe, patet inde, quod illic Henrico, nondum tunc canonizato, titulus *Sancti* detur; S. Stephano, iam tunc canonizato, negetur: et ſi Giſela deceſſiſſet, vt ibi dicitur, anno 1095. poſt matrimonium initum 100. annis vixiſſet. Eamdem Giſelam in Hungaria mortuam ac Veſprimii ſepultam fuiſſe, maiori fide teſtatur inſcriptio manca Veſprimienſis, quam Bon-

(*a*) Ibid. p. 476—491.

Bonfinius ita refert; (*a*) — — *Ladislai, ſanctiſſimorum Pannoniae regum conſortum hic oſſa quieſcunt.* Vocula *ſanctiſſimorum* indicat, ante *Ladislai* nomen *Stephani* reponendum eſſe, cuius conſortis oſſa Veſprimii quieſcere hinc intelligimus. Confirmat hanc ſententiam inſcriptio Makrantzenſis, quam ipſe videram ac legeram in haec verba: *Huius ſacri templi conditrici Geslae Stefani et Olaythi Ladislai ſanctor. Pannoniae regum diuis coniugibus.* Quum ex antiquioribus documentis mancam illam inſcriptionem ita Rheginus cardinalis, epiſcopus Veſprimienſis, inſtaurauerit; dubitare non poſſumus, eraſam in inſcriptione Bonfiniana vocem ita ſupplendam, vt innuimus. Alterum argumentum pro Veſprimienſi Giſelae ſepultura ſubminiſtrant litterae Paulli, iudicis curiae, A. C. 1338. quibus teſtatur, Andream II. quum ad expeditionem ſacram iuiſſet, ab eccleſia Veſprimienſi Giſelae reginae coronam accepiſſe, cum qua ſcilicet illa, more regum et reginarum veterum, ibidem ſepulta fuit. Tertium argumentum petitur ex Hermanno Contracto, ſcriptore ſynchrono, qui Giſelam in Hungaria *bonis operibus intentam conſenuiſſe* ſcribit, (*b*) cui Bergomenſis in Giſelae vita conſentit. (*c*)

A. C. 1039. *Petri* 1. *Ind.* 7. *P.* 15. *A.*

XCI. Quam ſtrenue S. Stephani veſtigiis initio Petrus inſtiterit; inde patet, quod, teſte Turotzio, (*d*) *Quinqueeccleſiis in honorem B. Petri apoſtoli* grandem baſilicam exſtruxerit. Ex hoc Turotzii teſtimonio facile refellitur commentum Schwartzii, qui

G 2 fingit,

(*a*) Dec. II. Libr. IV. p. m. 260. (*b*) Ad A. C. 995. (*c*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 491—587. (*d*) Chron. P. II. cap. 41.

fingit, a Petro rege templum illud honori Petri Vrſeoli, aui ſui, poſitum eſſe; quem numquam in numerum ſanctorum relatum nouimus; nec apud vllum veterum ſcriptorum legimus, Petrum regem illius Petri nepotem, ac Ottonis Veneti filium fuiſſe, cuius genealogiam veriſimiliorem ſupra iam exhibuimus. S. Stephanus in litteris regiis an. 1009. diſſerte dicit, Quinqueeccleſienſem epiſcopatum *in S. Petri apoſtoli honore conſtructum eſſe.* Nec ita Hungaris exoſum, nec ita Germanis addictum fuiſſe Petrum initio principatus, vt Turotzius innuit, apparet ex hoſtilitate, quam primam in Germanos exercuit, vt Hermannus Contr. ad hunc annum his verbis teſtatur: *Petrus, rex Vngariorum, hieme terminos regni ſui* (Henrici III.) *inuadens, praedis, incendiis et captiuitate depopulatur.* (*a*)

A. C. 1040. *Petr.* 2. *Ind.* 8. *P.* 6. *A.*

XCII. Petrus, quo Germanis aegre faceret, iterum eorum hoſti ſe iunxit, ac Bretislao, Bohemiae duci, contra Henricum III. tres legiones Hungaricas in auxilium miſit. (*b*) Vnde, quum toties inimicum ſe Germanis exhibuerit; non eſt credibile, quod Turotzius aſſerit, eum odia Hungarorum propter nimiam in Germanos propenſionem incurriſſe. *Poſtquam autem*, inquit ille, (*c*) *Petrus factus eſt rex; omnem regiae ſerenitatis benignitatem abiecit; et Teutonico furore ſaeuiens, nobiles Hungariae aſpernabatur: bona terrae ſuperbo oculo et inſatiabili corde cum Teutonicis, belluina feritate rugientibus, et cum Latinis, hirundinum garrulitate murmurantibus,* *deuora-*

(*a*) Hiſt. Crit. R. T. I. p. 587—592. (*b*) Ann. Sax. ad an. 1040. (*c*) Chron. P. II. cap. 35.

deuorabat: munitiones, praeſidia et caſtella Teutonicis et Latinis cuſtodienda tradebat. Regem, ab Hungaris rogatum, vt vagam militum libidinem coerceret, reſpondiſſe perhibet: *Omnes iudices, — centuriones ac villicos, omnesque principes et poteſtates in regno Hungariae Teutonicos conſtituam, et terram eius hoſpitibus implebo, et eam vniuerſaliter in poteſtatem Teutonicorum redigam.* Quis credat, illum Teutonicis ita ſtuduiſſe, contra quos idemtidem arma ſua vertit? Veriſimilius eſt, Petrum apud eos Hungaros, qui Chriſti fidem, metu tantum adacti, ſuſceperant, odium incurriſſe. Hi, mortuo ſancto rege, maiorem ſibi licentiam a conniuentia Petri deſpondebant, vt ad cultum patriorum deorum, quem inuiti plures abiecerant, reuerti poſſent. At Petrus, auunculi ſui veſtigiis inſiſtendum ratus, quos ille Germanos ad ſtabiliendam fidem euocarat, eosdem ipſe pro Hungaris in eadem Chriſti religione conſeruandis adiutores adhibebat, iisque Latinos etiam, ſeu Venetos Longobardos, populares ſuos, adiungebat. Hungari, hos ad vrbes cuſtodiendas adhiberi, praecipuis dignitatibus admoueri, fundis ampliſſimis donari, hisque noui regis conſiliis reditum ad cultum falſorum numinum impediri, aegrius ferebant. Quare primum quidem orare, vt exterorum praeſidia deducerentur: quumque nihil impetrarent; in eum conſpirare. Petrus, ſeueritate potius, quam lenitate, Hungaros coerceri poſſe ratus, incaute minas iactare: quoue ſuos Italos ſeu Latinos, ac etiam Germanos magis ſibi deuinciret; omnem illis licentiam indulgere. Plurimum ea res Petro nocuit. Quum enim Hungari, tunc quoque, quum inania numina colebant, pudicitiae laude floruerint, vagamque libidinem ſummopere deteſtati fuerint; foedam peregrinae gentis

laſciuiam auerſati, ne contagione peſſima laudabiles Hungarorum mores inficerentur; etiam boni ſeditioſis acceſſerunt, ac Petrum axauctorandum praepoſtero conſilio cenſuerunt; nec externi porro hominis dominatum, ſuae nationis principibus aſſueti, pati voluerunt. (*a*)

A. C. 1041. *Petri* 3. *Ind.* 9. *P.* 22. *M.*

XCIII. Matura iam ſeditione, quomodo Petro ſuffectus Aba fuerit, Turotzius his verbis narrat: (*b*) *Anno igitur regni Petri tertio principes Hungarorum et milites, conſilio epiſcoporum, conuenerunt aduerſus Petrum regem, et ſollicite quaerebant, ſi aliquem de regali progenie in regno tunc inuenire poſſent, qui ad gubernandum regnum eſſet idoneus, et eos a tyrannide Petri liberaret. Quumque neminem talem in regno inuenire potuiſſent* (Vazul enim oculis orbatus, exſules filii fuerunt) *elegerunt in ſemetipſis quemdam comitem, nomine Abam, ſororium S. regis Stephani; et eum ſuper ſe regem conſtituerunt. Aba igitur, congregato Hungarorum exercitu, contra Petrum regem proceſſit praeliaturus. Petrus autem rex, videns, ſe Hungarorum auxilio deſtitutum, vehementer expaueſcens, transfugit in Bauariam, Henrici, regis Teutonicorum, adiutorium imploraturus.* Prius tamen, quam Henricum adiuiſſet; ad Adalbertum, Auſtriae marchionem, eum ſe recepiſſe, ſynchroni ſcriptores ac ſuppares affirmant. Ex his Hermannus Contractus ita loquitur: (*c*) *Ipſo anno Vngarii perfidi, Ouonem quemdam regem ſibi conſtituentes, Petrum, regem ſuum, occidere moliuntur: qui vix fuga*

(*a*) Hiſt. Crit. H. P. I. p. 592—597. (*b*) Chron. P. II. cap. 36. (*c*) Ad annum 1041.

ga lapſus, primo ad marchionem noſtrum, Adalbertum, ſororis ſuae maritum, profugus venit; indeque ad regem Heinricum veniens, pedibusque eius prouolutus, veniam et gratiam implorauit et impetrauit. Indigebat venia, qui bis iam arma contra Henricum ſumſerat; ad quam facilius obtinendam, *intercesſionem Alberti marchionis, cuius leuir erat*, vt Otto Friſingenſis teſtatur, (*a*) adhibebat. De hoc igitur nexu propinquitatis, ob quem Petrus ad Adalbertum primo confugerat, dubitari non poteſt. Male hanc Petri ſororem Aloldus Wilhelmi Pictauienſis filiam fuiſſe ſcribit, quae filia Wilhelmi, Burgundiae ducis, fuit; non autem Ottonis Veneti; nec enim vel nunc, vel alias Venetorum opem implorauit, quod indicat, eum ex illis ortum non fuiſſe. (*b*)

§. VIII.

SAMVEL ABA, REX III.

Coepit A. C. 1041. *deſiit A. C.* 1044.

A. C. 1041. *Abae* 1. *Ind.* 9. *P.* 22. *M.*

XCIV.

Tertio Hungariae regi geminum nomen fuiſſe, docet anonymus Belae notarius, qui priusquam in lucem protractus fuiſſet anno 1745. ignorabatur, cuius regis numus fuerit, in cuius antica parte legebatur: *Samuhel rex*, in poſtica *Panoneia;* maleque Samueli, Bulgariae regi, tribuebatur. Huic errori

 lau-

(*a*) Libr. VI. cap. 33. (*b*) Hiſt. Crit. T. I. p. 597—608.

laudatus anonymus finem impoſuit; poſtquam Abae regis alterum verumque nomen ita prodidit: (*a*) *Ex quorum etiam progenie, longo poſt tempore, rex Samuel deſcendit, qui pro ſua pietate Oba vocabatur.* Hic igitur auctor Abam ex *Ed et Edumen*, Cumanorum ducum, *progenie deſcendiſſe* docet. Turotzius pariter ex *Edemen Abae generationem proceſſiſſe* perhibet. (*b*) Edemenum autem ex traditione Hungarorum ait Attilae nepotem ex Chaba filio fuiſſe: quam quidem ille traditionem in dubium merito vocat; ſi ratio temporis, non item ſi generis, habeatur; ſeu ſi dictus Edemen non Attilae nepos, ſed ex Attilae poſteritate deſcendiſſe, dicatur. Ita rex Aba non tantum ex ducibus Cumanis, ſecundum anonymum; ſed etiam ex Attilae poſteris, ſecundum Turotzium, ortus dici poteſt, cuius genus in Aba-Ujvarienſi, Borſodienſi, Heveſienſi prouincia latiſſime dominatum fuiſſe, Bela IV. teſtatur in diplomate A. C. 1261. quo confirmantur anonymi dicta de terris, Abae progenitoribus ab Arpado donatis. Abam porro Turotzius *ſororium S. regis Stephani* vocat; non quod e ſorore nepos, ſed quod ſororis eiusdem maritus fuerit: quam aliqui Saroltam, ſine teſte vetuſto, dicunt. (*c*)

XCV. Aba, vel Apa, quaſi pater patriae, quod eam aduerſus Petrum tuendam ſumſerit, appellatus, pietatis laudem, quam eidem anonymus tribuit, non multo poſt, quam regnum adiiſſet, crudelitate ſua corrupit. Erant ex Hungaris multi, qui fidem, Petro iuratam, minime demutandam cenſuerunt. Vt igitur Aba regni poſſeſſionem ſibi ſtabilem redderet; in

(*a*) Cap. XXXII. (*b*) Chron. P. I. cap. 24. (*c*) Hiſt. Cr. T. I. p. 608—617.

in Petri miniſtros et fautores barbare ſaeuiit. *Ipſis ſanctis quadrageſimae diebus*, inquit S. Gerardi biographus, (*a*) *honeſtiſſimos quosque ſui conſilii viros ſudibus ac palis, perinde vt immunda pecora, interficere non dubitauit.* Haec biographus ante coronationem Abae narrat; ſed cauſſam nullam, cur ita crudeliter ſaeuierit, aſſignat. Turotzius cauſſam quidem exſertae crudelitatis innuit; ſed et tempus rei geſtae confundit, et adiuncta quaedam minus credibilia narrationi huic inſerit. *Ex hinc*, inquit, (*b*) *rex Aba, ſecuritate accepta, factus eſt inſolens: et coepit crudeliter ſaeuire in Hungaros. Arbitrabatur enim, quod omnia communia eſſent dominis cum ſeruis.* Vix Aba, magnae ditionis dominus, haec arbitratus fuerit. Vix ruſticos cum nobilibus, e quorum praecipuis ipſe fuerat, pari loco habuerit. Hoc ad ſummum dici poſſet, Abam plebeiis benigniorem ac faciliorem, quam nobiles vellent, fuiſſe; fortaſſis etiam hanc ei facilitatem Abae, ſeu patris, appellationem conciliaſſe. *Hungari vero nobiles*, pergit Turotzius, *nolentes id ſuſtinere, — conſpirauerunt et coniurauerunt, vt ipſum occiderent. Quidam autem ex ipſis notificauit regi in necem eius coniuratos, ex quibus eos, quos potuit, captos fecit interfici, ſine iudicii examine. — Quum enim rex quadrageſimam Chanadini celebraret; in eadem quadrageſima circiter 50. viros nobiles, ſub praetextu conſiliandi, in quadam domo concluſit, et ab armatis militibus fecit eos obtruncari, nec contritos, nec confeſſos. Vnde B. Gerardus, Chanadienſis epiſcopus, canonica ſeueritate regem corripuit, et ei periculum imminere praedixit.* Quis credat, Abam ante coronationem contemtu procerum, quorum fauore digni-

(*a*) Cap. XVII. (*b*) Chron. P. II. cap. 37.

A. C. 1042. *Abae* 2. *Ind.* 10. *P.* 11. *A.*

XCVII. Aba, rex iam inauguratus, gratiam ſuorum aucupaturus, acta Petri reſcidit, ac exactiones, Hungaris impoſitas, ſuſtulit. (*a*) Quae res ſubditorum animos et a Petro prius auertit, et Abae nunc ita conciliauit, vt vel hoc titulo nouam Abae, ſeu patris, appellationem promeritus fuiſſe videatur. Petrus interea primum, vt ſupra vidimus, ad Adalbertum affinem, Auſtriae marchionem, euaſit: qui Hungarorum arma veritus, auctor eidem erat, vt ad Henricum, Germaniae regem, qui plus opis ei ferre poſſit, ſe reciperet. Quia tamen Petrus iras Henrici, cui bis inimicum ſe praebuit, extimeſcebat; in ſpem erectus ab Adalberto marchione, qui ſuas etiam preces apud Henricum interpoſuit, praeſentique neceſſitate compulſus, ei tandem ſe ſupplicem ſtitit, ac tam praeteritae culpae veniam, quam auxilii futuri ſpem obtinuit, vt, praeter Hermannum, ſupra laudatum, Hepidanus monachus in haec verba teſtatur: (*b*) *Petrus, rex Vngariorum, a quodam comite ſuo turpiter proprio regno expulſus, ad ipſum regem Heinricum, deprecans auxilium, confugit: cuius infortunium rex piiſſimus, quamuis prius ab eo laeſus, miſerans ſortem humanae fragilitatis, fleuit; ipſe autem paternum ſolatium rebus et verbis exhibuit.* Aba, primúm per legatos animum Henrici placare conatus, quum nihil impetraſſet, collectis copiis, Auſtriam inuaſit, et ad fluuium vsque Treſmam eraſit, *altera die poſt quadrageſimam*, vt Haſelbachius tradit. (*c*) His prima Martii patratis, longius Abae tempus erat, quam vt quieſcere poſſet. Suos

(*a*) Turotz. P. II. cap. 36. (*b*) Ad A. C. 1047. (*c*) Ap. Calleſ. P. I. p. 332.

Suos igitur ad depraedandam Carinthiam iterum miſit. Quae Turotzius, omnia ſimul complexus, ita narrat: (*a*) *Rex igitur Aba, audiens, Petrum ab Hungaris derelictum, et ab Henrico, rege Teutonicorum, benigne ſuſceptum, anno dom.* 1042. *miſit nuncios ad caeſarem, vt perquireret*: „an inimica„retur ei pro eo, quod Petrum de regno expule„rat; an etiam pacem ſtabilem cum eo poſſet ha„bere." *Cui caeſar in reſpondendo ſe inimicum eſſe oſtendit, dicens*: „quia meos iniuriis laceſſiuit; quid„vel quantum poſſim, ipſe ſentiet." *Rex Aba, his auditis, intellexit, quod caeſar intenderet Petro regnum reſtituere; inflammatusque in iram, congregato exercitu magno, inuaſit Auſtriam et Bauariam, et ex vtraque parte Danubii fluminis, bipartitis alis pugnatorum fortium, percuſſit eos in ore gladii. Tulit itaque ſpolia eorum et plurimos captiuos ex eis ſecum trahens, a flumine, quod vocatur Trayſama, pertranſiuit captiuando vsque ad ciuitatem Tulnam, in qua pernoctauit. Factum eſt autem hoc* 2. *feria* (poſt dom. 1. quadr.) *a crepuſculo vsque ad noctem. Mane autem facto, cum innumerabili multitudine captiuorum in Hungariam reuerſi ſunt gaudentes. Poſt haec miſit bellatores fortes in Carinthiam, qui plurimos captiuos receperunt.* Hic Turotzius innuit, ab Auſtriae marchione, quem male *Gotfridum* vocat, ſpolia Hungaris excuſſa fuiſſe. Plures chroniſtae teſtantur, id ad *ſeptemtrionalem Danubii partem* ab Adalberto marchione factum eſſe. (*b*)

XCVIII. Eadem hieme, qua haec Aba patrauerat, Henricus Burgundicis rebus occupabatur, certiorque de hac noui regis audacia redditus, bellum in

(*a*) Chron. P. II. cap. 36. (*b*) Hiſt. Crit. T. I. p. 626—633.

ciliatus fuerit, vt, quin ad manus veniretur, armatum exercitum reduxerit, neque Petro regnum, vt promiſerat, reſtituerit, eam Hermannus adducit, quod Aba magnam Hungariae partem ad Leitam vsque fluuium Henrico ceſſerit. (*a*) Adalbertus enim marchio hanc Auſtriae partem, quam anno ſuperiore caeſis Hungaris eripuerat, non prius ab infeſtis hoſtibus liberam praeſtare poterat, quam ii, pace cum Henrico ſancita, regionem omnem ad Leitam vsque fluuium hoc anno ceſſiſſent. Huc igitur inconſultus Abae regis impetus, quo bellum Germanis ob receptum Petrum intulerat, euaſit, vt nobiliſſima haec ab Hungaria pars auelleretur. Acrius haec iactura Hungaros vſſerat, quam vt terram, a maioribus ſuis occupatam diuque poſſeſſam, dimittere facile poſſent. Nec pauci ſero praepoſterum conſilium, quo Petrum exauctorarunt, damnare coeperunt; Abamque, cuius cauſſa tanta regni diminutio facta ſit, auerſari, demum etiam apud Henricum criminari. *Quidam*, inquit Turotzius, (*b*) — *fugientes venerunt ad caeſarem, et obloquuti ſunt contra Abam, dicentes:* „quod pro nihilo iuramen„tum reputaret; nobilesque, qui eum regem ſuper „ſeſe conſtituerant, contemneret; et cum ruſticis „ignobilibus ederet, equitaret et continue loque„retur. " — *Ipſum ergo caeſarem efficaciter inſtigauerunt, vt ſuper Abam regem iniuriam vindicaret; quia nec captiuos ſuos remiſerat, ſicut caeſari iurauerat; nec illata damna reſarciebat.* Proceres inprimis, quorum filios aut cognatos obſides Aba Henrico dederat, eius perfidiam accuſarunt, vt ſuis hac in Henricum fide conſulerent. (*c*)

A.

(*a*) Ap. Caniſ. ad an. 1043. (*b*) Chron. P. II. cap. 37. (*c*) Hiſt. Crit. T. I. p. 648—655.

A. C. 1044. *Abae* 4. *Ind.* 12. *P.* 22. *A.*

C. Quum Aba non ignoraſſet, multos e proceribus a ſe diſſidere; quosdam ad Henricum in Germaniam profugiſſe; certum ſibi bellum, quod pactis non ſtetiſſet, imminere; intentiore, quam alias, cura copias conſcripſit, quas Germanis, ad vindictam ſumendam venturis, opponeret. Henricus contra, diſſimulato vindictae ſtudio, tam paucos milites ſecum traxit, vt non tam ad bellum gerendum, quam ad Abam in pacta rurſus adigendum, ac pacem inter diſſidentes proceres et regem conciliandam deſcendiſſe videretur. *Caeſar itaque*, ſcribit Turotzius, (*a*) *animatus inſtigationibus Hungarorum, cum exercitu Norico et Bohemico et phalangibus aulicorum ſuorum, venit in marchiam Auſtriae; diſſimulans, ſe intraturum Hungariam; ſimulans autem, ſe pactum ab Aba rege exacturum et reuerſurum. — Occurrit autem ei Aba rex in Menſem iuxta Iaurinum cum magna multitudine armatorum, nimium praeſumens de victoria; quia Bauari quidam intimauerant ei:* „quod caeſar cum paucis ſuper „eum veniret.“ *Et, vt dicitur, Aba rex victoriam habuiſſet; niſi Hungari quidam, amicitiam Petro regi reſeruantes, ſuper terram ſua vexilla proieciſſent et fugiſſent. — Commiſſo itaque praelio, inter vtrumque diu et acriter pugnatum eſt; ſed tandem caeſar, diuino fretus auxilio, felicem obtinuit victoriam.* Haec ita Hermannus confirmat: (*b*) *Ouo rex, quum iusiurandum pactumque infregiſſet; Henricus rex cum perpaucis copiis Pannonias petiit: quem Ouo, qui maximum parauerat exercitum, in tantum deſpexit,*

(*a*) Chron. P. II. cap. 37. (*b*) Ap. Piſt. Ed. Str. ad A. 1044

ſpexit, vt eum, quaſi facile occidendum, ſeu capiendum, prouinciam ingredi ſineret. Sed Henricus cum parte copiarum Rabam fluuium feſtine, in diuino confiſus auxilio, transuadauit: pugnam, cunctis militibus paſſim feſtinantibus, iniit: et in prima congreſſione innumerabilem Vngariorum exercitum fugauit et proſtrauit: et pauciſſimis ſuorum amiſſis, ipſemet fortiſſime pugnans, glorioſiſſimam victoriam adeptus eſt, III. nonas Iulii. (*a*)

CI. Tenemus igitur ex Hermanno Contracto certum annum, menſem, diem, quo rex Aba decretorio praelio victus, et in fuga caeſus regnoque ſpoliatus eſt. Videmus, fatalem illi diem 5. Iulii menſis anni 1044. fuiſſe. Nouimus ex eodem ſynchrono ſcriptore, regem hunc regno potitum eſſe 1041. Nouimus ex biographo Gerardino, ſacram illi coronam die paſchatis, ſeu 22. Martii menſis, impoſitam fuiſſe. Si hinc igitur annos, quibus Aba Hungariae praefuit, numeremus; certo calculo principatum Abae tribus annis completis tribusque menſibus et diebus 15. definiemus. Quia Hungarorum a vera fide defectio primum Andrea regnante contigit; Abam Chriſtianae religionis fautorem ac defenſorem fuiſſe colligimus, qui pronis ad auitas ſuperſtitiones reſumendas Hungaris ſeſe fortiter oppoſuerit. Illius pietatem exſtructum in Saar coenobium loquitur; corpusque, ſanatis vulneribus, ſi Turotzio credimus, (*b*) poſt aliquot annos corruptionis expers repertum abunde teſtatur. Fuerit igitur primus ille huius regis impetus, quo ſiniſtris quorumdam accuſationibus in transuerſum actus, vt ſibi

(*a*) Hiſt. Crit. T. I. p. 655—661. (*b*) Chron. P. II. cap 37.

ſibi regnoque ſecuritatem praeſtaret, in 50. viros barbare ſaeuiit. At a S. Gerardo de hac crudelitate monitus ac reprehenſus, poſtea reſipuit; certe nihil in liberum monitorem, quod alii metuebant, grauius conſtituit. Vnde credi poteſt, eum, poenitudine tactum, ſcelus illud expiaſſe; neque deinceps ſimile quid patraſſe. Popularem illum fuiſſe, qui cum plebeiis familiariter egerit, tot procerum querelae docent. Haec ſane popularitas idonea cauſſa non fuit, vt in eum quidam coniurarent ac Henricum concitarent. Id vnum in Aba nullo praetextu ſatis excuſari poteſt, quod regnum ſibi deferentibus aſſenſum praebuerit, ac in Petri, regis legitimi, fautores initio ſaeuierit. Inteſtinarum diſcordiarum repudiatique legitimi regis is demum fructus erat, vt et Hungariae limes imminueretur, et Hungarorum ſanguis toties funderetur. Omnis mutatio periculoſa, regum periculoſiſſima, quae numquam non bella cruenta, quae maiora damna, quam regis exauctorati vitia, creant, ſecum trahere ſolet. (*a*)

§. IX.

PETRVS RESTITVTVS, REX II.

Coepit A. C. 1044. *deſiit A. C.* 1046.

A. C. 1044. *Petri reſt.* 1. *Ind.* 12. *P.* 22. *A.*

CII.

Aba profligato, Hungariae proceres veriti, ne Henricus in vindictam fuſi ſuorum ſanguinis regno

 vaſti-

(*a*) Hiſt. Crit. T. I. p. 661—659.

vaſtitatem inferret, ſupplices ad victorem oratores miſerunt, qui pacem deprecarentur. *Interea*, ſcribit Turotzius, (*a*) *Hungari congregati, ſupplices venerunt ad caeſarem, veniam et miſericordiam implorantes: quos caeſar placido vultu et benigne ſuſcipiens, quod rogabant, conceſſit. Indeque cum omni multitudine ſua Albam venit, — quae eſt principalis ſedes regni Hungariae. Ibi ergo caeſar, imperiali honore* (nondum erat coronatus imperator) *et lautiſſimo praeparatu ab Hungaris honoratus, Petrum regem, regali coronae plenarie reſtitutum, et ſacris inſigniis S. regis Stephani more regio decoratum, in regalem thronum manu ſua deducens, in baſilica glorioſae genitricis DEI, ſemper virginis MARIAE, regaliter ſedere fecit, et ibidem regem Hungaris et Hungaros regi reconciliauit: conceſſitque petentibus Hungaris Hungarica ſcita ſeruari, et conſuetudinibus iudicari. His itaque taliter ordinatis, caeſar, Petro rege cum praeſidio ſuorum in Hungaria relicto, cum optata proſperitate Ratisbonam rediit.* Coronam ergo regiam Petrus Albae regiae reſumſit; an ibidem primum eadem incinctus ſit, incertum eſt: id certum, S. Stephanum Strigonii, Samuelem Abam Tsanadini coronatos fuiſſe. Reſtitutionem Petri Hermannus quum deſcribit; de Henrico haec interiicit: (*b*) *Vngarios petentes lege Baioarica donauit.* Quis credat, Hungaros tam cito leges patrias, quarum alias tenaciſſimi fuerunt, abieciſſe, petiiſſeque, legibus vt Bauaricis, non Hungaricis, gubernarentur? Plus hic deferendum eſt Turotzio, qui *Hungaros Hungarica ſcita ſeruari* petiiſſe, Henricumque petentibus id conceſſiſſe perhibet. Veriti nempe, ne Germanorum auxilio reſtitutus Petrus, eorumdem leges, abolitis

(*a*) Chron. P. II. cap. 37. (*b*) Ad A. C. 1044.

olitis Hungaricis, inducere velit, caute malo huic occurrerunt. (*a*)

A. C. 1045. *Petri reſt.* 2. *Ind.* 13. *P.* 7. *A.*

CIII. Petrus, eius auxilio res ſuas firmaturus, cuius auſpicio regnum recuperauit, ſiue quod auerſos a ſe quorumdam Hungarorum animos non obſcure compererit, ſiue quod pactum, ſub quo Henricus eius cauſſa toties ſagum induerat, in effectum deducere voluerit; miſſis ad eum legatis, petiit ac obtinuit, vt, vbi ſe mitior anni tempeſtas aperuerit, rurſus in Hungariam veniret. *Petrus rex*, inquit Hermannus, (*b*) *Heinricum regem, in feſtiuitate pentecoſtes ad ſe inuitatum, cum magno apparatu ſuſcepit, et maximis muneribus donauit; eique regnum Pannoniarum, principibus Vngariorum fidelitatem illi et ſucceſſoribus eius iuramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipſe, dum viueret, poſſidendum recepit.* Sigebertus quoque Gemblacenſis teſtatur, (*c*) Petrum *Hungariam* Henrico *tributariam feciſſe.* Haec et alia Germanorum teſtimonia Praius in dubium vocat, (*d*) *quum noſtri haec ſilentio praetereant.* At enim regnum ipſum Hungariae Petrum Henrico tradidiſſe, Turotzius ipſe his verbis affirmat: (*e*) *Sequenti vero anno reuerſus eſt caeſar in Hungariam, cui Petrus rex in ipſa ſancta paſchali* (pentecoſtali) *ſollemnitate regnum Hungariae cum deaurata lancea tradidit, coram Hungaris ſimul et Teutonicis; multis etiam inſuper et magnificis muneribus caeſar honorificatus a rege ad propria rediit cum gloria.* Negamus

(*a*) Hiſt. Cr. T. I. p. 665—673. (*b*) Ad A. C. 1045. (*c*) Ad A. C. 1043. (*d*) Ann. P. I. p. 50. (*e*) Chr. P. II cap. 38.

gamus tamen ex hac oblatione Petri ius aliquod in regnum Hungariae caeſaribus accreuiſſe; nec enim potuit Petrus hanc oblationem ſine conſenſu regni facere. Regnum autem non conſenſiſſe, teſtes ſunt Andreas et Leuentha, contra Petrum ab optimatibus ex Ruſſia reuocati; teſtes ipſi ſucceſſores Henrici, quorum nemo quicquam ſibi iuris in Hungariam arrogauit; teſtis potiſſimum Andreas I. qui totis ceruicibus ius iſtud excutere, ſuaeque libertati Hungariam reſtituere conatus eſt. Quare, quod Petrus Henrico regnum obtulerit; quod Andreas ſubinde ſemel ac iterum inducias annuo cenſu redemerit; quod Salomonem filium Henrici IV. fidei commiſerit; nullum inde ius in Hungaros, quorum potiorem partem his pactis aduerſatam fuiſſe, tum exauctoratio Petri, tum enata ſub Andrea bella docent, Germaniae reges acquiſiuerunt. Turotzius quidem traditionem regni fuiſſe factam a Petro ſcribit, *coram Hungaris*; ſed non addit, *conſentientibus*; non addit, *fidem et obedientiam Henrico iurantibus*; non addit, *optimatibus aut omnibus*, *aut potioribus*, ſine quibus traditio legitima, ſecundum Hungariae iura, fieri non poterat. (*a*)

A. C. 1046. *Petr. Reſt.* 3. *Ind.* 14. *P.* 30. *M.*

CIV. Non multo poſt, quam Henricus in Germaniam reuertiſſet; apparuit, eam regni traditionem potiores Hungaros ratam non habuiſſe. Vix enim rumor de pactis indigniſſimis per Hungariam diditus eſt; quum omnes, quibus auita libertas cordi fuit, de Petro rurſum exauctorando, qui iura gentis infra libidinem haberet, conſilia clam agitarunt. *Eo tempore*, ſcribit Turotzius, (*b*) *quidam magna-*

(*a*) Hiſt. Cr. T. I. p. 673—679. (*b*) Chron. P. II. cap. 39.

magnates Hungariae, deſolationem regni gementes, et liberationem Hungariae a tyrannide Petri cupientes; Endrae, Belae et Leuentae, qui de genere S. Stephani regis progeniti erant, intemeratam fidelitatem ſeruabant. — Erant autem iſti magnates Viſca, Bua et Buhna, et alii eorumdem cognati, qui ſemper cum ſuſpiriis et gemitibus exſpectabant opportunum tempus, quando Andream, Belam et Leuentam poſſent reducere in Hungariam, et regnum generi S. Stephani regis, qui eos dilexerat et exaltauerat, omnibus viribus ſuis reſtituere laborabant. Viſcam iam alias primae contra Petrum ſeditionis auctorem fuiſſe, Turotzius aſſeruit. (*a*) Buam et Buhnam Gyulae iunioris fuiſſe filios, anonymus Belae notarius docet. (*b*) *Petrus vero rex*, pergit Turotzius, *per poteſtatem regis Teutonicorum elatus, non iam regnabat; ſed potius tyrannidis ſuae crudelitate Hungariam deprimendo flagellabat.* Atque his potius temporibus ea Petri regis in Germanos, quorum auxilio regnum recepit, ſtudia conueniunt, quae Turotzius ad initium eius principatus, quo tamen arma Germanis intulit, commemorat. Dum a coniuratis vltro citroque nuncii mittuntur; non potuit ita res occulte peragi, quin ad aures quorumdam Petri fautorum effluerет. Petrus, ab his edoctus, *vehementi furore ſuccenſus*, vt ibidem Turotzius refert, *fecit eos comprehendi, et in equuleo ſuſpenſos interfici; quosdam autem, effoſſis oculis, tormentari; et totam Hungariam tam magnis afflixit anguſtiis, vt magis eligerent mori, quam ita miſerabiliter viuere. Tunc nobiles Hungariae, videntes mala gentis ſuae, in Chanad in vnum conuenerunt, conſilioque habito totius Hungariae, nuncios miſerunt ſollemnes in Ruſciam* H 4 *ad*

(*a*) Chron. P. II. cap. 36. (*b*) Cap. 24. 27.

ad Andream et Leuentam, dicentes eis; „quod tota „ Hungaria eos fideliter exſpectaret, et vniuerſum „ regnum eis, ſicut regali ſemini, libenter obſe- „ queretur; tantummodo ipſi in Hungariam deſcen- „ derent.“ — *Endre vero et Leuente, timentes palliatas inſidias, clamculum miſerunt nuncios in Hungariam.* Rebus omnibus diligenter exploratis, Hungariam ingreſſi, pleroſque populares in ſuas partes traduxerunt. *Petrus autem rex*, ita rurſum Turotzius, (*a*) *videns, Hungaros vnanimiter adhaeſiſſe ducibus Endre et Leuente, ipſe cum ſuis Teutonicis fugam iniit verſus Muſun, vt abinde in Auſtriam pertranſiret; ſed euadere non potuit.* Ab Andreae militibus in quadam curia circumfuſus, *per triduum viriliter dimicando, ſemetipſum defendebat. Tandem milites eius omnes a ſagittariis ſunt interemti; ipſe vero viuus captus eſt et obcaecatus.* (*b*)

CV. Petrus ea crudelitate, qua ſibi conſulere voluit, plurimum nocuit. Ea namque Hungari magis exulcerati, conſilia ſua de nouo rege conſtituendo maturarunt, ac eadem illum poena, qua plures affecerat, multarunt. Praecipua laus eiusdem erat, quod nouellam Chriſti religionem, ab auunculo ſuo magnis laboribus in Hungaria plantatam, adeo ſtrenue defenderit et feliciter conſeruauerit, vt neque ſpem ſancti regis fruſtratus fuerit, neque perfidi ſuſceptae fidei deſertores, eo rerum potiente, ſceleratas molitiones ſuas in effectum deducere potuerint. Quare Petri crudelitas, cuius paſſim inſimulatur, excuſari poſſe videtur; ſi hanc in eos potiſſimum exſertam dicamus, qui Chriſtiana ſacra tollere conaban-

(*a*) Chron. P. II. cap. 41. (*b*) Ett. Cr. T. I. p. 679—682.

nabantur. Certe Buam et Buhnam ex horum numero fuiſſe, ſuſpicari licet; quum Gyulam iuniorem, eorum patrem, ſi Turotzio credimus, (a) S. Stephanus *cum tota familia ſua absque velle compulerit baptizari.* Si hi Gyulae filii baptismum ex metu ſuſceperunt; pronum erat, vt auitas ſuperſtitiones, metu ſublato, reſpectarent; ac Andream ea potiſſimum de cauſſa Petro ſufficere conarentur, quod ſub illo facile, quod ſub iſto non licebat, effecturos ſe ſperarent. Non eſſe vanam hanc meam coniecturam, ex euentu facile colligi poteſt. Diſſimularunt illi quidem ſuum hoc conſilium; ſeu quum alios meliores Hungaros in factionem ſuam pellicerent; ſeu quum in Ruſſiam legationem ad euocandos duces mitterent; idque ſolum huic deſtinationi praetexuerunt, vt *a furore Teutonicorum defenderentur*, pendendique tributi neceſſitate liberarentur. At, quamprimum Andream in caſſes pertraxerunt; quid potiſſimum his molitionibus intenderint, mox aperte prodiderunt. *Quum autem*, inquit Turotzius, (b) *veniſſent ad nouum caſtrum, quod rex Aba conſtruxerat; ecce! vniuerſa multitudo Hungarorum caternatim confluxerunt ad ipſos, et inſtinctu diabolico inflammati, peruicaciter petierunt ab Endre et Leuente, quod permitteret vniuerſum populum ritu paganorum viuere.* Impetratis iis, quae perditi homines voluerunt; mox, vt promiſerant, ad Petrum tollendum, a quo haec obtinere numquam poterant, ſecundum impia pacta ſe contulerunt. Petrum regem bis ab Hungariae proceribus exauctoratum fuiſſe, tam patrii, quam exteri ſcriptores vno conſenſu tradunt. Sed quando primum, quando ſecundum regno deiectus fuerit, quotue principatus annos

(a) Chron. P. II. cap. 30. (b) Chron. P. II. cap. 39.

nos vniuerſe numerauerit, non conueniunt. Turotzius primam aduerſus illum coniurationem erupiſſe ſcribit (*a*) *anno regni Petri tertio*. Quum igitur coeperit regnare 15. Aug. 1038. quo S. Stephanus obiit; alterum annum regni compleuit ac tertium inchoauit 15. Aug. 1040. quem continuauit anno quoque ſequenti 1041. cuius menſe circiter Martio Petrum exauctoratum fuiſſe, coronatio Samuelis Abae, quam 22. Martii 1041. peractam fuiſſe vidimus, oſtendit. Ad hunc etiam annum et Petri regis exauctorationem, et Abae promotionem figit Hermannus Contractus, quarto decimo poſt anno mortuus, qui filum Ariadnaeum in perturbata horum temporum chronologia nobis porrigit. Turotzius alteram Petri regis exauctorationem factam ait (*b*) *anno regni ſui ſecunda vice tertio*. Laudatus Hermannus, ad quem, veluti Lydium lapidem, eruditi chronologiam horum temporum exigunt, Petrum, Aba victo, reſtitutum ſcribit 5. *Iulii* 1044. anno; regno priuatum *in autumno*, 1046. Quum igitur primum annis 2. menſibus fere 7. ſecundo praefuerit annis 2. menſibus circiter 3. vniuerſe regno non praefuit annos 5. Turotzius igitur eosdem male porrigit *ad annos quinque cum dimidio*. (*c*)

§. X.

(*a*) Chron. P. II. cap. 36. (*b*) Chron. P. II. cap. 41. (*c*) Hiſt. Cr. T. I. p. 683—699.

§. X.

ANDREAS I. REX IV.

Coepit A. C. 1046. *deſiit A. C.* 1061.

A. C. 1046. *Andr.* 1. *Ind.* 14. *P.* 30. *M.*

CVI.

De nexu ſanguinis, quo S. Stephanum Andreas contigit, nullum eſt dubium. Omnes admittunt, eum Toxi pronepotem, Michaelis, Geiſae fratris, nepotem fuiſſe. Non magis igitur Andreas a Toxo, quam S. Emericus, eiusdem Toxi pronepos, diſtabat. Pater Andreae, ſi Turotzium audiamus, Ladislaus Caluus; ſi biographum S. Gerardi, Vazul, vterque S. Stephani patruelis, erat. Cur Andreas, licet ex Arpadiana ſtirpe virili prognatus, ante Petrum et Abam, quorum vterque per ſexum dumtaxat ſequiorem eidem innexus erat, ille S. Stephani ſororis filius, hic ſororis maritus, ſolium Hungariae non conſcenderit, iam alias coniectauimus. Quidquis autem dicamus; ſiue hos fratres exſilio propter coniurationem damnatos eſſe, ſiue clamcularia fuga ſibi conſuluiſſe; ſiue conſilio S. Stephani ſolum vertiſſe; certum eſt, eos in Ruſſiam ex Polonia transiuiſſe, coniugemque Ruthenam illic Andream duxiſſe. (*a*) Huic Germanicum *Agmundae* nomen primus his verbis Bonfinius tribuit: (*b*) *Vxoremque duxit Agmundam, Ruthenorum ducis filiam.* Nempe Turotziana haec verba: (*c*) *In clauſtro Agmund matre et uxore relictis*, ita Bonfinius interpunxit, vt *Agmund*

(*a*) An. cap. 15. Tur. P. II. cap. 42. (*b*) Dec. II. Libr. II. p. m. 227. (*c*) Chron. P. II. cap. 54.

Agmund ad matrem Salomonis, non ad clauſtrum Admontenſe, quod olim *Agmund* dicebatur, referret. Fuit vxor Andreae *Naſtaſia* vel Anaſtaſia dicta, Iaroslai Wladimerouichii filia, per Iuditham proneptis Geiſae, ducis Hungariae. (*a*)

CVII. Ex Hermanno Contracto conſtat, Andream A. C. 1046. regnare coepiſſe. Quia tamen alii huic annum vnum addendum, alii demendum eſſe contendunt; initium Andreae regnantis nec ad an. 1045. poſſe retrahi; nec ad an. 1047. poſſe retrudi, certiore hic argumento docebimus. Geminum exſtat Andreae regis diploma, quorum alterum pro Tihanyienſi coenobio ſignatum eſt *anno* 1055. *anno regni Andreae nono;* alterum pro coenobio, quod Rado palatinus ad Sauum erexit, ita clauditur: *Datum* 2. *nonas Iunii*, *indict.* 10. *anno incarn. dom.* 1057. *regni noſtri anno* 12. Si primus Andreae regis annus retraheretur ad an. 1045. annus regni nonus eſſe non potuiſſet annus 1055. qui ſub initium acceptus (nec enim Andreas electus erat ſub initium anni 1046.) nonus dici poterat. Si vero primus eiusdem annus retruderetur ad an. 1047. annus regni duodecimus eſſe non poſſet annus 1057. Poteſt autem hic annus Andreae duodecimus dici; ſi ſtatuamus, illum ante 2. *nonas* Iunias electum: quod veriſimile reddunt tot legationes, vltro citroque miſſae, priusquam Andreas in Hungariam, ineunte iam auctumno, veniſſet anno 1046. Quum autem Turotzius ſcribit: (*b*) *Poſt mortem S. regis Stephani transacti ſunt anni XI. menſes IV. vsque ad annum primum imperii Andreae regis;* ſeipſum conficit. Mortem enim S. Stephani regis

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 1—7. (*b*) Chron. P. II. cap. 44.

regis alibi collocat ad 15. Auguſti 1038. Andreas igitur, additis huic anno menſique XI. annis, IV. menſibus, regnum auſpicatus fuiſſet 15. Decembris an. 1049. Atqui iam alias illum fuiſſe coronatum aſſeruit (*a*) *anno* 1047. Vel igitur ipſe ſibi contradicit, vel incuria librariorum annum XI. pro IX. ſubſtituit. Confirmatur haec chronotaxis ex illo S. Gerardi vaticinio, quo, dum Aba coronaretur, praedixit, inter Hungaros *immanem ſeditionem excitatum iri*, *atque in ea ſe mortem oppetiturum*. Quum enim biographus ſubiiciat: *Vno inde luſtro euoluto, et altero inchoato, praedicta ſeditio exſtitit*; a 22. Martii 1041. quo coronatus Aba Gerardusque haec vaticinatus erat, alterum luſtrum inchoatum eſt 5. vel 6. menſibus ante dies auctumnales anni 1046. Hoc igitur anno tam Andreas electus, quam S. Gerardus caeſus eſt. (*b*)

CVIII. Poſtquam Andreas, in Hungariam a ſeditioſis euocatus, ex Aba-Ujvár, vbi primum conſtiterat, Peſtinum cum fratre profectus fuiſſet; perditiſſimum hominum, auitas ſuperſtitiones reſpectantium, genus acrius inſtitit, vt ad idola redire, ſacraque Chriſtiana tollere ſibi liceret. Experti nempe prius, nec Petrum, nec Abam, vt ſperauerant, in tantum ſcelus conſenſiſſe; negabant, in Petrum ſe pugnaturos; niſi poſtulatis impiis Andreas ſubſcriberet: vt ſcilicet (*c*) *permitteret vniuerſum populum ritu paganorum viuere; epiſcopos et clericos occidere; eccleſias deſtruere; Chriſtianam fidem abiicere et idola colere.* Hic Andreas, in eos caſſes inductus, vnde pedem efferre ſine periculo non poſſet, viuendi regnan-

(*a*) Chron. P. II. cap. 42. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 7—11.
(*c*) Turotz. P. II. cap. 39.

regnandique cupiditate victus, inſanientium furori refragari non eſt auſus. Tum vero, ruptis veluti repagulis, homines nefarii, prius Petri metu coerciti, foedam tempeſtatem, qua funeſtiorem Hungaria non vidit, excitarunt, et ſacros cumprimis viros, quorum opera Chriſti fides in Hungaria primum plantata, deinde firmata fuit, ad necem deſtinarunt. (*a*) Malum, illic inchoatum, breui totam Hungariam torrentis inſtar inundauit. Vnde quo magis accuſandus eſt Andreas, quod conniuentia ſua tantorum malorum ſcaturiginem recluſerit; eo magis laudandus eſt et Petrus et Aba; quod conſtantia ſua tam impios conatus in fonte praefocauerint. Non enim eſt dubitandum, idem ſub iſtis perfidos illos tentaſſe, quod ſerius, arrepta hac occaſione, perfecerunt. Rurſus igitur apparet, merito Samuelem a pietate dictum Abam; merito Petrum a S. Stephano ſucceſſorem deſtinatum fuiſſe. Docuit autem euentus, Andream non ex animo Hungarorum a vera Chriſti religione defectioni conniuiſſe. Nam et Benetham furori ſaeuientium eripuit, et, quamprimum potentiam ſuam firmauit, grauiſſimum edictum dedit, quo ſuperſtitioſus deorum cultus abolebatur. Nullo tamen argumento ſatis excuſari poteſt, quod initio maiorem ſeu vitae, ſeu coronae rationem habendam duxerit, quam vt alterutram, vel vtramque prae religione periclitari voluerit. (*b*)

CIX. Quum quidam Hungariae praeſules intellexiſſent, Andream et Leuentam in Hungariam accitos ac principes inaugurandos eſſe; ne, ſi ſe huic ſollemnitati ſubducerent, grauiores principum et popula-

(*a*) Id. ib. et Biogr. Ger. cap. 19. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 11—15.

pularium iras in ſe prouocarent; Albamregalem, quae iam tunc locus coronandis regibus deſtinatus fuiſſe videtur, iter arripuerunt. Hinc tamen paullo poſt Peſtinum verſus, vbi ſubſtitiſſe principes audiuerant, ſeſe contulerunt. Primus eorum *S. Gerardus* erat, Tsanadienſis epiſcopus. Socium eius, *Buldum*, recentiores poſt Inchofferum Agrienſem antiſtitem faciunt; ſed nullum vetus teſtimonium, quo ſuam opinionem fulciant, producunt. Certe, ſi praeſul Agrienſis erat; non video, cur Albam ad Andream ſalutandum iuerit, quem facilius vel in via, vel Peſtini conuenire potuit. Quare, ſi ratio huius itineris habeatur; multo veriſimilius vel Batſienſis, vel Colocenſis antiſtes erat. *Beztertus* etiam epiſcopus alterutrius huius ſedis ſi habeatur; e ſitu locorum commoda reddi ratio poteſt, cur itineris comites S. Gerardo ſe iunxerint. Beztertum tamen aliqui, tacentibus monumentis veteribus, Nitrienſem epiſcopum fuiſſe contendunt, cuius tamen epiſcopatus initia ſerius eſſe defigenda deinde videbimus. Tribus his epiſcopis, ab impia turba crudeli nece ſublatis, Peterfius Dominicum archiepiſcopum addit, quem patrios ſcriptores ſilentio praetermiſſuros fuiſſe, vix eſt credibile; quum aliorum inferioris ordinis virorum nomina prodiderint. Tres illi tantum epiſcopos neci datos perhibent; quartum enim Andreas manibus ſaeuientium eripuit. *Endre autem dux*, inquit Turotzius, (*a*) *interim ſuperueniens, Benetam epiſcopum a manibus eorum liberauit.* Beneta hic, ſiue Benedictus, videtur poſtea Strigonienſis creatus, qui litteris Andreae ſubſcriptus anno 1055. legitur. Primus hic furentium Hungarorum impetus tantam Chriſtianorum multitudinem hau-

(*a*) **Chron. P. II. cap. 40.**

hauſit, vt nullus certum pro Chriſti fide peremtorum numerum inire poſteriſque prodere potuerit. *Eorum numerus*, inquit ibidem Turotzius, *DEO tantum et angelis eſt cognitus.* (a)

A. C. 1047. *Andr.* 1. *Ind.* 15. *P.* 19. *A.*

CX. Non ſtatim Andream, ac in Hungariam venit, ſacra corona redimitum eſſe, patrii ſcriptores innuunt. Prius enim, quam id fieret, ita de hoc Andrea fratreque Leuenta loquuntur, vt parem vtrique poteſtatem tribuere videantur. Vtrumque vero coronatum fuiſſe, nullus adhuc memoriae prodidit. Quare prius Leuenta vitam clauſiſſe videtur, quam Andreas ſacro diademate ſollemniter incingeretur. Id Aloldus diſerte his verbis affirmat: (b) *Petro in carcere mortuo, et Leuenta etiam defuncto, coronatur Andreas.* Turotzius quidem Leuentae mortem poſt Andreae coronationem narrat; quia tamen non affirmat, eum poſt inaugurationem fratris, ſed *eisdem diebus*, obiiſſe, licet eius mortem Andreae coronationi praemittamus; ei non aduerſabimur. *Leuente vero*, ſcribit, (c) *in eisdem diebus mortuus eſt: qui ſi diutius vixiſſet, et regni poteſtatem obtinuiſſet; ſine dubio totam Hungariam paganiſmo et idololatria corrupiſſet.* Antequam Leuenta deceſſiſſet; dubitari potuit, vter e fratribus eſſet praeferendus, vel an vterque coronandus. Nam licet Andreas aetatis praerogatiua Leuentae praeponendus fuerit; ei tamen impii Chriſtianae religionis deſertores addicti peraeque non erant, ac Leuentae, quem et ad auitas ſuperſtitiones reuerſum, et ea-

(a) Hiſt. Crit. T. II. p. 15—31. (b) Ad annum 1047. (c) Chron. P. II. cap. 42.

earum in Hungariam reducendarum ſtudioſum fuiſſe, Turotzius perhibet. Andream contra has perditorum molitiones auerſatum fuiſſe, patuit ex Beneta morti ſubducto, conditoque poſtea ſaluberrimo decreto, quod eidem appellationem *Catholici* conciliauit, vt idem Turotzius his verbis docet: (*a*) *Iſte quidem rex Albus Andreas et Catholicus eſt vocatus.* Leuenta mortuo, quum etiam illi, qui huic prae fratre fauere poterant, in Andream vota contuliſſent; hic, ſuperatis omnibus difficultatibus, nihil cunctatus, Albamregalem ad inaugurationis ſollemnia conceſſit. *A tribus tantum epiſcopis*, inquit Turotzius, *qui in illa magna ſtrage Chriſtianorum euaſerant, coronatus eſt anno dom.* 1047. Prius igitur hoſtium Chriſtianae religionis furor deferbuit; prius Leuenta, hoſtis verae fidei, ſupremum diem obire debuit, vt Andreas a tribus epiſcopis catholico ritu coronari potuerit. Tres hos epiſcopos, a communi naufragio ſeruatos, cenſet Péterfius et poſt eum Schmitthius, (*b*) fuiſſe Maurum, Quinqueeccleſienſem; Modeſtum, Iaurinenſem; Neaemiam, incertae ſedis antiſtitem. Miror, ab iis praeteritum et poſtremo non ſuffectum Benetam, quem ab Andrea liberatum vidimus. (*c*)

CXI. Potiorem Hungariae partem Chriſtiana ſacra conſtanter retinuiſſe, patuit ex Andreae coronatione, quam epiſcopi catholico ritu peregerunt. Nempe fidei proditores, poſtquam praecipuum ſuae factionis fulcrum in Leuenta, morte ſublato, ſubrutum

(*a*) Ibid. (*b*) Agr. Ep. T. I. p. 31. (*c*) Hiſt. Cr. T. II. p. 31—38.

rutum viderunt, animis conciderunt; neque, bonis praeualentibus, quicquam in Chriſtianos porro tentarunt. Licuit igitur his, licuit epiſcopis palam ad coronationem Albam confluere. Horum conſilio, illorum maiore numero rex Andreas erectus, quod antea metu compulſus, praepoſtera conniuentia, fidei deſertoribus indulſit; id, ſalutari poenitudine tactus, mox ab inauguratione retractauit. *Praecepit itaque*, ſcribit Turotzius, (*a*) *vniuerſae genti ſuae, ſub poena capitalis ſententiae, vt, depoſito paganismo, prius eis conceſſo, ad veram Chriſti fidem reuerterentur, et in omnibus ſecundum legem illam viuerent, quam S. rex Stephanus eos docuerat.* Haec Bonfinius more ſuo fuſius deduxit, ac hiſtoriae ſuae, ſtilum legislatoris imitatus, inſeruit. (*b*) Quum Zacharias Moſotzius decreta Hungariae regum in vnum volumen collegiſſet, ac Tirnauiae vulgaſſet anno 1584, quia decretum ipſum Andreae nusquam reperit; ex Bonfinio quaedam capita depromſit, et codici patrii iuris inſeruit, fonte ſimul, ex quo haec hauſit, indicato. Hanc illius in margine notatam admonitionem: *Bonſin. Decad.* 2. *lib.* 2. *fol.* 192. *vlt. ed.* merito Kollarius et Praius in recentioribus editionibus omiſſam queruntur. Nec enim omitti citra tam editoris iniuriam, quam ſuppoſitionis notam poteſt; ne, quod Bonfinii commentum eſt, Andreae decretum eſſe putetur. Edidiſſe quidem Andream aliquod decretum in fidei Chriſtianae fauorem, vt Turotzius refert, ex hoc S. Ladislai decreto colligimus: (*c*) *Quod patruus ſuus, Andreas rex, cum omnibus, qui tunc erant, epiſcopis voluit et ſtatuit; iſte rex Chriſtianiſſimus, deſtruere noluit; ſed*

(*a*) Chron. P. II. cap. 42. (*b*) Dec. II. Libr. II. (*c*) Libr. I. cap. 37.

ſed firmius corroborauit, trium dierum vigiliam ad feſtiuitatem S. Petri. Verum haec ipſa verba ſatis indicant, non ipſum Andreae decretum a Moſotzio relatum eſſe; quum in iſto nulla huius Andreae legis, qua ſacrilegam in eccleſiam temeritatem ſuorum etiam ſubditorum ieiuniis eluere voluit, mentio reperiatur. (*a*)

CXII. Poſtquam Andreas ſaluberrimo hoc edicto religioni conſuluiſſet; id operam dedit, vt Henricum III. quem ob Petrum ſolio deiectum ac oculis orbatum arma ſumturum non dubitauit, quoquo modo ſibi conciliaret. Primum igitur in eos, qui Petrum indigne tractauerant, ne ſceleris impunitate legitimos in reges graſſandi licentia creſceret, grauiter animaduertit; tum annuum quoque cenſum, quem Petrus addixerat, per oratores ſuos ei promiſit; ne ſcilicet, hoc negato, Henricus inferendi belli, priusquam ipſe vires ſuas confirmaſſet, occaſionem arriperet. *Andreas*, inquit Hermannus, (*b*) *qui regnum Petri obtinuit, iam crebro legatos ſupplices miſerat, regnum ſe, ab Vngariis coactum, ſuſcepiſſe, confirmans; de Petri ſe iniuriis excuſans; quique aduerſus eum coniurauerunt, partim a ſe trucidatos, partim ipſi imperatori tradendos, denuncians; ſuamque imperatori ſubiectionem, annuum cenſum et deuotam ſeruitutem, ſi regnum ſibi habere permitteret, mandans.* Henricum oblatam conditionem, qua ne victor quidem acerbiorem dictare poterat, non acceptaſſe, his verbis Aloldus teſtatur: (*c*) *Imperator Heinricus, Petri iniuriam vindicaturus, et etiam ſuam, quia regnum ad ſe redire*

I 2 de-

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 35—41. (*b*) Ad annum 1047. (*c*) Ad ann. 1047.

A. C. 1049. *Andr.* 3. *Ind.* 2. *P.* 26. *M.*

CXIV. Opportunus Belae reditus in Hungariam Andreae regi fuit, qui, licet opimas pacis conditiones Henrico, quod ad bellum propulſandum nondum ſatis comparatus eſſet, obtulerit; ille tamen, nondum iis delinitus, nondum a ſtudio vindictae reuocatus, manifeſta hoſtilis animi ſigna prodebat. In omnem igitur occaſionem nocendi Hungaris intentus, quum aliis ipſe Germaniae negotiis impediretur; Adalbertum, Auſtriae marchionem, militibus ſuis adiutum, in Hungariam irrumpere iuſſit. *Imperator*, inquit Aloldus, (*a*) *Adalbertum marchionem denuo arma in Vngariam expedire mandat; et ipſe milites ſubmiſit: quibus tamen Andreas aditum caute praecluſit; ac interim per legatos iram Heinrici mitigauit, fidem cum tributo promittens.* Nondum a cladibus, quas antea Henricus intulerat, ita ſe Hungaria collegit, vt armatas hoſtibus copias rex opponere poſſet. Quare partim aditum in Hungariam irrupturis interclufit, partim promiſſum tributum innouando, Henricum ſibi conciliare voluit. At illum promiſſis his non acquieuiſſe, bella deinceps conſequuta clare teſtantur. Rurſus igitur ex hoc Andreae promiſſo, quod Henricus non acceptauit, nihil illi iuris in Hungariam accreuit. (*b*)

A. C. 1050. *Andr.* 4. *Ind.* 3. *P.* 15. *A.*

CXV. Poſtquam Henricus imperator rurſus oblatam ab Andrea pacis conditionem reieciſſet; Gebhardum, Ratisbonenſem epiſcopum, cum maioribus copiis in Hungariam immiſit. *Quum epiſcopus Ratisbonae*

(*a*) Ad annum 1049. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 50—52.

tisbonae Gebehardus, inquit Hermannus, (*a*) *in Pannoniarum terminis moraretur; cedentibus Vngariis, fines eorum ingrediens, praedas inde abduxit. Sed, ipſo diſcedente, plurimus Vngarorum exercitus, fines noſtrorum inuadens, plurimam partem captiuauit, incendit atque vaſtauit.* Andreas nempe, tot iniuriis prouocatus, arma tandem et ipſe corripuit, vicemque hac Germaniae populatione hoſti reddidit. Ea res hoſtium duces permouit, vt ad frenum Hungaris obiiciendum, Hamburgum inſtaurandum ſuſciperent. Quod conſilium Hungari necquicquam impedire conati ſunt. (*b*)

A. C. 1051. *Andr.* 5. *Ind.* 4. *P.* 31. *M.*

CXVI. Quum Andreas, maximos ad bellum Hungaricum apparatus ab Henrico fieri, comperiſſet; eius animum ad lenitatem reducturus, iterum pacem per oratores ſuos petiit. Verum Henricus, iniurias Petri regis, vt pridem conſtituerat, armis vlturus, contemtis, quae toties offerebantur, pacis conditionibus, ineunte iam auctumno, bellum Hungaris intulit. *Sequenti auctumno*, ſcribit Hermannus, (*c*) *magno cum exercitu imperator, pactum Andreae regis, vt per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petiit; Gebehardoque, Ratisb. epiſcopo, et Wolff* (Carinthiae) *Brezizlaoque* (Bohemiae) *ducibus ad ſeptemtrionalem partem Danubii depopulandam transmiſſis, ipſe, deuecto e nauibus, quantum in equis poterat, ſumtu, longo propter fluuiorum illuuionem circuitu, per Carentani fines transiens, peruiumque regnum inuadens, hac et illac Vn-*

(*a*) Ad annum 1050. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 52—54. (*c*) Ad annum 1051.

garico exercitu, latrocinantium more, fugitante, et nuſquam aequo Marte conferre manum audente, omnia circumquaque, quoad ſumtus militi ſuppetebant, vaſta reddidit. Arte nempe Hungari trahere bellum, quam aequo Marte confligere, malebant. Vt enim fame hoſtis ad receptum cogeretur; quacumque Henricus iter facturus videbatur, diſcurrebant; herbam omnem ac ſegetem demeſſam exurebant; armenta, ne Germanis alimenta ſuppeterent, in ſaltus inuios abigebant. *Quumque caeſar*, inquit Turotzius, (*a*) *intraſſet ad Hungariam, et veniſſet in regiones combuſtas; neque militibus ſuis inuenire poterat victualia, nec equis. Et neſciebat, vbi naues eius eſſent; nullumque ſubſidium ex eis poterat habere. Tranſiens autem ſiluas, appropinquauit montibus Bodohat* (Bodaik) *omnium victualium penuria laborans. Interea autem Gebart epiſcopus venit in Iaurinum; et mittens epiſtolam ad Henricum caeſarem, ſciſcitabatur ab eo*: „vbi deberet ipſum exſpectare.“ *Is autem, qui ferebat litteras, DEO ſic volente, captus eſt a latrunculis Andreae regis, et ad eum ductus. Quumque, Nicolao epiſcopo interpretante, tenorem litterarum percepiſſent, reſcripſerunt epiſcopo Gebarth litteras, — talia continentes*: „Noueris, optime frater, „ Gebart epiſcope, quam magna et ardua negotia „ noſtri imperii nos ab Hungaria in Teutoniam ire „ compellunt. Nam inimici noſtri imperium no„ ſtrum hoſtiliter occuparunt. Ergo age, feſtina, „ et deſtructis nauibus, quam citius poteris, no„ bis Ratisbonae occurras. Nec enim tibi tutum „ eſt, amplius in Hungaria commorari.“ *His itaque cognitis, Gebart epiſcopus feſtinanter fugit in Teutoniam. Caeſar igitur, ſpe ſuſtentationis, quam*

a

(*a*) Chron. P. II. cap. 43.

a nauibus exſpectabat, fruſtratus, ad mortem coepit egere. — Inſuper etiam Hungari et Biſſeni ſingulis noctibus acriter eos infeſtabant. — Prae timore autem imbrium ſagittarum, quibus Teutonici compluebantur, et conſumebantur, fodiebant ſibi terram; et deſuper inſertis clypeis, etiam viui cum mortuis iacebant in ſepulcris. Nam ſepulcrum, quod mortuo fodiebatur in die, viuus iacebat in eo de nocte; et quod viuo fodiebatur pro nocte, mortuus ſibi vendicabat de die. Mons *Vértes* appellatione ſua cladis huius memoriam hodieque tuetur. Etſi vero ſcriptores alii haec adeo minutim non exponant; omnes tamen cauſſam reditus in famem reiiciunt. Vnde vero haec fames? Cur bellum ſeipſum non aluit? Cur Henricus ex nauibus annonam non promſit? Nempe commeatus aſtu, quem Turotzius deſcribit, interuerſus eſt. Henricus igitur, tanta penuria preſſus, et ab Hungaris vndique laceſſitus, ocius in Germaniam redire coepit. Sed Hungari, rem ita caſuram ominati, ripas fluuiorum obſidebant. Pereundum erat exercitui Germanico; niſi Burgundi, Saxones ac Bohemi, qui caeſarea ſtipendia merebant, animis ex deſperatione ſumtis, oppoſitum Hungarorum agmen perrupiſſent. (*a*)

A. C. 1052. *Andr.* 6, *Ind.* 5. *P.* 19. *A.*

CXVII. Andreas, hoc ſucceſſu conſiliorum ſuorum erectus, pactum, quod initio huius belli per legatos identidem obtulerat, ſed, Hermanno teſte, Henricus *accipere contemſerat*, reſcidit, ac poſt eius abitum, in Auſtriam irruit. Quum Henricum infelix anni ſuperioris expeditio, moxque reſciſſum ab An-

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 54—64.

mana reſp. ſubiectionem regni Hungarici perdidit, tributumque, quod ſine bello habere poterat, bello bis male geſto, Henricus amiſit. Id tamen Andreas pontifici dedit, vt illam Pannoniae ſuperioris partem, quam Aba primum ad Leitam vsque fluuium ei tranſcripſerat; deinde Petrus pleno iure poſſidendam reliquerat, eidem pacis cauſſa ceſſerit, et armorum in quosuis hoſtes, exceptis Italis, ſocietatem promiſerit. (*a*) Ita primus hic et vnicus pontificis in Hungariam aduentus fructu non caruit. (*b*)

A. C. 1055. *Andr.* 9. *Ind.* 8. *P.* 16. *A.*

CXVIII. Andreas, moleſto hoc bello liberatus, abbatiam Thanyienſem, quam, dum ab Henrico Poſonium obſideretur, vouerat, hoc anno feliciter abſoluit, publicoque diplomate muniuit. Cui, praeter Benedictum archiepiſcopum, tres epiſcopi, Maurus, Clemens, Nicolaus; inter plures comites, Zache, comes palatii, Cupan iudex, ſubſcripti leguntur. Epilogus ita habet: *Anno ſalutiferae incarnationis vnici numinis caeli ſeptemplicis vniuerſaeque creationis* 1055. *feliciter regnante praefato victorioſiſſimo principe, anno regni ſui nono, et cum eo nobiliſſimo duce Bela.* — Andreae regni nonus hic annus dici non poſſet; ſi primus eius annus fuiſſet 1045. vt ſupra iam obſeruauimus. S. Gerardi biographus, aliud quoque monaſterium ab Andrea conditum fuiſſe, his verbis indicat: (*c*) *Ipſe etiam rex, pietate valde Chriſtianus, duo monaſteria conſtruxit, Tychonenſe vnum, alterum Vicegradum.* Abbatiae S. An-

(*a*) Herm. Contr. ad an. 1053. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 65—78. (*c*) Cap. XXI.

S. Andreae prope Viſſegrad hodieque titulus exſtat. Mortuo Bretislao, Bohemiae duce, Wratislaum, eius filium, a fratre Spitigneo pulſum, Andreas hoc anno benigne recepit, eique filiam ſuam Adelhaidem vxorem dedit. (*a*)

A. B. 1056. *Andr.* 10. *Ind.* 9. *P.* 7. *A.*

CXIX. Inter multos, quos ex Germaniae principibus mors hoc anno ſuſtulit, erat Adalbertus, Auſtriae marchio, cuius meritis Henricus imperator dedit, vt Babenbergicae ſtirpis principes Auſtriae praeeſſent, patrique defuncto filius Erneſtus, e ſororis S. Stephani filia natus, 28. Maii ſuccederet. Henricus imperator, quarto poſt illum menſe fato functus, 3. Octobris Henricum IV. ſexennem filium, ſucceſſorem reliquit. Andreas igitur, hac parte hoſtium metu liberatus, durantibus inteſtinis motibus ab Hungariae iuribus auulſas Pannoniae Sauiae partes vindicaturus, Radonem palatinum, cuius erat, abſente rege, bello praeeſſe, copiis Hungaricis praefecit, amiſſaque feliciter recepit. Id poſt annum ſuperiorem factum eſſe, patet inde, quod illic Zache palatinus legatur, quem Rado mox excepiſſe videtur. (*b*)

A. C. 1057. *Andr.* 11. *Ind.* 10. *P.* 30. *M.*

CXX. Quod cum conſenſu regis Andreae coenobium anno proximo Rado palatinus ad Sauum fl. ſtruere coepit; illud et ad coronidem hoc anno perduxit, et fundis ampliſſimis donauit, et ab Andrea confirmationem huius aliarumque donationum in publicis regni comitiis, Albae regiae celebratis, impe-

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 111—121. (*b*) Ibid. p. 121—126.

manos in auxilium euocauit. Quia tamen non ignorauit, Salomonem, cuius cauſſa hoc inter fratres, alias concordes, odium exarſerat, potiſſimum periclitari; tenero filio conſulturus, eumdem Mellicium ad Erneſtum marchionem cum opulentiſſimo theſauro transmiſit. Quo tempore Bela cum auxiliaribus Polonis in ſuperiores Hungariae partes iam irruperat. (*a*)

A. C. 1061. *Andr.* 15. *Ind.* 14. *P.* 15. *A.*

CXXIV. Rebus omnibus ad funeſtum bellum vtrimque praeparatis, ciuili ſanguine Hungaria rurſum immaduit. Henricus IV. ad inclinatas Andreae res ſuſtentandas ac reſtituendas deſtinauit Wilhelmum, marchionem Thuringorum; Epponem, Citicenſem epiſcopum; ducem Bohemiae copiasque Bauaricas. Bela, his occurſurus, exercitum verſus Tibiscum promouit, commiſſoque praelio, licet initio multos amiſerit, victoriam tandem cruentam obtinuit. *Tandem*, inquit Lambertus Schaffnaburgenſis, (*b*) *diuturna caede exhauſtis viribus, Andreas, equo forte excuſſus, pugnantium pedibus eſt conculcatus; epiſcopus captus; marchio fame magis, quam ferro expugnatus, ſe dedidit.* Andream tamen ſuorum manibus (ſi tamen ex equo prolapſus fuit) in equum rurſus ſublatum fuiſſe, patrii ſcriptores innuunt, dum aſſerunt, illum, ex fuga retractum et negligentius cuſtoditum, in ſilua Bakonienſi mortuum et in Tihany ſepultum fuiſſe. Si iam antea paralyticus Andreas fuit, vt Turotzius his verbis innuit: (*c*) *At rex Andreas poſt haec cito incidit in paralyſin;* non appa-

(*a*) Ibid. p. 142—144. (*b*) Ad annum 1061. (*c*) Turotz. P. II. cap. 44.

apparet veriſimile, quod Lambertus ait, eum equo vectum ac excuſſum eſſe. Andreas quidem excuſari nulla ratione poteſt, quod, et ſuperſtite legitimo rege, regnum arripuerit, et cupiditate regni victus, ſacrilega conniuentia Chriſti religionem in ſummum diſcrimen adduxerit; laude tamen dignus eſt, quod, poenitudine tactus, per annos 15. regni ſui nihil poſtea diligentiae praetermiſerit, vt Chriſtianam religionem, quam initio conuelli ſiuerat, inſtauraret. Vt vero plures eſſent, qui nutantes popularium animos in vera Chriſti religione firmarent; abbatiam Tihanyienſem pro filiis S Benedicti poſuit. Rado palatinus, vt vidimus, ad Sauum alterum coenobium erexit; cuius opera regni limites Auſtrales ad priſtinum ſtatum reduxit. Ad occaſum plagam, vltra Leitam fluuium poſitam, quam Aba Henrico III. ceſſerat, Andreas quidem in eius poteſtate reliquit, ſed onere tributi, quod et Petrus, et ipſe primum Henrico ſpoponderat, omnique ſubiectione Hungariam in perpetuum exemit. (a)

§. XI.

BELA I. REX V.

Coepit A. C. 1061. *deſiit A. C.* 1063.

A. C. 1061. *Bel.* 1. *Ind.* 14. *P.* 15. *A.*

CXXV.

Quum Bela iam Adalbertus, iam Belyn, Benyn, Benislo, Bonyzlo dicitur; vnum idemque nomen eiusdem regis his variationibus exprimitur. Sicut enim radix Latini huius nominis *Albertus*, *Adalber-*

(a) Hiſt. Cr. T. II. p. 144—153.

bertus, eſt Latina vox *Albus*; ſic etymon Slauicae huius appellationis *Bela*, quam Hungari quoque iam adoptarunt, eſt Slauica vox *Bila*, vel Bela, quae ſignificationem eamdem cum Latina habet: ex qua diminutiua *Belyn*, *Benyn*, cet. deriuantur. Vxor eius Richſa ſeu Richeſa, Poloniae ducis filia, genuit illi filios in Polonia *Geiſam* et *Ladislaum*; in Hungaria *Lambertum*; et filias *Ioiadam*, Wilhelmo Thuringo deſponſam, Vdalrico deinde Carintho nuptam; *Helenam* item, ſeu *Lepam*, Zuonimiro, Croatiae regi, collocatam; *Euphemiam* denique ſeu *Ludmillam*, Ottoni Morauo traditam. Poſtquam Bela, profligato cum auxiliaribus copiis Andrea, plures Hungaros in ſuas partes pertraxiſſet; Albam regiam victor profectus, e ritu gentis ſacram coronam de manibus epiſcoporum ſuſcepit, praecipuumque ſtudium in eo collocauit, vt ſuorum ſibi popularium animos nouis beneficiis obſtringeret, ac vniuerſi regni felicitatem inſtitutis ſaluberrimis procuraret. Antea fere per commutationem emtiones et venditiones peragebantur: et quia pretia rerum a rudibus ignorabantur; ab intentis lucro quaeſtoribus ſaepe viliſſima quaeque pro pecoribus maiorisque momenti rebus obtrudebantur. Ne hac quaeſtorum auaritia rudes exhaurirentur; Bela rebus venalibus certa pretia conſtituit; nundinas a diebus dominicis, Hungarice *Vasárnap*, quod tunc praecipue ferrum coemi ſoleret, appellatis, in diem Sabbati tranſtulit; vtiliorem demum commodioremque monetarum vſum in Hungariam inuexit. (*a*)

CXXVI. Erant quidem argentei numi iam a prioribus regibus percuſſi; ſed quod et rariores, et minutio-

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 154—170.

nutiores eſſent; rebus maioribus emendis ac vendendis minus accommodati habebantur. Bela, huic incommodo conſulturus, primum aureorum Byzantinorum vſum admiſit; deinde, quo facilius emtiones ac venditiones peragerentur, ad eorum valorem ita monetam Hungaricam accommodauit, vt 40. denarii, quos ipſe feriundos ex argento puſtulato curauerat, pretio Byzantinum, ita dictum, quod Byzantii cuderetur, aequarent. Vnus ex his denariis decem noſtratibus aequiualebat; adeoque 40. veteres illi denarii 400. noſtrates, ſeu 4. florenos Rhenenſes, efficiebant. His vſi ſunt Europaei principes ad medium fere ſeculi XIII. dum Florentiae primum, effigie S. Ioannis Bapt. liliique flore ſignati, percuterentur ab anno 1252. Hinc aurei primum *floreni* dici coeperunt. Quum autem primus in Hungaria Carolus Robertus monetam auream feriundam curauerit; illae, quae S. Ladislai nomen et effigiem cum radio, ſanctitatis indicio, referunt, a poſterioribus regibus in eius honorem cuſae ſunt. Idem Carolus Robertus latorum in Hungaria groſſorum primus auctor fuit, quibus poſtquam Ludouicus II. effigiem MARIAnam intuliſſet; MARIAni, Hungarice Márjás, dici coeperunt. Quae tamen effigies et in aereis Belae IV. numis, et in aureis Mathiae Coruini viſitur. Argentei quatuor regum, qui Belam I. anteceſſerunt, numi plures exſtant, ſic inſcripti: *STEPHANVS REX. PETRVS REX. SAMVHEL REX. ANDREAS REX.* In numis Stephani poſtica pars refert hanc perigraphen: *CIVITAS REGIA*; in Petri *PANONNEIA*; in Samuelis *PANONEIA*; in Andreae, iam *PANONEIA*, iam *CIVITAS REGIA* (*a*)

(*a*) Ibid. p. 170—181.

CXXVII. Bela, conſtitutis iis, quae publicam felicitatem prouehere plurimum poſſent, ſeu haec eadem promulgaturus, ſeu de ſucceſſione filiorum acturus, aut alia regni negotia tractaturus; indictis Albam regiam comitiis, binos e ſingulis oppidis ac vicis facundiores euocauit. Hac occaſione perditi quidam homines, quos Andreae regis indulgentia primum in transuerſum egit, deinde metus cohibuit, vtendum rati, maiore, quam Bela iuſſerat, numero confluxerunt, vt a nouo rege ſacrilegum ad patrias ſuperſtitiones reditum extorquerent. Actum fuiſſet de ſtabilitate verae religionis, quam impii toties oppugnatum ibant; niſi Bela prudenti conſilio periculum omne diſcuſſiſſet. *Miſerunt*, inquit Turotzius, (*a*) *ad regem et ad proceres nuncios, dicentes*: „Concede nobis ritu patrum noſtrorum in „paganismo viuere; epiſcopos lapidare; preſbyteros exterminare; clericos ſtrangulare; decimatores ſuſpendere; eccleſias deſtruere; campanas confringere." *His auditis, contriſtatus eſt rex, et petiuit inducias dierum trium ad deliberandum ſuper negotio.* Hoc ille triduum non tam pro deliberando, quam pro militibus armandis petiit ac obtinuit. His igitur in perfidos immiſſis, vſus neceſſaria ſeueritate, quas illi poenas in catholicos deſignabant, in auctores coniurationis auertit. (*b*)

A. C. 1062. *Bel.* 2. *Ind.* 15. *P.* 31. *M.*

CXXVIII. Exſtincta tumultuantis plebis ſeditione, Bela, rurſus ad pacis ſtudia conuerſus, deductis in vſum, quae pro regni totius incolumitate ſapien-

(*a*) Chron. P. II. cap. 46. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 182 183.

ſapienter inſtituerat, regiae domus ſecuritati nouis filiarum nuptiis conſulturus, quam prius Wilhelmo Thuringo deſponderat, eam, illo mortuo, coniugem Vdalrico Carintho hoc anno dedit. (*a*) Hanc Lambertus Ioiadam, Sophiam annaliſta Saxo vocat; altera, Zuonimiro nupta, quum iam Helena, iam Lepa vocetur, vel binomia fuit, vel idem nomen, vt patris, varié diminutum ac detortum. (*b*)

A. C. 1063. *Bel.* 3. *Ind.* 1. *P.* 20. *A.*

CXXIX. Quum Bela totus in id incumbit, vt affectas regni partes vbique curaret; ipſe prouinciam omnem ſedulo luſtrabat, iusque ſuis pronunciabat. Quum id diligenter agit, ac pro tribunali varias ſubditorum lites dirimit; collapſo repente ſolio, tam grauiter in terram proſtratus eſt, vt, toto corpore contuſo, numquam deinceps conualuerit. *Piiſſimus*, inquit Turotzius, (*c*) *rex Bela, completo regni ſui anno tertio, in Demes, regali allodio, corruente ſolio, confractus corpore, irremediabiliter coepit aegrotare: duxeruntque eum ſeminecem ad riuulum Kaniſa propter quasdam regni neceſſitates; et ibi migrauit e ſeculo.* Hunc exitum vitae regnique habuit princeps, a vindicata religione, conſtitutis rerum pretiis, definitis ponderibus ac menſuris, inductis in vſum regni Byzantinis aureis, promotis ad popularium ſuorum vtilitatem mercimoniis, immortalem laudem conſequutus; maiorem tamen apud poſteros gloriam habiturus, ſi regno minus inhiaſſet, belloque ciuili patriam non inuoluiſſet. Quum Lambertus Schaffnaburgenſis eius principatus initium ad an-

(*a*) Lamb. Sch. ad an. 1062. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 184 —194. (*c*) Chron. P. II. cap. 46.

annum 1061. finem ad an. 1063. defigat; annum regni tertium, vt Turotzius vult, non compleuit; niſi dicamus, annos eius regni numerandos ab anno 1060. quo primum in ſuperiores regni partes irrupit, et a quibusdam rex acclamatus fuit. *Sepultus eſt*, pergit Turotzius, *in monaſterio S. Saluatoris, quod ipſe conſtruxerat in loco, qui dicitur Zewkzard. Hic enim Bela erat caluus et in colore brunus.* Brunum hodie *barna* dicimus; ſed olim *Szegſzinü*, dicebatur. Pariter olim *Zard* ſignificaſſe caluum, inde patet, quod Ladislaus *Caluus* aliter *Zaar* appelletur. Auctorem illum etiam abbatiae Kolos-Monoſtorienſis fuiſſe, Bela IV. innuit. Vnde vel paucis annis regni ſatis oſtendit, quantam regno felicitatem comparaturus fuerit; ſi vitam diutius prorogaſſet. (*a*)

§. XII.

SALOMON, REX VI.

Coepit A. C. 1063. *deſiit A. C.* 1074.

A. C. 1063. *Salom.* 1. *Ind.* 1. *P.* 20 *A.*

CXXX.

Salomon, Andreae filius, ex Anaſtaſia Ruſſa ſuſceptus ſub exitum anni 1052. rex Hungariae primum a patre coronatus anno 1058. in Germaniam ſecuritatis cauſſa miſſus anno 1060. poſtquam de Belae, patrui ſui, morte certior redditus fuiſſet; Henricum IV. non ſocerum, vt Turotzius perperam aſſerit, ſed

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 195—199.

ſed affinem, huius ſororem dudum ſibi deſponderat, acceſſit, vt eius auxilio regnum paternum recuperare poſſet. Nec erat vllis ad id armis opus, quod Geiſa maluerit omni iuri, quod ad regnum poſt obitum patris habere poterat, renunciare, quam Hungariam nouis bellis et calamitatibus obiicere. Certe fauentes ſibi prae Salomone, qui puer annorum XI. ad regendum idoneus nondum erat, proceres habuiſſet; niſi ſuis illos adhortationibus ad recipiendum Salomonem permouiſſet. Inde factum eſt, vt Salomon, Turotzio teſte, (*a*) *cum aſſenſu et acclamatione totius Hungariae* rurſum coronatus fuerit. Inſignem hanc Geiſae moderationem Lambertus Schaffnab. ita celebrat: (*b*) *Bel, qui regnum inuaſerat Vngariorum, obiit. Ioas, filius eius, ſatius putans, moderatis opibus in pace perfrui, quam immoderatas ambiendo, calamitates atque excidium parere genti ſuae, mandauit regi Henrico:* „Si ſibi „apud Salomonem, filium Andreae regis, natali„bus et meritis ſuis condignus honor haberetur; „ſubditum ſe ei fidelemque futurum; et malle be„neficiis cum eo, quam armis; fide, quam acie „dimicare.“ *Eadem Vngarii omnes aſſidua legatione pollicebantur. Ita rex Heinricus, Vngariam cum exercitu ingreſſus, Salomonem in ſolium patris reſtituit, iuncta ei in coniugium ſorore ſua, ablatisque omnibus, quae regi ſcrupulum mouere, vel regni ſtatum labefactare poterant, remeauit ad Gallias.* His ſcriptor ille ſynchronus indicat, Henricum iuri, quod ex pactis, inter ſuum patrem ac tres Belae deceſſores initis, in Hungariam habere quibusdam videbatur, renunciaſſe. Nec enim vlla res alia *regni ſtatum* ita *labefactare* poterat, ac illa pacta, de quibus

(*a*) Chron. P. II. cap. 47. (*b*) Ad annum 1063.

bus iuſtum Hungari ſcrupulum habere potuerunt, ne quid inde iuris in Hungariae regnum ſibi Germaniae reges arrogarent. (*a*)

CXXXI. Poſt Henrici reditum in Germaniam non videtur *natalibus et meritis* Geiſae condignus honor habitus, vt conuentum erat. Nempe Vidus, quo potiſſimum conſiliario Salomon vtebatur, quum ducatui Belae filiorum inhiaret, regi perſuaſerit, ne tertiam regni partem, vt ante promiſſum erat, patruelibus concederet. Hac iniuria permoti duces in Poloniam ſe ſubduxerunt, vt a cognato rege Boleslao, quem Micislaus ex Caſimiro filio nepotem, vt Geiſam e Richeſa filia, habuit, auxilium aduerſus Salomonem implorarent. Huc igitur videntur ea traducenda, quae Turotzius ante Salomonis reſtitutionem de fuga fratrum ita ſcripſerat: (*b*) *Interim Geiſa, filius regis Belae, ſicut erat prudens et circumſpectus, cum duobus fratribus ſuis adoleſcentibus aſſumtis ſe contulit in partes Poloniae.* Nam hos in Hungaria tunc fuiſſe, quum Henricus Salomonem reduxiſſet, Aloldus ita teſtatur: (*c*) *Cum exercitu in Pannoniam progreſſus, filios defuncti Belae obſequentes habuit, et ſine ſanguine Salomonem in ſolium reſtituit.* Huius igitur ſcriptoris, qui hic opus ſuum concludit, teſtimonio conſtat, Belae filios ad aduentum vsque Salomonis in Hungaria perſtitiſſe; qui proinde, nonniſi nouis iniuriis coacti, Poloniae ducis opem implorarunt. (*d*)

A.

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 202—208. (*b*) Chron. P. II. cap. 47. (*c*) Ad annum 1063. (*d*) Hiſt. Cr. T. II. p. 208. 209.

A. C. 1064. *Salom.* 1. *Ind.* 2. *P.* 11. *A.*

CXXXII. Praefuit tunc Poloniae Boleslaus, vt iam diximus, qui, bello Ruſſis illato, Praemisliam obſidione premebat. Is, ne vel affectum bellum relinqueret, vel cognatis ſuis, celerem opem flagitantibus, deeſſet; copiis ſuis bifariam diuiſis, partem earum in Ruſſia reliquit, partem in Hungariam infudit. Haec fuſe Polonici ſcriptores narrant, (*a*) ac in eamdem rem cum Turotzio conſpirant, pacem epiſcoporum Hungariae, Deſiderii cumprimis, opera compoſitam fuiſſe. *In feſto autem SS. Fabiani et Sebaſtiani MM.* inquit Turotzius, (*b*) *rex Salomon et Geiſa dux coram Hungaris in Gemr pacem firmauerunt. Deinde feſtum dominicae reſurrectionis ambo ſimul cum plena curia Quinqueeccleſiis celebrauerunt; vbi rex Salomon ipſo die paſchae, aſſiſtentibus regni proceribus, per manus Geiſae ducis honorabiliter eſt coronatus.* Tanto ſincerior ex hac pace laetitia perſentiſcebatur, quanto maior fundendi ciuilis ſanguinis metus praeceſſerat: quem vt Geiſa penitus abſtergeret; tertiam hanc coronationem, quae duarum, ex ritu gentis ab epiſcopis factarum, confirmatio foret, ſuis ipſe manibus peregit. (*c*)

A. C. 1070. *Sal.* 7. *Ind.* 8. *P.* 4. *A.*

CXXXIII. Turotzius quidem aſſerit, (*d*) *viguiſſe tranquillam pacem inter regem et ducem circiter annos tredecim;* id tamen credi non poſſe, patet inde, quod omnes anni, quibus Salomon regnauit, 13. annos non conficiant. Quum enim, teſtibus ſyn-

(*a*) Dlugoſſ. L. III. Crom. L. V. (*b*) Chron. P. II. cap. 47. (*c*) Hiſt. Crit. T. II. p. 209—216. (*d*) Chron. P. II. cap. 48.

ſynchronis ſcriptoribus, regnare coeperit anno 1063. deſierit anno 1074. Si dimidium dumtaxat horum extremorum, vt adiuncta ſuadent, accipiamus; plures illi, quam 10. annos regni tribuere non poſſumus. Ex his autem duos ſaltem poſtremos in diſſidiis exactos eſſe, mox videbimus. Vnde Turotzianus anonymus vel librarius V. cum X. commutando, XIII. annos pro VIII. poſuiſſe videtur. Antequam hae diſſenſiones inter regem et ducem exarſiſſent; nullum bellum aliunde fuit illatum, quod, vnitis viribus, feliciter non confeciſſent. Et primum quidem auxilium Zolomero ſeu Zuonimiro, Dalmatiae bano, deinde regi, quem Turotzius *ſororium Geiſae* vocat, aduerſus Carentanos tulerunt, eosque proſpere repreſſerunt. Tum etiam Bohemi, qui regni limites vsque Trenchinium incurſare ſunt auſi, vindices hos principes experti ſunt. Sed inprimis Cumanorum in Hungariam irruptionem adeo fortiter et feliciter vlti ſunt, vt in eo bello tum Salomonis audacia, tum Geiſae prouidentia, tum S. Ladislai fortitudo bellica commendari plurimum mereatur. Erant hi Cumani ſeu Cuni Patzinacitis, a quibus Moldauiam occupatam alias diximus, ita permiſti, vt in vnam ſubinde gentem, poſtquam Pontum Euxinum deſeruiſſent, cum iisdem coaluerint. Gyula, ſupremus eorum princeps, Oslium ducem ad populandam Hungariam per aditum Meſzeſienſem immiſit; ſed omnem ei praedam Hungariae principes ad montem, quem Turotzius *Kyryeleis*, Timon *Kérlés* vocat, excuſſerunt. *Rex autem Salomon*, inquit Turotzius, (*a*) *acerrimae animoſitatis audacia fremebundus, per grauiſſimum aſcenſum cum agmine ſuo, quaſi reptando, ad paganos aſcen-*

(*a*) Ibid. cap. 49.

ſcendit, qui ſuper eum denſiſſimos ſagittarum imbres effundebant. Dux autem Geiſa, ſicut erat ſemper prouidus, per leuiorem aſcenſum aſcendens, ſagittis irruit ſuper Cunos; cuius frater Ladislaus quatuor ex fortiſſimis paganorum primo impetu interfecit; et a quinto eorum ſagitta grauiter eſt vulneratus, eodem mox ibidem interfecto. Hic autem militari virtuti laudem pietatis adiecturus, quum a Cumano quodam fugiente puellam Hungaram in captiuitatem abripi vidiſſet; ſpolium eidem excuſſurus, licet ſaucius, obligato vulnere, hoſtem inſequutus eſt. Sed quia celerrime currentem aſſequi non potuit; captiuam monuit, vt, barbaro cingulotenus arrepto, cum eodem ex equo ſe praecipitem daret. Id vbi factum eſt; detractum equo Cumanum S. Ladislaus interfecit, puellamque, putatam Varadinenſis epiſcopi filiam, ante ſacros ordines ſuſceptam, libertati reſtituit. (*a*)

A. C. 1072. *Salom.* 9. *Ind.* 10. *P.* 8. *A.*

CXXXIV. Tertius a Cumanis profligatis annus agebatur; quum noui hoſtes Biſſeni nouis aliam Hungariae partem incurſionibus euaſtarunt. *Factum eſt autem*, ait Turotzius, (*b*) *tertio anno poſt aduentum Cunorum, vt Biſſeni, per Albam Bulgaricam venientes, transnatauerint flumen Zaua in campum Bazias; et non modicam gentem captiuorum et praedarum diripientes, in ſuam terram abduxerint.* Etſi Biſſenos a Patzinacitis, quos alii Picenos appellabant, ortos eſſe, ſenſimque cum Cumanis permiſtos, Moldauiam incoluiſſe, iam alias dixerimus; hos tamen

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 216—236. (*b*) Chron. P. II. cap. 50.

tamen Biſſenos non e Moldauia, ſed e plagis, trans Danubium et Sauum ſitis, in Hungariam irrupiſſe ſ Turotziana narratio docet. Suam igitur originem ex illis hi Patzinacitis traxerint, quos Conſtantinus Monomachus in Bulgaria collocauit ſub annum 1049. Quia vero Cedrenus teſtatur, (*a*) hos *per campeſtria Sardicae, Naiſi et Eutzapeli diſtributos* fuiſſe; Salomon quoque, quum Belgradenſium perfidiam, qui hos Biſſenos ſeu Picenos ad Hungariam vaſtandam transmiſerunt, vltus fuiſſet; *Nys*, vt Turotzius ait, ſeu Niſſam vel Naiſſum oppugnare voluit. Biſſenis prius, quam ad regem ac duces incurſionis nuncius peruenire potuiſſet, elapſis; hi Nicetam, Belgradi praefectum, cum illis colluſiſſe ſuſpicati, copias acceleratis itineribus ad Taurunum obſidendum promouerunt. Erat Belgradum iam tunc ita munitum; a Graecis, Bulgaris, Saracenis, Biſſenis ita defenſum, vt inter mutua pugnantium certamina duo menſes effluxerint. Tam diuturnam obſeſſorum pertinaciam vnius tandem mulieris Hungarae, per captiuitatem olim illuc abductae, conſilium et facinus egregium edomuit, ac Belgradum in poteſtatem Hungarorum redegit. Hac enim incendia ſpargente, dum ventus vehementiſſimus flaret, vt Turotzius refert, *exercitus Hungarorum irruit in ciuitatem ea parte, qua muri eius per tormenta iam corruerant; et Graecos, Saracenos atque Bulgaros crudeliter trucidarunt;* Biſſenis iam prius profligatis. (*b*)

CXXXV. Atque hic iacta ſunt maxima diſſenſionum inter regem et duces ſemina. Nam, vt Turotzius

(*a*) Ed. Ven. p. 608. Par. p. 778. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 241—247.

rotzius proſequitur, *Hungari, capta ciuitate, ſequenti die, poſtquam ignis reſederat, videntes ſcrobes Graecorum, deſcendentes, tulerunt exinde aurum multum et argentum, lapides pretioſos gemmasque praelucidas, et theſaurum fere inaeſtimabilem, in cuius partitione orta eſt diſcordia inter regem et ducem; nullusque fuit ex Hungaris, qui ibi locupletatus non fuiſſet.* Alteram diſſidiorum cauſſam inde Turotzius repetit, quod, deditione facta, *dux Nicota*, (Nicetas) *portans argenteam iconem SS. genitricis DEI, ſemper virginis MARIAE, cum magna multitudine populi veniens, in poteſtatem ducis Geiſae ſe contulerit. Sciebat enim, Geiſam ducem deuotum DEO, et captiuos, ſeu afflictos, miſericordiae viſceribus refouentem. Ad manus autem regis Salomonis pauci venerunt; quia nouerant, ipſum eſſe auſterum et peſſimis conſiliis Vid comitis in omnibus auſcultantem.* Atque hic Vidus, origine Sueuus, earum diſſenſionum, quae regem inter ac duces exarſerant, magnisque turbis ac calamitatibus regnum inuoluerant, praecipuus auctor et promotor erat. Quum enim inuidiam Salomoni mouiſſet, quod ad illum pauciores, quam ad Geiſam, dediticii ſe recepiſſent; Vidus, ad perdendos duces, quorum ditionem ſibi deſpondebat, intentus, oleum igni nouum affudit: ſuſpicionibus Salomonem impleuit: nihil denique reliquum fecit, quo diſcordias augeret, ducibusque perniciem crearet. Poſtquam Michael Ducas, orientis imperator, audita Geiſae ducis in ſuos, quos ſine lytro dimiſerat, liberalitate, per legatos amicitiam et foedus cum eo confirmaſſet; quia Salomonem regem eiusmodi legatione dignatus non fuit; nouum inuidiae diſcordiarumque fomentum auide Vidus arripuit. (*a*) Rex tamen, militum in duces

(*a*) Turotz. P. II. cap. 51.

„ nunc veniamus ſuper ducem, qui venatur Ingwan:
„ noctis in ſilentio impetum faciamus ſuper eum:
„ capiamus eum, et oculos eius eruamus: vt, quum
„ Ladislaus et Lambertus venerint, vel exercitum
„ ſecum duxerint; contra nos ſtare non poſſint: et,
„ quum haec audierint; etiam regnum intrare non
„ audebunt: et poteſtis facere; quia omnes conſi-
„ liarii ſui tibi fideles ſunt: et ducatum mihi da-
„ bis; et ita confirmabis coronam tuam." Hic fuit ſcopus maleſanorum Vidi conſiliorum, vt, euerſis ducibus, ipſe ditionem illorum adipiſceretur, ac ad coronam quoque ſubinde graſſaretur. Ne quid tamen Salomon praeceps decerneret; ſententiam in diem poſterum diſtulit. Opportune hunc ſermonem clam arbitratus Wilhelmus, abbas loci, per celerem et occultum nuncium de periculo Geiſam admonuit. *Quum autem nuncius ad ducem veniſſet; erant ibi iniqui conſiliarii et ipſius ducis traditores, Petrud ſcilicet, Zounuk et Bykas, qui dixerunt:*
„ Domine dux, ne timeas; quoniam abbas ebrio-
„ ſus eſt; et in ebrietate ſua ad vos nuncium mi-
„ ſit; et neſcit, quid loquatur." Hac illi calumnia metum abſtergere, ſecurumque Geiſam reddere conabantur, quo facilius incautum prodere poſſent. Geiſa, ratus eos ſibi fidos, a venando non deſtitit; ne, ſi ſuſpicionem aliquam prae ſe ferret, violator induciarum videretur. Quia tamen Ladislaus, nullis e Ruſſia ſuppetiis impetratis, iam rediit; ne Salomon imparatos, induciis elapſis, aggrederetur; eumdem fratrem in Morauiam ad Ottonem ducem, ſuum affinem, qui Ludmillam, Belae I. filiam, vxorem duxerat, ad auxilia ſollicitanda miſit. Non fuit ſuperuacanea haec Geiſae ſollicitudo, contra quem fuiſſe cuſum in Szegſzardienſi coenobio conſilium

ita

ita Turotzius exhibet: (*a*) *In eodem mane, quando rex ſe cogitaturum ſtatuerat, quum veniſſet ad matutinas; abbas idem abſcondit ſe in monaſterio, vt audiret conſilium; eo quod fidelis erat duci; quia filius fundatoris eccleſiae fuerat.* Laudandus hic abbas, qui ſui fundatoris filium ſeruaturus, profanis veſtibus ſumtis, eum de periculo celeriter admonuit. Geiſa, de bello hoſtilique Salomonis apparatu iam certus, fuga necquicquam in Morauiam tentata, contractas tumultuarie copias in quatuor agmina diſtribuit. Quamuis autem puſillus hic manipulus aduerſus tricena, quae rex ductabat, agmina parum alioqui profecturus fuerit; multo tamen magis ducis partes afflixit proditio principum, quibus agmina tria, ceu fidiſſimis, ductanda commiſit. *Principes autem Geiſae*, verba ſunt Turotzii, *Petrud et Bykas in ipſo praelio cum tribus agminibus caſtrorum verterunt ſe ad Salomonem, ſicut ei promiſerant. Dux vero Geiſa, quamuis maxima parte exercitus ſui eſſet deſtitutus; non tamen abhorruit, vno tantum agmine ſtipatus, contra 30. Salomonis agmina ſaeuiſſimum praelium committere. Traditores autem, fugientes, leuabant clypeos ſuos in ſignum, quod regi dederant; — ne milites regis eos perſequerentur. Exercitus autem regis, ignarus proditionis ſigni, et videns, agmina ducis fugere, perſequutus eſt ea vsque ad interemtionem. — Rex autem et dux ante quadrageſimam pugnarunt in Kemey, 4. feria poſt dominicam, qua cantatur:* Exurge, ſeu Sexageſimae, quae tunc incidit in 23. Februarii; praelium igitur 26. menſis eiusdem commiſſum erat. (*b*)

CXXXVIII.

(*a*) Chron. P. II. cap. 52. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 258—265.

runt, illum, turbulentis Vidi conſiliis imbutum, quieſcere nolle; nouas ab Henrico IV. ſuppetias emendicare; nouum bellum in patriam apparare; cladibus hactenus acceptis irritati, maioresque veriti, cauſſam eius deſtituerunt, ſuaque ſtudia ducibus, licet reluctantibus, adiunxerunt. (*a*)

CXXXIX. Si natiuitatem Salomonis Aloldus rite notauit ad annum 1052. viceſimum primum aetatis annum expleuerat; quum miſerandus rex in hanc calamitatem perfidis Vidi molitionibus praecipitatus erat, vndecimo principatus anno tribus circiter menſibus inchoato. Quamdiu poſtea vitam produxerit, arduum eſt decernere. Quarto quidem anno regni ſui S. Ladislaus pacem cum eo compoſuit; ſed inſidiatum vitae ſuae rurſus in carcerem Viſegradi coniecit, ac in apotheoſi S. Stephani liberum iterum dimiſit. At ille nouos aduerſus S. Ladislaum hoſtes Cumanos exciuit anno 1086. ab eoque cum ſtrage reiectus, collectis eorumdem Cumanorum latrunculis, bellum in Bulgariam et Graeciam transtulit anno 1087. quo caeſum illum fuiſſe Bertholdus Conſtantienſis et annaliſta Saxo perhibent. (*b*) At Turotzius aliique ſcriptores patrii, diutius illum vixiſſe rigidamque de ſceleribus ſuis in Iſtria poenitentiam egiſſe, tradunt; hinc Polenſes quoque Salomonem pro ſancto colunt. Nusquam tamen legimus, eccleſiam Hungaricam publicum Salomoni cultum detuliſſe. Seculo XIII. Simon de Keza ſanctum illum non appellat. Seculo XIV. Ludouicus I. inter ſanctos eumdem non numerat. (*c*) Seculo XV. *miſſa de ſanctis regni Hungariae patronorum* Salomonem

(*a*) Ibid. p. 266—276. (*b*) Ad annum 1087. (*c*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 323.

monem inter alios Hungariae ſanctos non nominat. Adde litteras legati ſedis apoſtolicae; qui ſic ad Mathiam ſcribit anno 1483. (*a*) *Eſſetque tertius Hungariae rex ſanctus.* Quartus ſcribi debebat, ſi Salomon tertius Hung. rex ſanctus fuiſſet. Vix autem eſt incredibile, Hungaros in colendo ſuo rege Polenſibus conceſſuros fuiſſe; ſi fidem eorum traditioni habuiſſent. Et reuera Polonici ſcriptores vno conſenſu tradunt, Salomonis viduam Wladiſlao, Poloniae duci, fuiſſe nuptam anno 1088. quae ſecundo connubio iungi non potuiſſet, niſi Salomon prius obiiſſet. Biographus quoque S. Ottonis, epiſcopi Bambergenſis, idem affirmat; dum eumdem ſanctum harum nuptiarum conciliatorem fuiſſe, pluribus narrat. (*b*) Salomon igitur his nuptiis, quae ſine certitudine mortis eius a ſanctis viris conciliatae non fuiſſent, praemori debuit, neque de priore vita, ſceleri fere proxima, poenitentiam agere, cultumque publicum ob ſanctimoniae famam obtinere potuit. Hinc iam eorum quoque traditio ſponte corruit, qui Salomonem in monaſterio S. Crucis in Auſtria vixiſſe, 24. annis ſubulcum egiſſe, moriturum abbati conditionem ſuam aperuiſſe, demum ibidem mortuum et ſepultum eſſe, perhibent. (*c*) Conſtat enim, illud coenobium anno 1134. conditum eſſe, 47. annis ſerius, quam Salomon videri deſiiſſet. Quare haec apud cordatos lectores fidem vix inuenient. (*d*)

(*a*) Hiſt. Crit. T. XVI. p. 507. (*b*) Act. SS. Iul. T. I. p. 379. (*c*) Ap. Peterſ. Conc. P. I. p. 14. (*d*) Hiſt. Cr. T. II. p. 499—527.

§. XIII.

GEISA I. REX VII.

Coepit A. C. 1074. *deſiit A. C.* 1077.

A. C. 1074. *Geiſ.* 1. *Ind.* 12. *P.* 20. *A.*

CXL.

Geiſam Lambertus *Ioam* vel *Iaiadem*, Cromerus et Carolus Robertus *Ieſſen* vocant; quem tamen luſtrico nomine *Magnum* fuiſſe dictum, ex litteris fundationis Zazti conſtat, vbi haec habentur: (*a*) *Ego comes Petrus rogaui regem cum duce Magno et cum duce Ladislao.* Et paullo poſt: *teſtimonio aliquorum nominibus atteſtari fecit rex Salomon, dux Magnus, dux Ladislaus.* Ipſe *Magni* nomen, ceu magis, quam Geiſae, ſibi proprium vſurpat in tabulis abbatiae S. Benedicti iuxta Granum: *Ego Magnus*, inquiens, *qui et Geiſa*, *Hungarorum dux*, *poſtea vero*, *gratia DEI*, *rex conſecratus.* Non igitur hanc is appellationem a rebus geſtis, vt quidam putant, adeptus eſt. Nec enim tam illuſtria facinora, quibus hoc agnomen commeritus fuiſſet, praeſertim quum ducis adhuc titulo gaudebat, illum patraſſe legimus. Eiusdem vxorem plerique ſuſpicantur fuiſſe Graecam Synadenen ex hoc Ioannis Scylitze loco: (*b*) *Dedit item ſororis ſuae filiam Synadenen, Theodulo Synadeno genitam, crali Vngariae vxorem; quo etiam mortuo, rurſus eſt Byzantium reuerſa.* Ceterum, licet ex hoc ſcriptoris ſynchroni teſtimonio certum ſit, Synadenen inter veras Hungariae reginas numerandam eſſe; peraeque tamen cer-

(*a*) Ap. Pray Diatr. p. 66. (*b*) Edit. Ven. p. 678.

certum non eſt, eam Geiſae coniugem fuiſſe. Ladislao quidem regi nuptam illam non fuiſſe, Praius docet; (*a*) nihil tamen obſtare video, quo minus Belae, patri Geiſae, nupta dicatur. Male Turotzius ſecundam huius Belae coniugem vocat Margaritam, quae Belae III. nupta fuit; nihil tamen repugnat, quo minus Margaritae huic Graecam Synadenen ſufficiamus. Quae quidem a Nicephoro Botoniate, iam imperatore, nec Belae, nec Geiſae collocari potuit, illis prius mortuis, quam imperator ipſe creatus fuiſſet anno 1078. prius igitur, quam rerum potitus fuiſſet, eam alterutri nuptum dedit. (*b*)

CXLI. Salomon, accepta clade, Moſonium, vt diximus, elapſus, iuſtiſſima quidem, ſed importuno tempore facta reprehenſione matris adeo commotus eſt, vt, omnis monitionis impatiens, eam in faciem percuſſurus fuerit; niſi coniux ictum, prehenſa viri manu, prohibuiſſet. (*c*) Moſonio Poſonium, quod in hos euentus antea bene communiuerat, ea potiſſimum de cauſſa profectus eſt, vt et facilius auxilia Henrici IV. quae ſollicitabat, reciperе, et promtius in Germaniam, ſi neceſſitas vrgeret, effugere poſſet. Quia vero, poſtquam Poſonium ſe recepit, timeri merito potuit, ne cum paucis, qui partes eius adhuc ſequebantur, adſitas eidem vrbi plagas incurſaret, metuque nonnullos ad ſua ſigna cogeret; ad eum coercendum operam ſuam Biſſeni; iam dudum illic a Zoltano collocati, ſiquam a Geiſa libertatem conſequi poſſent, obtulerunt. Et hos quidem Salomon facile diſſipauit; (*d*) quia tamen *viliſſimos* illos Biſſenos hoſtes ſuos expertus, facile

(*a*) Diſſ. de S. Lad. p. 80. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 280—304.
(*c*) Turotz. P. II. cap. 52. (*d*) Id. ib. cap. 53.

cile prouidit, Hungaros ipſos ſibi multo magis aduerſaturos eſſe, cum quibus difficilius certamen foret, ſi porro regiam dignitatem retinere vellet; certus, hanc quouis demum periculo tueri, quo familiae ſuae conſuleret, matrem et vxorem extra regnum deportauit. *Et in clauſtro Agmund matre et vxore derelictis, in Moſon eſt reuerſus.* (*a*) Hic locus in errorem quosdam induxit, vt Salomonis matrem Agmundam fuiſſe dictam opinarentur. Ceterum Agmundenſi, quod Admontenſe iam dicitur, coenobio Salomon matrem et vxorem credere non potuit, quum clauſtrum illic monialium nonniſi ſub annum 1135. ſit exſtructum. Confudit Turotzius Salomonis vxorem, ad fratrem Henricum profectam, cum Sophia, Belae II. filia, quae piam in Admontenſi clauſtro vitam duxit. (*b*)

CXLII. Geiſa, memor voti, quod ante pugnam de templo, honori BB. virginis excitando, nuncupauerat, quibusdam caſtris ad ſecuritatem antea communitis, Vacium cum Ladislao fratre conceſſit. Poſtquam autem Turotzius narraſſet, locum, in quo templum erigendum eſſet, indicio cerui deſignatum fuiſſe; *rex autem Geiſa*, ſubiicit, (*c*) *fundauit eccleſiam Vacienſem, et dotauit eam praediis multis et poſſeſſionibus; non autem ſolum eccleſiam illam, verum etiam Budenſem, cui conſtituit tributum de Peſt et tres villas in Simighio ac ornamenta pretioſa.* Hic Turotzii locus eſt, qui nonnullos in eam opinionem induxit, vt epiſcopatum Vacienſem a Geiſa I. conditum eſſe crediderint. Sed enim, quum hic Turotzius eccleſiam Vacienſem et Budenſem eadem phraſi

(*a*) Id. Ib. cap. 54. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 333—337.
(*c*) Chron. P. II. cap. 53.

phraſi circumſcribat; ſi per eccleſiam Vacienſem epiſcopatus intelligi debet, vt aduerſarii volunt; etiam per eccleſiam Budenſem epiſcopatus accipi deberet, quod illi tamen admittere nec poſſunt, nec volunt. Mihi ſane rectius ex iis Turotzii verbis ſic argui poſſe videtur. Quum Turotzius eccleſiae Budenſis meminit; epiſcopatum Budenſem non intelligit; nec igitur, quum eodem contextu Vacienſis eccleſiae mentionem iniicit, epiſcopatum Vacienſem intelligere dicendus eſt. Et vero Turotzius per hanc vocem *eccleſia* non epiſcopatum, ſed templum aliis quoque locis intelligit. Certe, quum Petrum regem eccleſiam Quinqueeccleſienſem *fundaſſe* perhibet; nemo dixerit, eum Petro conditi Quinqueeccleſienſis epiſcopatus gloriam tribuere, quem ex diplomate conſtat a S. Stephano conditum eſſe. Sicut igitur illic a Petro, ita hic a Geiſa cathedralem dumtaxat eccleſiam, quam S. Stephanus, pluribus aedificiis ponendis occupatus, perficere non potuit, fuiſſe conditam indicat. At enim Turotzius perhibet, nec ipſum Vacium ante Geiſam exſtitiſſe. Quum Turotzius hic ſibi non ſatis conſtet, qui iam prius aliquoties Vacium appellauit; vt tamen aliquid illi tribuamus, dicendum videtur, ciuitatem, quae iam antea ſedes epiſcopi fuit, Geiſam auxiſſe, ſiue iam illa prius etiam Vacia dicta fuerit; ſiue nouam ab eremi cultore Vátz appellationem acceperit. (*a*)

CXLIII. Piis operibus intentum Geiſam nouo bello Salomon inuoluit, qui, poſtquam matris et vxoris ſuae ſecuritati conſuluiſſet; auxilium affinis ſui Henrici, magnam regni partem illi depactus, ſollicitauit. *Vt eius miſeriae ſubueniret*, inquit Lamb.
Schaff-

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 308—333.

Schaffnab. (*a*) *et affinitati praeſtabat*, — *et vtilitatibus propriis*, *quia magnam ei partem regni ſui pollicitus fuerat; ſi eius beneficio*, *expugnatis hoſtibus*, *in regnum reſtitueretur.* Expeditionem hanc primum quidem Wihelmus, Angliae rex, ſufflaminauit, ſed, quia vanus Anglici belli metus erat, Henricus, a Salomone rurſum interpellatus, nouisque rationum momentis expugnatus, Hungaricum bellum ſub medium Iulii reſumſit. *Et quia preces tardius mouebant priuatis occupationibus intentum*, vt idem Lambertus ibidem loquitur, *datis* 12. *obſidibus*, *fidem ei firmabant:* „quod, ſi eius beneficio „ in regnum reſtitueretur; deinceps ei tributarius „ dictoque obtemperans foret: et ſex munitiſſimas „ Hungariae ciuitates, in argumentum numquam „ interrumpendae fidei, traderet." *Hac mercede redemtus*, — *gregario tantum ac priuato milite contentus*, *infeſto exercitu ingreſſus eſt Vngariam.* Turotzius ſcribit, (*b*) Henricum vsque Vacium deſcendiſſe; Geiſam tamen, praelio deuitato, quo ſuorum ſanguini parceret, et Hungariam ingrato hoſpite citius liberaret, Aquileienſem patriarcham ac Teutonicos duces, promiſſis clam magnis muneribus, vt Henrico reditum perſuaderent, corrupiſſe. Lambertus aliam quoque reditus cauſſam, famem ſcilicet inductam, aſſignat. S. Gregorius VII. de Salomonis oblatione certior redditus, aegre tulit, libertatem regni, quod in ſpecialem eccleſiae Romanae protectionem a S. Stephano commendatum et oblatum erat, a Salomone laeſam fuiſſe. Datis igitur ad eum litteris, vitio dedit illi, quod *regnum a rege Teutonicorum in beneficium ſuſceperit*, eique ſe tributarium cum regno facere voluerit. Subiectionem

nem

(*a*) Ad annum 1074. (*b*) Chron. P. II. cap. 54.

nem quidem ab illo poſtulabat, ſed filialem et communem illam, quam omnes Chriſtiani communi matri praeſtare debent; nec enim vmquam vllius cenſus praeſtandi mentionem fecit. (*a*)

A. C. 1075. *Geiſ.* 2. *Ind.* 13. *P.* 5. *A.*

CXLIV. Mitius idem S. Gregorius egit cum Salomonis coniuge, quam ipſe quidem Iuditham, patrii ſcriptores Sophiam appellant. *Scias*, inquit, *quod de tribulationibus et anguſtiis, quas te ſuſtinere cognouimus, valde dolemus. — Data Romae, IV. id. Ian. ind. XIII.* Quam parum autem S. Gregorius in regni Hungariae negotia ſe miſcere voluerit, ex datis ad Geiſam litteris, poſtquam illum electione libera regem creatum intellexit, apparet. Quamuis enim illum nondum regis, ſed ducis tantum titulo condecoret, quod fortaſſe nondum coronatus fuerit; nihil tamen aduerſus liberam electionem obmouet; ſed, cura tantum eccleſiarum impenſius illi commendata, Salomonis eum exemplo monet, vt a ſubiicienda Germaniae regi Hungaria ſibi caueat, eiusque libertatem ſartam tectamque conſeruare ſtudeat. Potius igitur S. Gregorii de protegenda Hungariae libertate ſollicitudinem, quam eius adimendae voluntatem exprimunt illius litterae, *datae Romae, X. Kal. Apr. Ind. XIII.* Non multo poſt alias ad eumdem dedit, *XVIII. Kal. Maii, ind. XIII.* quibus optat, vt inter illos pax coaleſcat. *Vnde nobis cura eſt*, inquit, *et cordi pia ſollicitudo inhaeret, quatenus inter te et conſanguineum tuum, Salomonem regem, faciamus pacem, ſi poſſimus, vt, iuſtitia vtrimque ſeruata, ſufficiat vnicuique, quod ſuum*

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 337—356.

ſuum eſt. Quum in his litteris S. Gregorius et electionem Geiſae regis probet, nec vllum ei cenſum imperet; apparet, nihil illum in praeiudicium Hungaricae libertatis agere voluiſſe; profeſſus alioqui, *regnum Hungariae, ſicut et alia nobiliſſima, in propriae libertatis ſtatu debere eſſe.* Ducem illum, non regem iterum ideo fortaſſis appellat, quod, refecta pace, Salomonem regno reſtitui poſſe ſperauerit, vel, quod Geiſam nondum ſacra corona redimitum eſſe nouerit. Id hoc anno factum eſſe, chronicon antiquum apud Kollerum ita docet: (*a*) *MLXXV. Magnus rex coronatur.* Certe, dum hoc anno diploma regium abbatiae S. Benedicti iuxta Gron dedit, iam ſe coronatum fuiſſe, his verbis innuit: *Ego Magnus, qui et Geiſa, ſupremus Hungarorum dux, poſtea vero, gratia DEI, rex conſecratus, Belae regis filius — monaſterium conſtitui. — — Anno dom.* 1075. *praeſente Ladislao duce, germano meo cariſſimo; Nehemia, archiepiſcopo Strigonienſi exſiſtente; Deſiderio, epiſcopo Colocenſi; — Iula, comite palatino. — —* Quum hic Geiſa meminerit *epiſcopatus S. MARIAE Vaczenſis;* innuit, ante hunc annum Vacienſem epiſcopatum ab alio conditum fuiſſe; nec enim ipſe, regnum auſpicatus anno ſuperiore, tam breui tempore ſimul bellum cum Salomone gerere, ſimul Henricum IV. repellere, ſimul abbatiam de Gron erigere, ſimul vrbem et epiſcopen Vacienſem excitare potuiſſet. (*b*)

A. C. 1076. *Geiſ.* 3. *Ind.* 14. *P.* 27. *M.*

CXLV. Salomon, quum nullum ab Henrico, qui ciuilibus et ipſe bellis vrgebatur, auxilium ſperare

rare

(*a*) Hiſt. Eccl. Quinqu. T. I. p. 404. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 357—369.

rare potuiſſet, in media belli flamma deſtitutus, Poſonium ſe recepit, vbi, ne maiores iterum turbas excitare poſſet, a S. Ladislao fuit obſeſſus. Durante hac obſidione, *rex Magnus*, inquit Turotzius, (*a*) *natale domini in Zuzard celebrauit; quo petente, archiepiſcopus Deſiderius ſollemnem miſſam celebrauit, et ſermone lucidiſſimo animum regis deliniuit, et ad bonum pacis inclinauit. Celebrataque miſſa, et omnibus rite peractis, praecepit rex, vt omnes egrederentur, praeter epiſcopos et abbates. Tunc rex, cum lacrimis proſtratus, archiepiſcopo et aliis eccleſiaſticis perſonis ſeu praelatis dicebat*: „ſe peccaſſe; „ quia regnum legitime coronati regis occupauerat: „ *promiſitque*, regnum redditurum Salomoni cum „ pace firma hoc modo: quod ipſe coronam iure „ teneret; cum tertia tamen parte regni, quae du„ catui appropriata erat: Salomon quoque duas „ partes regni coronatus teneret, quas prius deti„ nebat.“ *Epiſcopi ergo laetas DEO gratias egerunt; quia regem Spiritus S. gratia et viſitatione compunctum et illuſtratum videbant.* (*b*)

A. C. 1077. *Geiſ.* 4. *Ind.* 15. *P.* 16. *A.*

CXLVI. Inſignis haec fuit Geiſae moderatio, qui, teſte Turotzio, neque *coronam regni ſuſcepit, niſi compellentibus Hungaris.* Quum tamen inter coeptam pacis tractationem et Geiſae regis mortem quatuor integri menſes interceſſerint; mirum eſt, ſi Geiſa Salomoni ſincere regnum reſtituere voluit, hanc eius voluntatem effectu caruiſſe: quod Turotzius his verbis indicat: (*c*) *Tunc rex Magnus, miſſis*

(*a*) Chron. P. II. cap. 55. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 369–374. (*c*) Chron. P. II. cap. 55.

ſis nunciis ad regem Salomonem, explicauit ei per litteras modum pacis praetaxatum. Intercurrentibus itaque nunciis, et ſuper hac re diuerſis diuerſa ſentientibus, conſummatio reconciliationis effectum ſortiri non potuit. Sunt, qui cauſſam fruſtratae pacis in ipſum Salomonem reiiciant. Quod quidem veriſimile non videtur; quum Salomon hac pace, quicquid ante poſſederat, recuperaturus fuerit. Vnicum regis titulum Geiſa, quod iam coronatus eſſet, reſeruare ſibi voluit; contentus tertia regni parte futurus, quam antea titulo ducis obtinuit. Hac pacis conditione Salomon ne quidem optare ſibi meliorem potuit; poſtquam omnem recuperandi regni ſpem, ab Henrico deſtitutus, amiſit. Non aliam igitur interceptae pacis cauſſam eſſe puto, quam quod in eam conſentire regni proceres noluerint. Experti hi iam antea durum Salomonis ingenium; exſecrati pactum iniurioſum, quod is Henrico de tributo pendendo tradendisque ſex munitiſſimis Hungariae ciuitatibus ſtipulatus erat, ne, ſi Salomon rerum rurſus potiretur, aut de proceribus, qui Geiſae partes amplexi fuerant, vindictam ſumeret, aut conuentum illud, in quod optimates numquam conſenſerant, in effectum deduceret; modis omnibus aduerſati conſilio Geiſae, quo regnum in Salomonem transferre voluit, hanc pacis tractationem impediuerunt. (*a*)

CXLVII. Nullum Turotzius certum annum, quo Geiſa ſeu regnare coeperit, ſeu viuere deſierit, conſignauit. Quia tamen et certum obitus diem, et certos regiminis annos adnotauit; ex his etiam annum mortis eius eruere licet. *Interea rex Magnus,* in-

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 375. 376.

inquit, (*a*) *in grauem aegritudinem incidit, et VII. kal. Maii viam carnis vniuerſae, virtutibus adornatus, eſt ingreſſus. Erat enim fide catholicus, DEO deuotiſſimus, et princeps Chriſtianiſſimus. Regnauit autem tribus annis, et Vaciae tumulatus in eccleſia B. virginis, quam ipſe conſtruxit.* Bellum, quo Salomon a Geiſa profligatus regnoque priuatus eſt, e Lamberto pluribusque ſynchronis ſcriptoribus geſtum eſſe conſtat anno 1074. Si proinde, quod ſeries belli geſti docet, ante paſcha, ſeu 20. Aprilis eiusdem anni Geiſa rex conſtitutus eſt; idem anno 1077. die 25. menſis Aprilis mortuus, expletis tribus annis regni ſui, quartum diebus aliquot inchoauit. Incertum etiam eſt, quo genere mortis Magnus hic rex obierit; id certum, nondum illum vel quinquageſimum aetatis annum, quum e viuis exceſſit, attigiſſe. Pater enim eius Bela, poſt turbas, ab S. Emerici morte, quae contigit anno 1031. ſuſcitatas, Hungariam deſerere coactus, in Bohemiam primum ſe recepit. In Poloniam inde profectus, victo ſingulari certamine Pomerano, Micislai Poloni filiam coniugem accepit, ex qua Geiſa vix ante 1034. annum natus, non plures aetatis annos, quam 43. quum obiit, numerare potuit. E nominibus, eius diplomati ſubſcriptis, diſcimus, eo regnante, Nehemiam eccleſiae Strigonienſi, Deſiderium Colocenſi praefuiſſe. Turotzius, quum illum Colocenſem archiepiſcopum vocat, ad morem aetatis ſuae, qua Colocenſes antiſtites archiepiſcopi iam erant, loquutus fuiſſe videtur. Nam et in Geiſae litteris, quibus abbatiam S. Benedicti dotauit, et in diplomate S. Ladislai, quo priuilegia Quinqueeccleſienſis epiſcopatus anno 1093. confirmauit, epiſcopus

(*a*) Chron. P. II. cap. 55.

pus dumtaxat, non archiepiſcopus dicitur. Longius a vero Bonfinius diſceſſit, qui Deſiderio metropolitae Strigonienſis axioma dedit. (*a*)

§. XIV.

S. LADISLAVS, REX VIII.

Coepit A. C. 1077. *deſiit A. C.* 1095.

A. C. 1077. *Lad.* 1. *Ind.* 15. *P.* 16. *A.*

CXLVIII.

Non alio iure S. Ladislaus, quam Geiſa I. ſolium Hungariae conſcendit. Quum enim vterque Bela I. patre, Richeſa matre genitus, ac ex Arpadiana ſtirpe prognatus fuerit; vtrumque ſtatus et ordines regni, ſecundum pacta, cum Almo duce dudum inita, regem liberis ſuffragiis legere potuerunt. Iam vero tantus in S. Ladislaum conſenſus omnium erat, vt ad eum magis exprimendum Turotzius quatuor phraſes, idem prorſus ſignificantes, in hunc modum adhibuerit: (*b*) *Audita vero morte regis Magni, conuenit vniuerſa multitudo nobilium Hungariae ad fratrem eius Ladislaum, et eum* communi conſenſu, parili voto, conſona voluntate, *ad ſuſcipiendum regni gubernacula* concorditer *elegerunt; immo fere magis affectuoſiſſimis precibus compulerunt.* Compelli debebat, quod, quum Salomon, rex legitime coronatus, adhuc viueret; in electionem, vtut concordem, ipſe conſentire nulla ratione voluerit. Certe iam frater eius Geiſa quosdam conſcientiae ſtimulos,

(*a*) Hiſt. Cr. T. II, p. 376—379. (*b*) Chron. P. II. cap. 56.

mulos, quod, Salomone ſuperſtite, regiam dignitatem admiſiſſet, perſentiſcebat, eamque dimittere, ni proceres obſtitiſſent, conſtituerat. Nunc iidem optimates et nobiles, qui Salomonem reiecerant, eo magis in Ladislaum conſpirarunt, quo pluribus is virtutibus effulgebat. *Omnes enim nouerant*, pergit Turotzius, *ipſum eſſe veſtitum conſummatione virtutum, fide catholicum, pietate praecipuum, largitate munificum, caritate conſpicuum.* — Illius ſubinde nomen a Graeco λαὸς *populus*, et δόσις *datum* male detorquet; quod rectius alii deriuant a Slauica voce *Vlada*, potentia, et *Slaua* gloria; quum Polona matre natus, a Slauis potius, quam Graecis, nomen accepiſſe, veroſimilius videatur. *Et quamuis ipſum Hungari*, loquitur iterum Turotzius, *in regem absque voluntate ſua elegerunt; numquam tamen in capite ſuo coronam poſuit; propter quod potius caeleſtem coronam optabat, quam terrenam: et viui regis coronam, vsque dum legitime coronaretur, habere noluit; proponens in animo, vt, ſi firma pax inter eos eſſe poſſet; regnum Salomoni redderet, et ipſe ducatum haberet.* Pelbartus diſſertis verbis affirmat, (*a*) S. Ladislaum *in regem Hungariae coronatum eſſe; = ſed regalia inſignia ante ſe deferri feciſſe.* Hoc igitur ſenſu Turotzius eſt accipiendus, quod, pro more temporis illius, coronam in capite ſuo non geſtarit; ſed inſignia tantum ante ſe deferenda curarit. (*b*)

A. C. 1079. *Lad.* 3. *Ind.* 2. *P.* 24. *M.*

CXLIX. Miror igitur Kerchelichium aſſerere, (*c*) *Ladislaum ſanctum — — nec legatos Romam mittere*

(*a*) De S. Lad. ſerm. I. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 389—394.
(*c*) Not. Praelim. p. 106.

tere voluiſſe, nec a Gregorio inueſtiri; ne ſubiectum efficeret regnum; hancque eſſe cauſſam, quod coronatus non fuerit in Hungariae regem. Nam coronatum illum fuiſſe, nunc vidimus; nec vllo monumento doceri poteſt, id voluiſſe S. Gregorium, vt citra ſuum conſenſum nec eligi, nec coronari rex Hungariae poſſet. Immo noluiſſe ſanctum pontificem Hungariae libertatem laedere, vel inde patet, quod S. Ladislaum, ab Hungaris electum, regem agnouerit, nec vllum vmquam cenſum ab Hungaris exegerit. Falſum item eſt, S. Ladislaum legatos Romam non miſiſſe; nam S. Gregorius in litteris, ad S. Ladislaum hoc anno datis, *XII. kal. Apr. ind.* 2. haec inter alia ſcribit: *Sicut fidelium tuorum crebra legatione cognouimus, — excellentia tua ad ſeruiendum B. Petro, quemadmodum religioſa poteſtas debet, et ad obediendum nobis, vt liberalem filium decet, toto affectu et cordis intentione parata eſt.* Deinde S. Ladiſlai beneuolentiae commendat duos comites, in exſilium eiectos *ob fidelitatem B. Petri.* Perperam aſſeritur, *hos duntaxat duos Ladislaum, ſi regnum clientelari iure a pontifice accepit, conſentientes habuiſſe.* Quis enim credat, S. Ladislaum aliquid fuiſſe facturum, in quod duo tantum conſenſerint? Quis eos exſilio multatos, qui non aliud, quam quod rex voluerunt? Potius igitur hi fuerunt exſules in Hungaria, quam extra Hungariam, ab Henrico IV. relegati. (*a*)

A. C. 1081. *Lad.* 5. *Ind.* 4. *P.* 4. *A.*

CL. Vt exſules illos comites, B. Petro fideles, et ideo veriſimiliter ab Henrico IV. relegatos, S. La-

(a) Hiſt. Cr. T. II. p. 395—407.

Ladislaus et in Hungariam benigne recepit, et a S. Gregorio commendatos inſigni caritate fouit; ita nihil officii praetermiſit, vt Boleslaum, Poloniae ducem, ob caeſum S. Stanislaum exſulem, in Hungaria retineret, et ad ſaniora reduceret. Sed is, vt Cromerus refert, (*a*) *amentia correptus, mortem ſibi ipſe conſciuit, anno poſt Chriſtum natum* 1081. Ad eumdem hunc annum vetus chronicon refert, (*b*) *Ladislaum regem, et Salomonem, fratrem* (patruelem) *eius pacem feciſſe.* Quod Turotzius vberius ita narrat: (*c*) *Porro Salomon erat in Poſon. Reuerendiſſimi autem epiſcopi laborabant pacificare eos. Rex autem Ladislaus, quamuis ſciret, Salomonem nimis eſſe trucem et impacabilem; victus tamen pietate, et maxime iuſtitia compellente; quia ius legitimum Ladislaus non habebat contra eum; ſed omnia de facto fecit, non de iure; quarto anno regni ſui pacificatus eſt cum Salomone, donans ei ſtipendia, ad regales expenſas ſufficientia. Optimates autem regni, futura pericula bellicae cladis caute praecauentes, non patiebantur regnum partiri cum Salomone; ne nouiſſima fierent peiora prioribus.* Agnoſcebant antiſtites; agnoſcebant optimates, ad Salomonem maiori iure, quam ad Ladislaum, Hungariam pertinere; neque Ladislaus, teſte Turotzio, *viui regis coronam habere voluit.* Non inuitus igitur id, quod epiſcopi ſuadebant, facturus, regnumque vel Salomoni redditurus, vel cum eo partiturus erat; ni proceres obſtitiſſent, qui non cenſebant, arma furioſo porrigenda, quibus in ſuam regnique perniciem abuſurus fuiſſet. Quum igitur optimates omni ſeu ceſſioni, ſeu partitioni regni, quam Ladislaus

(*a*) Libr. IV. p. m. 90. (*b*) Ap. Koller H. E. Qu. T. I. p. 404. (*c*) Chron. P. II. cap. 56.

ex animo facere volebat, interceſſiſſent; quod vnum rex pius potuit, iis conſentientibus, fecit, vt nihil Salomoni, quod ad regiam magnificentiam neceſſarium videbatur, deeſſe pateretur. (*a*)

A. C. 1082. *Lad. 6. Ind. 5. P. 24. A.*

CLI. Non vanus patriae patrum e Salomonis indole metus erat, ne pacem is diu pati non poſſet. Nec enim multum temporis effluxit, quum nouas res in Ladiſlaum moliri coepit. *Salomonis autem cauteriatam conſcientiam*, inquit Turotzius, (*b*) *praeconceptae iracundiae amaritudo laniabat. Coepit itaque fremebundus aeſtuanti animo machinari dolos in perniciem innoxii ſanguinis Ladislai; ſed incidit in foueam, quam fecit. — Rex autem Ladiſlaus, deprehenſo flagitio, cepit Salomonem, et in Wyſſegrad retruſit in carcerem.* S. Ladiſlaus, Salomonis inſidiis liberatus, partim excitandis, partim inſtaurandis, aut locupletandis ſacris locis operam impendebat. Exſtat eius prolixum diploma, quo dotem eccleſiae Veſprimienſis recenſet et confirmat hoc anno *Kalendis Maii.* (*c*)

A. C. 1083. *Lad. 7. Ind. 6. P. 9. A.*

CLII. In laudato diplomate S. Ladiſlaus Stephanum regem ter *ſanctum* appellat; illum igitur ante hunc annum, ad quem eius apotheoſim plerique deſigunt, inter ſanctos fuiſſe relatum, indicat. Prius nempe S. Stephani canonizatio, quam corporis eius eleuatio, peracta fuit. De hac accipiendum eſt chronicon

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 407—416. (*b*) Chron. P. II. cap. 56. (*c*) Hiſt. Cr. T. II. p. 416—430.

nicon ſeculi XIII. quum ita loquitur: *MLXXXIII. dominus rex Stephanus, et Henricus, filius eius, et Gerardus epiſcopus reuelantur.* (*a*) De hac etiam Carthuitius ita ſcribit: (*b*) *Interiectis itaque 45. annis, quum ad praeſtanda per eum mortalibus miſericordiae ſuae beneficia, ſancti iam vellet DEVS merita declarare; Romanae ſedis inſtitutione apoſtolicis litteris ſancitum eſt, vt eorum corpora eleuari deberent, qui in Pannonia Chriſtianae fidei iacientes ſemina, ſua eam praedicatione vel inſtitutione ad dominum conuertiſſent.* Id in ſynodo Romana ſancitum eſſe, biographus S. Gerardi ſic teſtatur: (*c*) *Ladislai regis tempore a ſancta Romanae eccleſiae ſynodo iniunctum eſt, vt ſanctorum corpora, qui Pannoniam fidei praedicatione irrigaſſent, ſummo honore afficerentur.* Haec ſententia de Pannoniae ſanctis ferri non potuit in concilio, Romae celebrato 20. Nouembris anno hoc 1083. quum eleuatio corporis tribus menſibus prius, nempe 20. Auguſti, peracta fuerit. Nec vlla Romae ſynodus habita fuit anno 1082. Sed priore 1081. quo ſi S. Stephanus caelitibus adſcriptus eſt, eum S. Ladislaus iam *Sanctum* appellare potuit anno 1082. Quum autem, adueniente ſedis apoſtolicae legato, S. Stephani corpus eleuandum fuiſſet; *rex Ladislaus*, vt ſcribit Carthuitius, (*d*) — *triduanum cunctis indixit ieiunium.* — *Sed quum triduo eius corpus totis viribus eleuare ſatagerent; nulla de loco ſuo potuit arte moueri.* Nempe, quod Salomon carcere teneretur; id fieri non poſſe prius, quam is libertati reſtitueretur, DEVS cuidam incluſae, nomine Caritati, reuelauit; vt ſcilicet ille quoque communem omnibus laetitiam plenius perſentiſceret. *Illo*

(*a*) Ap. Koller T. I. p. 404. (*b*) Edit. Prai. p. 163. (*c*) Cap. XXII. (*d*) Edit. Prai. p. 163.

itaque e carcere producto, et triduano iterato ieiunio, quum ad transferendas reliquias ſacras tertia die ventum fuiſſet; lapis ingens, ſuperpoſitus tumbae, tanta facilitate ſublatus eſt, ac ſi nihil ante ponderis habuiſſet. Tum quaedam prodigia, virtute DEI patrata, recenſet, quibus illuſtria S. Stephani merita DEVS orbi manifeſtare voluit: qui, raro prorſus exemplo, ſimul cum filio ſanctis adſcriptus eſt, et primus e regibus hunc honorem adeptus. (*a*)

CLIII. Ea, quae Carthuitius refert, fidem mereri, vel eius aetas oſtendit. Iuſſus enim a Colomano rege, qui regnare coepit anno 1095. deſiit anno 1114. S. Stephani vitam ſcribere, decrepitum ſe vocat. Potuit igitur S. Stephani corporis eleuationi non tantum intereſſe, ſed etiam plures annos illi conuiuere. Schwartzius, argumenti huius vim eliſurus, ab aetate S. Stephani remotiorem illum facere conatur, dum Colomanum illum non Hungariae, ſed Haliciae regem fuiſſe contendit. Sed enim licet hic Colomanus ineunte ſeculo XIII. natus; Ladislaus autem rex et Henricus imperator iam ſeculo XII. ſanctis adſcriptus ſit; neutrum tamen Carthuitius ſanctitatis titulo condecorat; non igitur a Colomano, Haliciae, ſed Hungariae rege vitam S. Stephani ſcribere iuſſus erat; non duobus ſeculis a S. Stephano diſtabat; fruſtraque Schwartzius hoc titulo fidem eius vellicat. Carthuitius igitur, ſcriptor ſynchronus et fide dignus, hanc eleuationem, quam praeſens ipſe ſpectare poterat, ita deſcribit: (*b*) *Mane facto, die poſt aſſumtionem SS. V. M. quinto* (20. Aug.) *conuenientibus in eccleſiam cum rege principibus, cum clero pontificibus, primum miſſa pro defunctis*

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 430—443. (*b*) Edit. Prai. p. 167.

functis celebrata eſt; deinde, ſublata tabula marmorea, quae pauimento praeeminebat, poſtquam peruentum eſt ad tumbam; tanta fragrantia ſuaue redolentis odoris in apertione ipſius omnes, qui aderant, circumdedit, quod in medium paradiſi, deliciarum domum, ſe raptos opinarentur. Ipſa quoque tumba plena fuit aqua parum rubenti, quaſi oleo permixta, in qua, velut in balſamo liquefacto, quieuerunt oſſa pretioſa: quibus in mundiſſimo linteamine collectis, in ipſo liquore diutiſſime eſt quaeſitus annulus, qui beati viri dexterae fuerat impoſitus: quo non inuento, coeperunt quidam iuſſu regis aquam in caldaria argentea et dolia effundere, vt, euacuato ſarcophago, certior fieret annuli inuentio. Sed mirum in modum, quanto magis liquor effundebatur; tanto plus, eo creſcente, tumba replebatur. — — Miro pietatis DEI munere, diu quaeſitus et non inuentus annulus, cum ipſa viri dextera, poſt translationis eius terminum, eſt manifeſtatus. Monachus quidam, nomine Mercurius, — ipſa hora, qua tumulus apertus fuerat, ne quid ſanctarum reliquiarum raperet, redargutione regali procul inde eſt remotus. Cui, triſti vultu in choro reſidenti, iuuenis quidam, albis veſtitus, pannum inuolutum tradidit, dicens: „Hunc tibi com„mendo ſeruandum, quum tempus fuerit, mani„feſtandum.“ *Poſt completionem officii ſacri, monachus in angulis domus pannum expandit, integramque DEI viri manum cum annulo mirifici operis cernens, expauit. — Appropinquante tempore rei declarandae, regis ad notitiam perduxit; qui mox, adunatis epiſcopis et Hungariae primis, — eleuandae viri DEI dextrae diem ſtatuit celebritatis.* Quum id videatur factum anno 1093. breuitate temporis excluſus, curam erigendi baſilicam Almo duci commiſit,

miſit, quam is in oppido, *Sz. Job* dicto, ſolidis ex materiis eduxit. (*a*)

A. C. 1085. *Lad.* 9. *Ind.* 8. *P.* 20. *A.*

CLIV. Vt S. Stephani cultus, eleuato iam eius corpore, latius vulgaretur; S. Ladislaus in illius honorem epiſcopatum Zagrabienſem erexit. Annum epiſcopatus natalem Tomcus, Vincouichius aliique volunt eſſe 1085. quibus iſtud Feliciani, Strigonienſis archiepiſcopi, teſtimonium fauere videtur: *Regnante nobiliſſimo rege Ladislao; Strigonienſis vero eccleſiae primatum Acha gubernante; et Baacienſi archiepiſcopo Fabiano exſiſtente; Beſprimienſi epiſcopo Coſma; palatino comite Iula; Semegienſi comite Grab, praedictus rex, diuina gratia inſpirante, horum ceterorumque nobilium conſilio, Zagrabienſem conſtituit epiſcopatum.* Nam, ſi verum eſt, quod Schmitthius habet, (*b*) Acham eccleſiae Strigonienſi praeeſſe coepiſſe hoc anno 1085. deſiiſſe 1088. non poſſunt initia Zagrabienſis epiſcopatus ad ea tempora, quibus S. Ladislaus Hungariae regno Croatiam adiunxerat, differri. Praecipuum, quod iſtic opponi poſſet, argumentum eſt, quod in hac ſententia S. Ladislaus epiſcopatum extra regni ſui limites erexiſſet; quum nondum Croatiam anno 1085. Hungariae iuribus adiecerit. At nondum oſtenſum eſt, Zagrabiam ea Croatia comprehenſam fuiſſe, quam S. Ladislaus primus occupauerit. Nec enim illis Andreae II. verbis: *Quum S. rex Ladislaus primus tranſierat Drauae fluuium, et partes ſibi Sclauonicas regno primum occupauit adiecto*, aſſeritur, omnes

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 443—468. (*b*) Archiep. Strig. p. 40.

omnes vltra Drauum fl. partes a S. Ladislao primum occupatas fuiſſe; quum et anonymus doceat, (*a*) Hungaros ſub Arpado *caſtrum Zagrab cepiſſe;* nec vllus perhibeat, eos illud amiſiſſe, vel Radonem non recuperaſſe. Natalem igitur hunc epiſcopatus annum tamdiu tolerari poſſe cenſeo, donec aliquis et. Zagrabiam extra ius Hungaricum ante S. Ladislaum fuiſſe, et Acham archiepiſcopum ad occupatam a S. Ladislao Croatiam prouixiſſe, certo non docuerit. (*b*)

A. C. 1086. *Lad.* 10. *Ind.* 9. *P.* 5. *A.*

CLV. Interea Salomon, diuino nutu libertati reſtitutus, ad vxorem Ratisbonam profectus, ſed ab ea, fortunam et connubium eius aſpernata, non receptus, aduerſus S. Ladislaum nouos hoſtes Cumanos exciuit, nouumque connubium inire conſtituit. *Tandem fugiens*, inquit Turotzius, (*c*) *adiit ducem Cunorum, qui vocabatur Kutesk, cui iurauit:* „ quod Tranſſiluanam prouinciam proprietario iure „ ipſi traderet, et filiam eius in vxorem acciperet; „ ſi ille in auxilium eius ſuper Ladislaum veniret " *Dux autem Kutesk, inani ſpe ſeductus, cum magna multitudine Cunorum inuadens Hungariam, deuenit vsque ad prouinciam caſtrorum Vng et Borſua. Quo audito, rex Ladislaus irruit ſuper eos; et contriti ſunt a facie eius; cecideruntque in ore gladii multa millia Cunorum.* Huc inconſulta Salomonis ambitio recidit, vt et Tranſſiluaniam barbaro cedere voluerit, et ſaeuum hoſtem in patriam induxerit, quo regnum amiſſum, vel inuitis popularibus ſuis, recupera-

(*a*) Cap. XLIII. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 483—497. (*c*) Chron. P. II. cap. 56.

recuperaret. Mirum, toties vanos conatus ſuos expertum non reſipuiſſe, rurſumque turbulentum alibi conſilium iniuiſſe. (*a*)

A. C. 1087. *Lad.* 11. *Ind.* 10. *P.* 28. *M.*

CLVI. Salomon igitur, a S. Ladislao cum ſtrage reiectus, collectis iterum latrunculis eorumdem Çumanorum, impetum ſuum alio vertit, ac bellum in Bulgariam et Graeciam eo fortaſſe conſilio transtulit, vt, ſi hac parte fortunam propitiam experiretur, facilius Hungariam illinc tentare poſſet. *At rex Salomon*, ita Turotzius priora proſequitur, *cum latrunculis Cunorum inuaſit Bulgariam et confinia Graeciae; vbi ab exercitu Graeciae imperatoris miſerabiliter ſunt percuſſi.* Hic exteri ſcriptores Salomonem occubuiſſe; domeſtici diſparuiſſe, Polamque ſe recepiſſe, perhibent: qua de re iam ſupra diſſeruimus. Anna quoque Comnena Salomonis in hoc bello meminit; (*b*) et licet in quibusdam adiunctis variet, victoriam tamen et ipſa Graecis adſcribit. (*c*)

A. C. 1088. *Lad.* 12. *Ind.* 11. *P.* 16. *A.*

CLVII. S. Ladislaus, turbulento hoc aemulo liberatus, quum ab Henrico IV. ſedem apoſtolicam diutius vexari, Germaniaeque principes ad publicam tranquillitatem reſtituendam conuentum celebrare comperiſſet; teſte Bertholdo Conſtantienſi, (*d*) *miſſa legatione ad idem colloquium, ſe in fidelitate S. Petri perſeueraturum declarauit, et fidelibus S. Petri cum* 20 *millibus equitum contra ſchismaticos ſe adfuturum, ſi neceſſe foret, promiſit.* Hac ſancti regis in ſedem

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 497—499. (*b*) Edit. Ven. p. 150. (*c*) Hiſt. Crit. T. II. p. 499—527. (*d*) Ad annum 1087.

ſedem apoſtolicam pietate permoti Germaniae proceres, mortuo Hermanno, Lotharingiae comite, quem Henrico IV. ſeptem abhinc annis oppoſuerant, ipſi Germaniae coronam per oratores obtulerunt. At S. Ladislaus, ſiue quod Germanicis ſe tricis inuoluere nollet, ſiue quod ad procurandam Hungariae felicitatem ſuas omnes curas impendere vellet, oblatum ſibi honorem modeſte recuſauit. Hoc illud eſt, quod Turotzius, imperatoris defuncti nomine tacito, ſic narrat: (a) *Mortuo Romanorum imperatore, duces et tetrarchae Teutonicorum cunctique barones et optimates communiter et concorditer rogauerunt ipſum, vt ſuſciperet imperium. Quia vero tempore ſuo non ſolum ſua, ſed quae IESV Chriſti ſunt, quaerebat; et illud diuinum oraculum mente ſedula reuoluebat:* „Non transgredieris terminos pa„trum tuorum:“. *ſuis terminis contentus eſſe maluit, quam ſupra menſuram iuris augere.* Turotzius, qui mortuum illum imperatorem non nominat, non potuit intelligere Henricum, qui deceſſit anno 1106. ſed Hermannum, qui viuere deſiit hoc anno 1088. (b)

A. C. 1089. *Lad.* 13. *Ind.* 12. *P.* 1. *A.*

CLVIII. Qui hic imperii coronam inſigni modeſtia recuſauit, occaſionem Croatiae regni, Hungariae iuribus adiiciendi, non neglexit. Croatiae nomen auditum non eſt ante Heraclium, qui rerum in oriente potitus eſt inter annos 610. et 641. Prius enim, quam Chrobati regiones illas occupaſſent; Dalmatia ſuis finibus ad Sauum vsque fluuium id totum continebat, quod in ius nomenque Croatiae poſtea tranſiit. Hoc regnum Zuonimirus, qui Helenam

(a) Chron. P. II. cap. 59. (b) Hiſt. Cr. T. II. p. 527—531.

lenam ſeu Lepam, S. Ladislai ſororem, in coniugio habuit, adeptus eſt anno 1076. cuius adhuc diploma legitur anno 1087. Poſtquam exiguo tempore Stephanus II. Croatiae poſt illum praefuiſſet, ac regnum inteſtinis diſcordiis exagitatum fuiſſet; S. Ladislaus ad illud componendum vel a ſorore, vel a quodam optimate fuit euocatus. Illud Turotzius, iſtud Thomas archidiaconus aſſerit. *Exſtitit quidam*, inquit iſte, (*a*) *ex magnatibus Sclauoniae, qui quum a ſuis eſſet contribulibus multis laceſſitus iniuriis, multisque damnis attritus; non ſperans, aliter ſe poſſe tantis reſiſtere malis, in Vngariam profectus eſt. Tunc ad regem Ladislaum ingreſſus, eum alloqui coepit, perſuadens ei:* „vt ad „capiendum Chroatiae regnum et ſuo dominatui „ſubiiciendum exiret; *dans ei plenam fiduciam*, id „facile poſſe complere; quum regnum illud va„cuum et ſine tutela regalis prouidentiae reman„ſiſſet.“ *His ergo Ladislaus rex inductus conſiliis, absque mora, coadunato exercitu copioſo, venit, et occupauit totam terram a Drauo fl. usque ad Alpes, quae dicuntur ferreae, nullo obice reſiſtente. — Fuit autem rex iſte non ſolum armis ſtrenuus, ſed religione et ſanctitate inſignis.* Quo ſatis archidiaconus innuit, S. Ladislaum non ambitus cauſſa Croatiam inuaſiſſe; quod apertius in haec verba Turotzius tradit: (*b*) *Quum rex Zolomerus ſine liberis deceſſiſſet; vxor eius, ſoror regis Ladislai, ab inimicis viri ſui multis iniuriis praegrauata, auxilium fratris ſui, regis Ladislai, in nomine IESV Chriſti implorauit: cuius iniurias rex grauiter vindicauit, et Croatiam atque Dalmatiam integraliter ſibi* (ſorori) *reſtituit;* *quam*

(*a*) Hiſt. Salon. c. 17. p. m. 556. (*b*) Chron. P. II. cap. 5.

quam poſtea praedicta regina ſuo (Ladislai) *ſubdidit dominio. Quod tamen rex non fecit propter cupiditatem; ſed, quia ſecundum regalem iuſtitiam ſibi competebat hereditas.* Certe S. Ladislaum alieno regno non inhiaſſe, caeſarea dignitas oblata, ſed recuſata, docet. (*a*)

A. C. 1096. *Lad.* 14. *Ind.* 13. *P.* 21. *A.*

CLIX. Etſi Turotzius non tantum Croatiam, ſed etiam Dalmatiam a S. Ladislao Hungariae iuribus adiectam eſſe ſcribat; potiorem tamen hic archidiacono fidem adhibendam eſſe, qui negat, S. Ladislaum ad maritimas vsque regiones perueniſſe, patet ex monumentis, quae maritimas ciuitates hoc tempore non Hungariae regis, ſed Graecorum imperatoris ius ſupremum agnouiſſe teſtantur. Cauſſam, cur ſanctus rex curſum victoriarum abrumpere coactus fuerit, archidiaconus ita refert: (*b*) *Audiens, quod quaedam gens ſui regni fines intrauerat, in Vngariam repedauit.* Turotzius et gentem hanc nominat, et rem fuſius ita narrat: (*c*) *Quidam de Cunis, nomine Kopulch, filius Krul, cum valida manu intrauit in Hungariam.* Hic, vaſtata Tranſſiluania, primum ad Bihar, tum ad Tibiſcum praedas egit, multosque nobilium filios et vxores in captiuitatem duxit. *Rex autem Ladislaus cum ſuis in Sclauonia fuerat: quumque in reuerſione ſua haec omnia nunciaſſent; citius, quam ſciuerat, reuerſus eſt.* Cumanos ad Temes fl. aſſequutus, *militibus ſuis dicebat:* „Vtilius eſt mihi mori vobiscum, quam vxores noſtras „ et filios videre in captiuitate.“ *Haec dicens, lacrima-*

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 531—545. (*b*) Hiſt. Salon. cap. XVII. (*c*) Chron. P. II. cap. 57.

crimabatur, *et primus vexillo rubeo impetum fecit in caſtra Cunorum; contriuitque dominus Cunos ante faciem Hungarorum. Rex itaque Ladislaus militibus ſuis clamabat*: „Non interficiamus homines iſtos; „ ſed capiamus eos: et, ſi conuerſi fuerint; viuant.“ *Kopulch vero et meliores mortui ſunt*, *et alii quam plures capti ſunt*. Vnicus euaſit cladis nuncius, quam vindicaturi ceteri rurſus in Hungariam irruperunt. Occurrit illis rex, et *prope Danubium impetum ſuper Cunos fecit. In primo autem impetu rex ducem Cunorum*, *nomine Akus*, *percuſſit*. Quos Turotzius Cunos, eos biographus S. Ladislai Biſſenos, Pelbartus Tartaros vocat, quod hi populi ſimul permiſti fuerint. Eamdem illis appellationem breuiarium eccleſiae Hungaricae tribuit; quum prodigiorum, illic patratorum, ita meminit: (*a*) *Aduerſus Tartaros bellum gerens*, *quum fugientes barbari*, *vt militem S. regis ab inſequendo diſtinerent*, *ingentem pecuniae vim doloſe ſparſiſſent; Ladislai precibus pecunia omnis in lapidem commutari viſa eſt. Exercitui ſuo*, *victus inopia laboranti*, *fuſis ad DEVM precibus*, *ceruorum et bubalorum gregem impetrauit. Fontes etiam aquae recentis e ſaxis*, *ad exſtinguendam ſuorum ſitim*, *pari modo a DEO obtinuit*. S. Ladislaus, gemina victoria potitus, captos Cumanos in iis plagis collocaſſe videtur, quae hodieque Cumania dicitur. (*b*)

CLX. In gratam fortaſſis relatae de Cumanis victoriae memoriam S. Ladislaus princeps Poſonii templum, D. Martino ſacrum, e quadrato lapide poſuit. Eius enim natales ad hunc annum figendos editor

(*a*) Lect. V. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 547—552.

editor geographiae Belianae cenſet. (*a*) *Eumdem illum annum*, inquit ipſe Belius, (*b*) *reportata de Ruthenis praeclara clementique victoria, inſignem habuit.* Turotzius quidem poſt bellum Cumanicum alia tria, Ruthenicum, Polonicum et Bohemicum vna ſerie narrat; ſed omnia hoc anno geſta fuiſſe, credi non poteſt. Ruthenici cauſſam ab ipſis Cumanis, quod hi *per conſilium eorum Hungariam intrauerint*, repetit; quibus ſupplicibus rex pepercit. Nullam vero Polonici cauſſam, ſine qua ſanctus rex numquam bellum ſuſcepturus erat, reddit. Cromerus eam ſuſpicatur, vt Micislaum, Boleslai filium, reduceret. Victis Polonis et Cracouia tribus menſibus obſeſſa, quum vtrimque fames eſſet; *rex*, inquit Turotzius, (*c*) *et principes petierunt ab omnibus Hungaris, noctis ſilentio vt portaret vnusquisque ocream ſolam, de terra plenam. — Fecerunt autem ante caſtrum montem magnum de terra illa, quem deſuper cum farina cooperuerunt.* Obſeſſi, totum id farinam eſſe rati, deditionem fecerunt. Cum Polonico Bohemicum bellum Turotzius coniungit, quod limitum cauſſa ſuſceptum fuiſſe videtur. Vt autem incertus eſt iſtarum expeditionum annus; ita certum, Hungariae reginam hoc anno deceſſiſſe, teſte Bertholdo Conſtantienſi. (*d*) Hanc Praius *Olhait*, vt eſt in lapide Veſprimienſi, vel *Adelhaidem*, S. Ladislai coniugem, eſſe probat, (*e*) quae Bertholdi I. Zaringenſis, Sueuiae et Carinthiae ducis, filia; Bertholdi II. hoc item anno mortui, ſoror erat. (*f*)

A.

(*a*) Edit. an. 1777. p. 48. (*b*) Not. Hung. T. I. p. 587. (*c*) Chron. P. II. cap. 58. (*d*) Ad annum 1090. (*e*) Diſſ. de S. Lad. p. 95. (*f*) Hiſt. Cr. T. II. p. 553—561.

A. C. 1091. *Lad.* 15. *Ind.* 14. *P.* 13. *A.*

CLXI. S. Ladislaus, iuſtis vxori perſolutis, ad componendum Croatiae regnum profectus, Almum nepotem ei praefecit. Si Turotzianis annalibus fidem adhibemus, primum ille Croatiam non ſibi, ſed ſuae ſorori vindicauit. Iſta vero, Croatis femineum regimen aſpernantibus, quum ipſa ſuam dignitatem tueri ſatis non potuiſſet, omne ſuum ius in fratrem transtulit. Ladislaus, Hungaria, quam Colomano deſtinauerat, contentus, Almum nepotem illic regem conſtituit. Huius rei certum teſtimonium exhibet tabularium monaſterii S. MARIAE Iadrenſis, ex quo Lucius iſta recitat: (*a*) *Anno incarnationis IESV Chriſti D. N. MXCI. Kyri Alexio Conſtantinopoleos imperante, tempore, quo Ladislaus, Pannoniorum rex, Croatiae inuadens regnum, domnum Almum, ſuum nepotem, in illo ſtatuit regem.* Quum Iadrenſes huic documento nomen imperatoris Graeci praeiecerint; illius ſupremum ius agnouerunt. Dalmatiam igitur et Croatiam maritimam Hungariae iuribus non adiecit S. Ladislaus, qui, reuerſus in Hungariam, vetera Szaladienſis coenobii iura nouo diplomate confirmauit, *dato Simigii, tredecimo kal. Ianuarii, anno domini MCI.* Certum eſt, hunc annum, ad quem S. Ladislaus non prouixit, vitiatum eſſe, quem ita reſcribendum eſſe cenſeo *MXCI.* (*b*)

A. C. 1092. *Lad.* 16. *Ind.* 15. *P.* 28. *M.*

CLXII. S. Ladislaus, bellis iam vndique compoſitis, ad pacis ſtudia conuerſus, comitia regni ſtatibus et ordinibus Szaboltſium indixit, vt reip.

vul-

(*a*) Libr. II. cap. I. p. m. 170. (*b*) Hiſt. Cr. T. II. p. 561—567.

vulnera, per inteſtinos ſub deceſſoribus ſuis motus accepta, curaret, nouisque ſubſidiis neglectam inter armorum ſtrepitus diſciplinam firmaret. Ipſum autem ſanctum regem his comitiis praeſediſſe, haec praefatio docet: (*a*) „Regnante creatore et ſaluato-„ re D. N. I. C. anno incarnationis eius MXCII. XIII. „ Kal. Iunii, in ciuitate Szabolch ſancta ſynodus „ habita eſt, praeſidente Chriſtianiſſimo Vngarorum „ rege Ladislao, cum vniuerſis regni ſui pontifici-„ bus et abbatibus, nec non cunctis optimatibus, „ cum teſtimonio totius cleri et populi." Sequuntur 42. capita, quibus leges, hic communi conſenſu ſancitae, comprehenduntur, hoc ordine: Caput I. *De bigamis preſbyteris et diaconis.* Bigami hic non intelliguntur, qui duas ſimul vxores habuerint; ſed qui, primis defunctis, ſecundas duxerint. His, et viduarum ac repudiatarum maritis, numquam diaconatum, preſbyteratum, nedum epiſcopatum, ſuſcipere licuit. Vnde quum S. Paullus ſcribit: *Oportet ergo epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum;* teſte S. Chryſoſtomo, non praecipit, vt epiſcopus vnam vxorem habeat; ſed prohibet illum eligi, qui plures habuit; permittit tamen illum ordinari, qui tantum vnam habuit vel habet, a qua tamen poſt ordinationem abſtineat. Cap. II. *De his, qui ancillam in locum ſurrogauerint vxoris;* quibus poena venditionis imponitur; quum numquam in eccleſia, ſiue Graeca, ſiue Latina, poſt ſuſceptos ordines ſacros, nouum inire connubium licuerit. Cap. III. *De indulgentia, ad tempus facta preſbyteris, vt cum vxoribus maneant.* Vsquedum ſedes apoſtolica conſulta fuiſſet, quae conniuendum

ad

(*a*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 134.

ad tempus cenſuit; deinde tamen vſum matrimonii prohibuit. IV. *De epiſcopo, conſenſum praebente nolentibus ſeparari ab illicito coniugio.* V. *De dote eccleſiarum non expleta.* VI. *De perditione rerum eccleſiaſticarum ob ſacerdotis incuriam.* VII. *De reſtauratione deſolatarum eccleſiarum propter ſeditionem, regiis ſumtibus facienda.* VIII. *De deſolatione eccleſiarum propter vetuſtatem*, ab epiſcopis inſtauranda. IX. *De negotiatoribus Ismaelitis.* X. *De coniugio Iudaeorum cum Chriſtianis*, diſſoluendo. XI. *De negligentibus venire ad eccleſiam* verberandis. XII. *De celebratione feſtiuitatum.* XIII. *De interfectione adulterae.* XIV. *De ſubtractione candelarum.* XV. *De negligentia feſtiuitatum ob negotiationem*, equo plectenda. XVI. *De negligentia dominicae diei.* XVII. *De hoſpitibus aduenientibus clericis* examinandis. XVIII. *De perſeueratione clericorum in vno loco.* XIX. *De deſertione et contemtu propriarum eccleſiarum.* XX. *De muliere in adulterio deprehenſa.* XXI. *Abbates quomodo ſe habeant erga proprios epiſcopos.* XXII. *Poena gentilium ritu ſacrificantium.* XXIII. *De donatione rerum, alicui eccleſiae facta.* XXIV. *De inuentione rerum eccleſiaſticarum.* XXV. *De negligentia feſtorum et fidelium cadauerum ſepultura.* XXVI. *De laboribus Iudaeorum in feſtiuitatibus.* XXVII. *De decimatione liberorum* (manumiſſorum) *abbatum.* XXVIII. *De teſtibus iudicii ferri vel aquae.* XXIX. *De celebratione miſſae extra eccleſiam*, non permittenda. XXX. *De decimatione liberorum, et de emancipatione eorumdem eccleſiis facta.* XXXI. *De carnis dimiſſione.* XXXII. *De illata violentia virgini vel mulieri*, inſtar homicidii plectenda. XXXIII. *De decimatione pecorum, in alio epiſcopatu naſcentium.* XXXIV. *De ſatisfactione meretricum vel ſtrigarum.* XXXV. *De abbatis vel monachi oſculo erga regem*

vel

vel epiſcopum, in eccleſia non libando. XXXVI. *De ſalutatione abbatis vel monachi, euntis ad regem*, extra templum peragenda. XXXVII. *De ſanctarum vigiliarum obſeruatione.* XXXVIII. *De ſanctarum veneratione feſtiuitatum.* XXXIX. *De abbatibus vel monachis, in calendis ſedentibus.* XL. *De negantibus decimationem.* XLI. *De litigatoribus, venientibus ad regale palatium.* XLII. *De ſpretu ſigilli regii et iudicis;* illo 5. penſis, iſto 100. numis puniendo. (*a*)

A. C. 1093. *Lad.* 17. *Ind.* 1. *P.* 17. *A.*

CLXIII. Saluberrimis hisce legibus perlatis, quum aliquid altercationis inter Colocenſem et Quinqueeccleſienſem epiſcopos circa limites dioeceſium emerſiſſet; ſanctus rex ſententiam a Quinqueeccleſienſi tulit, edito diplomate cum hoc epilogo: *Anno dom. incarn. MXCIII. epacta XX. concurrentibus V. indicti. I. dominica reſurrectionis, XV. Kal. Maii, in ipſo epiſcopatu Pente eccleſiaſticae ſedis, actoriſantibus epiſcopis Fabiano, Coſma, Stephano.* — Compoſita hac lite, rurſus comitia S. Ladislaus indixit, ac librum II. decretorum. 18. capitibus definitum, confecit. Agit autem capite I. *De furto proximi quorumlibet principum.* II. *De furto ſerui*, primum naſo mutilandi, deinde ſuſpendendi. III. *De litigatione furis.* IV. *De purgatione furti.* V. *De inveſtigatione furtiuae rei.* VI. *De iudicis erga ſeruum vel liberum iudicio.* VII. *De negotiatore, furtiuam rem emente.* VIII. *De iugulato homine.* IX. *De quolibet eiusdem proſapiae furtum faciente.* X. *De cuiusuis ſeruo, in furto deprehenſo.* XI. *De Nobile vel milite, inuadente alterius domum.* XII. *De libero vel ſer-*

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 567—610.

ſeruo, in furto capto. „ Si anſerem vel gallinam fu„ ratus fuerit; monoculus efficiatur." XIII. *De furto clericorum.* XIV. *De libero, in furto reperto, pro* 10. denariis ſuſpendendo. XV. *Vt nulli negotiatori liceat emere vel vendere equos vel boues; niſi quantum ei neceſſe fuerit.* XVI. *De venditione equorum et boum, ſine licentia regis*, prohibita. XVII. *De priuatione honoris comitum; ſi permittunt emere, vel vendere.* XVIII. *De cuiusuis hoſpitis negotiatione.* (*a*)

A. C. 1094. *Lad.* 18. *Ind.* 2. *P.* 9. *A.*

CLXIV. Quod vitium licentia militum, tempore belli ſpoliis agendis aſſuetorum, inuexerat, illi radicitus euellendo S. Ladislaus omnem operam impendit, tertiumque librum decretorum, 29. capita complexum, condidit, hoc ordine: Cap. I. *De centurionibus et decurionibus* euriorum, ſeu cuſtodum. II. *De his, qui aliorum ſeruientes detinent.* III. *De palatino comite et eius ſigillo.* IV. *De quolibet fure, ad eccleſiam fugiente.* V. *De ſeruo vel libero, in eadem culpa ad eccleſiam fugiente.* VI. *De muliere, in furto deprehenſa*, naſo mutilanda vendendaque. VII. *De puella, furtum faciente*, vendenda. VIII. *De furibus liberis*, pro re 10. denariorum omnibus bonis, oculo pro minore priuandis. „ Si ſeruus ſex denariorum pretium furatus fuerit; „ careat oculis: ſi minus; ſemioculo." IX. *De his, qui capiunt furem.* X. *De his, qui, ſtante expeditione, furantur.* XI. *De negotiatoribus, de ciuitate in ciuitatem euntibus.* XII. *De fure, in curia nobilium capto.* XIII. *De collectoribus rerum fugitiuarum.*

(*a*) Ibid. p. 626—641.

uarum. XIV. *De his, qui a curſoribus equos dimiſſos retinent.* XV. *De his, qui decretum regis ſpernunt.* XVI. *De iudicibus.* XVII. *De furibus, ad eccleſiam fugientibus.* XVIII. *Vt nullus cum fure conuenire audeat.* XIX. *Nemo furem ducat ad alium iudicem.* XX. *De vſucapionibus.* XXI. *De his, qui recipiunt ſeruum vel lixas alterius.* XXII. *De iudice erecto et conſtituto.* XXIII. *De falſis iudicibus.* XXIV. *De iudice, litigium differente.* XXV. *De iudicibus, ſigillum mittentibus.* XXVI. *De ſpernentibus ſigillum iudicum.* XXVII. *De his, qui domi fecerunt pugnam.* XXVIII. *De curſoribus, qui vltra tria millia equos duxerint.* XXIX. *De quaerentibus res perditas*, ſub multa 10 iuuencorum non impediendis. (*a*)

A. C. 1095. *Lad.* 19. *Ind.* 3. *P.* 25. *M.*

CLXV. Certa conditarum harum legum chronologia deſtituti, coniecturis ſolum vſi, quum primi libri decretorum natales figantur ad annum 1092. alterum ad 1093. tertium ad 1094. collocauimus. Nam vltimo hoc anno vitae ſuae S. Ladislaus ea geſſit, quae comitiis celebrandis omne tempus eripuiſſe videri poſſunt. Sub initium enim apparatibus ad bellum ſacrum, tum bello Bohemico fuit impeditus. Erat nempe S. Ladislaus paullo prius, quam ad caeleſte regnum euocaretur, a principibus Europae dux expeditionis in terram ſanctam optatus, vt Turotzius in haec verba narrat: (*b*) *Quumque celebraſſet paſcha domini in Bodrog; ecce nuncii de Francia et de Hiſpania, de Anglia et Britannia ad eum venerunt; et praecipue de Villermo, fratre regis Francorum;*

(*a*) Ibid. p. 642—662. (*b*) Chron. P. II. cap. 59.

corum; et ei omnipotentis DEI iniuriam ſe vlciſci manifeſtauerunt; et ſanctam ciuitatem et ſanctiſſimum ſepulcrum de manu Saracenorum liberare penſauerunt. Vnde glorioſiſſimum regem rogauerunt, vt eis rector et gubernator in exercitu IESV Chriſti exſiſteret. Rex autem, hoc audiens, gauiſus eſt gaudio magno; et in eadem feſtiuitate a nobilibus Hungariae licentiatus eſt. Hanc Turotzii narrationem aliqui propterea reiiciunt, quod cum anno mortis S. Ladislai non congruat. Quum enim concilium ad Clarum montem, in quo haec expeditio decreta fuit, in octaua S. Martini celebratum ſit anno 1095. S. Ladislaus, prius iam mortuus, non potuit ſacri belli dux eligi. Sed enim ante Claromontanum concilium multi ſacrae huius expeditionis ſuſcipiendae propoſitum habuerunt, et illico legatos ad S. Ladiſlaum deſtinarunt. Nec enim Turotzius ſcribit, e concilio, ſed *de Francia et de Hiſpania, de Anglia et Britannia nuncios ad eum veniſſe.* Petrus enim eremita, reuerſus ex Palaeſtina 1093. mox, recenſitis apud Vrbanum II. Chriſtianorum in oriente calamitatibus, Europam percurſauit, totumque ſequentem annum excitandis ad pium opus Europae principibus impendit. Certe, licet in concilio Claromontano negotium expeditionis ſacrae magis promotum fuerit; idem tamen, teſte Bertholdo, iam agitatum erat etiam in concilio Placentino: quod quia Kalendis Martii hoc anno celebratum fuit; nuncios inde S. Ladislaus, ſi ducem illum in concilio delectum eſſe velimus, die paſchatis, ſeu 25. Martii, iam accipere potuit. (*a*)

CLXVI.

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 673—677.

CLXVI. Tam inſigni honoris praerogatiua, qua Chriſtiani principes ſanctum regem condecorandum duxerant, illum frui non potuiſſe, certum eſt. Prius enim expeditioni Bohemicae, quam cognati ſui principis cauſſa ſuſceperat, immortuus eſt, quam in Claromontano concilio ſacrum bellum magis promotum fuiſſet. *Prius autem*, inquit biographus S. Ladislai Corſendoncanus, (*a*) *quam de Francia et Alemannia ceterisque occidentalibus regionibus exercitus domini in Hungariam conuenirent, pius rex, vrgente neceſſitate, contra Bohemos in expeditionem profectus eſt.* Expeditionis huius cauſſam, quam biographus reticet, Turotzius ita refert: (*b*) *Miſitque nuncium ad Conradum, ducem Bohemorum, filium Ottonis; et petiit ab illo, ac praecepit, vt ſecum vltra mare ire pro iniuria IESV Chriſti properaret. Ille autem libenti animo promiſit. Interim cognatus Conradi ducis, nomine Sentapolug, noctis ſilentio Pragam veniens, ipſam ciuitatem cepit. Mane autem facto, ab epiſcopo Pragenſi in ſolio ducali ſedit; et a quibusdam honorifice ſuſceptus eſt. Conradus autem ad glorioſum regem, auunculum ſuum, venit; et, quae ei acciderant, narrauit, et regem in auxilium ſibi venire in propria perſona rogauit. Rex autem conſenſit ei ita, quod de ſeruitio DEI dux non remaneret. Et quia conſanguinitatis vinculo illi iungebatur; etiam memor actionis ducis, patris eius, qui ipſi in auxilium contra Salomonem venerat, promiſit, ſe in propria perſona eum adiuturum.* Atqui dux Otto, qui contra Salomonem opem tulit, non Bohemiae, ſed tantum partis Morauiae princeps erat. Turotzius igitur, quum cauſſam belli huius aſſignat, adiuncta male combinat. (*c*)

(*a*) Act. SS. Iun. T. V. p. 318. (*b*) Chron. P. II. cap. 59. (*c*) Hiſt. Crit. T. II. p. 677—681.

CLXVII. Quemadmodum Bohemici ſcriptores ingenue fatentur, apud Bohemiae principes hoc tempore tantum eſſe chaos et genealogiae perturbationem, vt nihil ad liquidum adduci poſſit; ita nos quoque fateri cogimur, in huius temporis hiſtoria Turotzium cum aliis patriae ſcriptoribus adeo ſibi male conſtare, vt actum ſit acturus, qui velit omnia, quae de Colomano ſcribit, conciliare. *Habebat*, inquit, (*a*) *rex ſecum fratres ſuos, filios Geiſae regis, Colomanum et Almum. — Voluit* Colomanum *Agrienſem epiſcopum facere; qui eadem nocte ſeceſſit in Poloniam.* Et tamen alibi ſcribit: (*b*) *Iſte Colomanus, ſicut quidam dicunt, fuit epiſcopus Varadienſis; ſed, quia fratres, quos habebat, morte ſunt praeuenti; ideo, ſummo pontifice cum eo diſpenſante, regnare compellitur.* Prius S. Ladislaus voluit eum tantum Agrienſem epiſcopum facere: quod priusquam fieret; ſeceſſit in Poloniam. Nunc comparet Varadinenſis epiſcopus, voto tamen a pontifice propterea ſolutus, *quia fratres, quos habebat, morte ſunt praeuenti.* Atqui ſupra tam Colomanum, quam Almum eiusdem Geiſae filium fecit; et Almum non tantum ſub Colomano, ſed etiam poſt eius obitum diu ſuperſtitem fuiſſe, ſaepius aſſerit. Vel igitur Almus Colomani frater non erat; vel ideo Colomanus, quod *fratres eius morte ſunt praeuenti*, voti religione ſolutus non erat. Et vero, quis facile ſibi perſuaſerit, S. Ladislaum eo tempore, quo Bohemicam expeditionem ſuſcepit, voluiſſe Colomanum Agrienſem epiſcopum facere? Quis eumdem Turotzium rite ſecum conciliauerit, qui hic quidem Almum Colomano regnum ceſſiſſe, alibi Colomanum *regnare compulſum* eſſe, ſcribit? Deinde tamen iis

(*a*) Chron. P. II. cap. 59. (*b*) Ibid. cap. 62.

iis vtrumque characteribus depingit, vt appareat, nec Almum vltro regnum ceſſiſſe, cui toties inhiauerit; neque Colomanum regnare compulſum eſſe, qui, quo coronae ſuae ſecuritati conſuleret, Almum et Belam oculis orbari iuſſerit. Hunc Almum non Geiſae, ſed Lamberti filium fuiſſe, teſtatur tam codex MS. cuius Lucius meminit, (*a*) quam apud Turotzium lemma capitis 64. Brunenſis editionis anni 1488. Nec illud veroſimiliter Turotzius narrat, a S. Ladislao, poſtquam Colomanus in Poloniam fugiſſet, Almo regnum deſtinatum fuiſſe; cur enim Colomanum, ſi hoc voluit, ex Polonia reuocandum cenſuit? (*b*)

CLXVIII. Poſtquam incredibilia haec Turotzius narraſſet; paucis S. Ladislai mortem ita deſcribit: (*c*) *Sanctitate igitur et gratia plenus, tranſiit ad conſortia angelorum, anno regni ſui XIX. et ſepultus eſt Varadini in monaſterio ſuo, anno dom. MXCV. tertio Kal. Auguſti, feria prima.* Melius diem obitus expreſſit chronicon Budenſe *quarto Kal. Aug.* cum quo feria I. concurrit anno 1095. quo S. Ladislaum obiiſſe, Sigebertus, annaliſta Saxo, Hildesheimenſis, Conradus Vrſpergenſis teſtantur. Recentiores tamen mortem eius differunt ad an. 1096. quo feria I. concurriſſet cum VI. Kal. Aug. ſeu 27. Iulii, qua nullus veterum obiiſſe S. Ladislaum perhibet. Ad amplectendum hunc annum Timonem induxit annus regni S. Ladislai XIX. quem is tribus menſibus et aliquot diebus inchoauit 29. Iulii 1095. Si S. Ladislaus obiiſſet anno 1096. non Colomano, ſed Ladislao regnante, contra veterum teſtimonia,

cruce

(*a*) De Dalm. et Cr. L. III. C. I. p. 169. (*b*) Hiſt. Crit. T. II. p. 681—698. (*c*) Chron. P. II. cap. 59.

cruce ſignati per Hungariam tranſiuiſſent; quum eos Conſtantinopolim veniſſe conſtet iam Kal. Aug. 1096. Biographus S. Ladislai iam tunc ingentem Hungarorum planctum fuiſſe teſtatur; (*a*) quum, in expeditione Bohemica, *repentina aegritudine correptus, viribus corporis coepit omnino deſtitui; conuocatisque regni principibus, indicauit, diſſolutionem ſui corporis imminere. Quo clamor*, inquit, *multitudinis, plangentium, lamentantium, et gementium mortem piiſſimi regis Ladislai, vsque in caelum extollitur. Sed pius rex, accepta euchariſtia corporis et ſanguinis D. N. I. C. — feliciter migrauit ad dominum.* Auctum vero poſt eius mortem Hungarorum luctum ita deſcribit: *Planxit autem eum vniuerſa multitudo Hungarorum, clerus et populus, ſimul in vnum diues et pauper, iuuenes et virgines, continuo trium annorum ſpatio, in veſtibus ſqualidis, choreas non duxerunt: omne genus muſicorum et delinitiua dulciſona vltra tempus ſiluerunt. Quum autem fideles ſui corpus ipſius Varadinum efferrent; prae labore et moerore defatigati, dormierunt. Quumque ſopore grauati, plus iuſto demorarentur; currus, in quo poſitum fuerat corpus eius, ſine ſubuectione et absque omni adminiculo cuiuslibet animalis, recto itinere Varadinum ducitur. Vigilantes autem et currum non inuenientes, contriſtati, coeperunt per loca diſcurrere; inueneruntque currum, verſus Varadinum vltro currentem, et ſanctum corpus in eo poſitum.* Mox alia biographus prodigia, quibus DEVS Ladislai ſanctitatem declarare voluit, refert; eidemque caeleſtes honores fuiſſe decretos anno 1192. perhibet. Reſarciendis illis damnis, quae Hungaria turbulentis ab obitu S. Stephani temporibus accepit, adeo

(*a*) Act. SS. Iun. T. V. p. 318.

adeo neceſſarius alter hic ſanctus rex erat, vt omne regnum in ruinam abiturum, ac externis internisque motibus conuellendum fuiſſet; niſi hunc tantum principem Hungaricae genti prouidum Numen indulſiſſet. Hic nempe, ſedatis primum domeſticis cum Salomone turbis, propulſatis deinde hoſtibus externis, Cumanis ſemel, iterum ac tertio profligatis, regni limites, quos a maioribus acceperat, non tantum firmos ſtabilesque praeſtitit; ſed etiam, adiectis mediterraneis Croatiae prouinciis auxit: remp. legibus ſaluberrimis excoluit: aliena rapiendi furandique licentiam, quae per inteſtina bella nimium inualuerat, ſeueriſſimis poenis repreſſit: religionem epiſcopatibus et coenobiis, vel excitatis, vel liberalius dotatis, communiuit: omnes auitae ſuperſtitionis reliquias e regno penitus proſcripſit: firmam cum vicina Germania, quae tunc variis motibus agitabatur, pacem coluit: bellum numquam, niſi coactus, ſuſcepit, ſemperque feliciter confecit. E paucis monumentis, quae triſte naufragium euaſerunt, ſub illo confectis, conſtat, fuiſſe metropolitam *Strigonienſem* Acham anno 1085. Stephanum 1093. *Batſienſem* antiſtitem Fabianum, *Veſprimienſem* Coſmam; *Quinqueeccleſienſem* Stephanum; *Colocenſem* Deſiderium anno 1093. primum *Zagrabienſem* Duhium; *palatinum* comitem Iulam anno 1085. (*a*)

CLXIX. Ex eo, quod Turotzius ſcribat, S. Ladislaum *in monaſterio ſuo* Varadini ſepultum eſſe; item (*b*) *conſtruxiſſe monaſterium in honorem virginis MARIAE, quem locum Varad nominauit*; quidam

(*a*) Hiſt. Crit. T. II. p. 698—708. (*b*) Chron. P. II. cap. 59.

dam euincere volunt, Varadinenſem epiſcopatum a S. Ladislao conditum eſſe. Sed enim nusquam Turotzius epiſcopatum per *monaſterium* intellexit. Immo hic auctor epiſcopatum Varadinenſem prius exſtitiſſe, quam S. Ladislaus regiam poteſtatem adeptus fuiſſet, iis verbis, quibus ter epiſcopi Varadinenſis ante Ladislai regnum meminit, (*a*) aperte docet. Quare, quum ait: *quem locum Várad nominauit;* tam parum ſibi conſtat, quam quum alias Vaciam a Geiſa conditam aſſeruit, ante cuius regnum ſaepius illam nominauit. Pelbarti quoque compilator, quum ita ſcripſit: (*b*) *Beatus Ladislaus monaſteria epiſcopalia duo conſtruxit, ſcilicet Varadinenſe et Albenſe, quae regia largitate dotauit,* non ipſum epiſcopatum, ſed aedem epiſcopalem vel collegium canonicorum intellexit; nullus enim adhuc Albenſem epiſcopatum a S. Ladislao conditum fuiſſe docuit. Quo ſenſu biographus etiam S. Ladislai Corſendoncanus in haec verba ſcripſit: (*c*) *Duos quoque epiſcopatus ordinauit et regia largitate locupletauit.* Ipſam etiam eccleſiam cathedralem, vt Petrus Quinqueeccleſiis, Geiſa Vacii, Giſela Veſprimii, Varadini S. Ladislaus erexiſſe videtur; vnde Mathias Coruinus illum *eius eccleſiae fundatorem* vocat. Verbötzius errat, quum *Colomanum primum epiſcopum Varadinenſem* appellat, vt iam vidimus. (*d*) Etſi vero, poſt conditum Zagrabienſem epiſcopatum, praecipue Varadinenſem ac Albenſem eccleſiam S. Ladislaus regia largitate locupletauerit; idem tamen biographus ibidem perhibet; *omnes eccleſias et monaſteria regalia, ſiue ab ipſo, ſiue a quocumque alio fun-*

(*a*) Ibid. Cap. XLIX. et LII. (*b*) Serm. I. de S. Lad. (*c*) Act. SS. Iun. T. V. p. 318. (*d*) Hiſt. Crit. T. II. p. 610—623.

ſundata, eleemoſynis eius fuiſſe locupletata. Vtinam ſi non dotatas, ad minus fundatas ab eodem eccleſias et monaſteria ſcriptor ille ieiunus recenſuiſſet! Ex his etiam praepoſituram Poſonienſem eſſe, Praius cenſet. (*a*) Praepoſituram etiam Budenſem ab illo perfectam ac fundis auctam fuiſſe, alias oſtendimus. (*b*) Auxit etiam bona montis Pannoniae; litteris regiis, a nobis alibi relatis. (*c*) Aſſeruit item iura coenobii Szaladienſis. (*d*) Condidit abbatiam S. Aegidii de Simigio; (*e*) tum abbatiam S. Michaelis de Bata. (*f*) Locupletauit abbatiam Petsvaradienſem, (*g*) et Kolosmonoſtorienſem. (*h*) Cum S. Stephano liberalitate certauit in eccleſiam Agrienſem. (*i*) Veſprimienſi prolixum diploma dedit anno 1082. (*k*) Plura nondum innotuerunt.

CLXX. S. Ladislaus, optime de ſacra profanaque rep. meritus, antequam laudatum diploma, quod eccleſiae Veſprimienſi datum fuiſſe diximus, in lucem emerſiſſet, a multis coelibem vitam duxiſſe credebatur. At, eo iam vulgato, quum haec illic verba ſancti regis legantur: *In praedio Merena, quod vxor noſtra conceſſit;* nullum porro dubium de hoc connubio ſupereſſe poteſt. Ex ea, praeter tres filias, filium quoque Colomanum, cui plerique Geiſam patrem tribuunt, ſuſtulit. Vt nos hanc ſententiam amplecteremur; perſuaſit vetuſtiſſimum monumentum, ad Thomae, Spalatenſis archidiaconi, hiſtoriae calcem his verbis expreſſum: (*l*) *Colomanus, filius Vladislaui, regis Vngariae, ſtans in regno lo-*

co

(*a*) Hier. P. I. p. 6. (*b*) Hiſt. Crit. P. II. p. 331. (*c*) Ibid. p. 642. (*d*) Ib. p. 565. (*e*) Ibid. p. 663. (*f*) Ap. Koll. T. II. p. 466. (*g*) Ibid. p. 666. (*h*) Ibid. p. 667. (*i*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 335. (*k*) Tom. II. p. 418. (*l*) Ap. Schwandt. T. III. p. 634.

co patris ſui. Magna vis ineſt huic teſtimonio, multo vetuſtiori, quam ipſe Thomas archidiaconus fuerit; qui tamen, natus anno 1200. non multum ſupra ſeculum a S. Ladislao, nec vno ſeculo diſtabat a Colomano. Quum igitur documentum illud, ab archidiacono tam vetuſto productum, ipſo vetuſtius, pro ſynchrono teſtimonio haberi debeat; eoque nullum antiquius, quo Colomanus Geiſae filius fuiſſe doceatur, adhuc productum ſit; veriſimilius eſt, Colomanum non Geiſa, ſed S. Ladislao patre natum eſſe. Nam Turotzii, tam male ſibi conſtantis, vt modo Colomanum et Almum Geiſae filios faciat; modo Colomani fratres morte praeuentos afferat, licet Almum ſuperſtitem agnoſcat, teſtimonium vetuſtiſſimo, quod laudauimus, monumento praeferri non poteſt. Certe Colomanus, ſi Geiſae filius erat, non frater Ladislaus, ex more gentis patri ſuccedere debuiſſet; quum a primo Hungarorum in hanc terram ingreſſu filii, ſi qui fuerant, patribus ſuccedere ſoliti fuerint, excepto Salomone, quo nondum nato, rex Andreas Belam fratrem regni heredem renunciauit. Vnde, hoc mortuo, Salomoni, tamquam legitimo heredi, regni habenae ſunt delatae, nec oblatas ſibi ſeu Geiſa, ſeu Ladislaus recipere, nec retinere, tamquam praeter fas vſurpatas, niſi coacti, voluerunt. Nouum ſententiae huic pondus addit ille quoque numus, in cuius antica parte *Ladlaus rex*, in poſtica *Calman rex* legitur. (*a*) Praeterea Colomanum S. Ladislai filium fuiſſe, monachus quoque Weingartenſis, cuius in genealogicis deſcriptionibus magna fides et auctoritas apud eruditos eſt, non obſcure nobis indicat; quum meminit (*b*) *Sophiae, ſororis regis*

(*a*) Diſſ. de S. Lad. p. 100. (*b*) Ap. Caniſ. Ed. Baſn. T. III. p. 583.

regis Hungariae Colomani; ſubditque: *Porro ſoror huius Sophiae regi Graecorum nupſit.* Hinc enim intelligimus, et Colomanum, et Sophiam, et Graecorum regis vxorem eiusdem parentis proles fuiſſe. Atqui Graecorum regis vxorem, Hungaris *Priſcam*, Graecis *Irenen* dictam, S. Ladislai filiam fuiſſe, tam Turotzius his verbis docet: (*a*) *Imperatrix Conſtantinopolitana, filia regis Ladislai, nomine Pyrisk, nunciauit regi Stephano;* quam Cinnamus, ſcriptor Graecus et ſynchronus, ita perhibet: (*b*) *Quippe iam vxorem duxerat Ioannes imperator Irenem, Vladislaui filiam.* Hunc vero Ladislaum Hungariae regem fuiſſe, Zonaras, itidem ſcriptor Graecus et coaeuus, teſtatur; quum de Ioanne, Graecorum imperatore, ſic loquitur: (*c*) *Cui iam adulto, ac pridem marito, ducta Hungarorum principis filia.* Sicut igitur haec Ioannis, Graecorum imperatoris, vxor, teſtimonio tam patriorum, quam Graecorum ſcriptorum, Ladislai, regis Hungariae, filia fuit; ita Colomanus, quem Weingartenſis eiusdem imperatricis fratrem facit, eiusdem S. Ladislai filius eſſe debuit. Idem Weingartenſis, qui Magnonis, Saxoniae ducis, vxorem *Sophiam, ſororem regis Hung. Colomani,* vocat, tertiam S. Ladislao filiam his verbis ibidem addit: *Aliam ſororem eius* (Sophiae) *Berchtam, quidam comes, ex clauſtro quodam ſanctimonialium abſtractam, duxit;* Quem Berchtae maritum alii Hartuicum, comitem de Boger, appellant. Sed de hac non ea, quae de Sophia, ſcriptorum aliorum teſtimonia produci poſſunt. (*d*)

§. XV.

(*a*) Chron. P. II. cap. 63. (*b*) Edit. Ven. p. 4. (*c*) Edit. Ven. p. 237. (*d*) Hiſt. Crit. T. II. p. 708—753.

§. XV.

COLOMANVS, REX IX.

Coepit A. C. 1095. deſiit A. C. 1114.

A. C. 1095. *Colom.* 1. *Ind.* 3. *P.* 25. *M.*

CLXXI.

Colomanum, dictum etiam Calmanum, Calimanum, Calomanum, Columanum, Columbanum, non Geiſae, ſed S. Ladislai filium fuiſſe, paullo prius oſtendimus. Eum noſtri ſcriptores adeo tetris coloribus depingunt, vt monſtro belluaeque ſimilior, quam homini, videri potuerit. *Erat*, inquit Turotzius, (*a*) *habitu corporis contemtibilis; ſed aſtutus et docilis; hiſpidus, piloſus, luſcus, gibboſus, claudus et blaeſus.* Ab atrociſſimis conuiciis, quibus praeclariſſimi principis laudes domeſtici ſcriptores obterunt, Cornideſius incomparabilem hunc regem vindicaturus, producit (*b*) *duorum ſacerdotum, qui, non tantum Colomano regnante, vixerunt vtrique; ſed et regem hunc, ingeniumque et mores eius optime cognitos habuerunt, — verba. Alter eſt Albricus, qui in corpore iuris patrii ad Seraphinum, archipraeſulem Strigonienſem, ſcribens*, „Chriſtianiſſi„mus, *inquit*, rex noſter, Colomanus, columbi„nae gratiae ſimplicitate, cum omni virtutum dis„cretione, praeditus. —" *Alter eſt Godofredus, eccleſiae Zobonienſis abbas, qui in inſtrumento anni* 1113. — *ita*: „Temporibus glorioſiſſimi Colomani „regis, quem DEVS inaeſtimabili temporalis et aeter-

„nae

(*a*) Chron. P. II. cap. 60. (*b*) Geneal. R. H. p. 103.

„ nae gloriae ſanctitatis gratia perfuderat. —" deinde hic abbas vocat illum *regem victorioſiſſimum, piiſſimum, plenum gratia.* — Calculum addunt externi, procul ab aſſentationis ſuſpicione poſiti, ſcriptores, e quibus Albertus Aquenſis vocat Colomanum *regem Chriſtianiſſimum.* Sed male putat Cornideſius, illum in ſanctorum numerum fuiſſe relatum, hoc Rogerii teſtimonio deceptus: *Quum Bela, R. H. inter principes Chriſtianos zelator catholicae fidei noſceretur, ad inſtar progenitorum ſuorum, Stephani, Emerici, Ladislai et Colomani regum, qui ſanctorum catalogo ſunt adſcripti.* Nec enim Rogerius quatuor illos, quos hic exemplo fuiſſe Belae ſcribit, eodem omnes titulo gauiſos fuiſſe cenſuit. Nec enim Emericus vel inter reges, vel inter Belae IV. progenitores cenſeri potuit. Sicut igitur Emerico quidpiam ex communibus illis axiomatibus defuit; ita Colomano communis ille ceteris titulus: *qui ſanctorum catalogo ſunt adſcripti*, deeſſe potuit. Vel certe dicendus eſt Rogerius confudiſſe Colomanum regem cum illo S. Colomano, cuius corpus in Hungariam S. Stephanus ex Auſtria transtulit, ac iterum remiſit. (*a*)

CLXXII. Huiusmodi rerum confuſiones in Turotzio plures occurrunt, vt, quum Almum Colomano regnum ceſſiſſe, his verbis perhibet: (*b*) *Beatus autem Ladislaus ſic ordinauit, vt poſt ipſum Almus regnaret: qui, ſincera ſimplicitate ductus, honorauit fratrem ſuum Colomanum, praeferendo ipſi coronam regni, tamquam cui iure primogeniturae videbatur*

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 1—12. (*b*) Chron. P. II. cap. 59.

batur competere. Haec, ſi de regno Hungariae ſumantur, admitti non poſſe, patet ex iis, quae ſub S. Ladislao diſſeruimus. At, ſi de regno Croatiae quis eadem accipere velit; nihil repugnat, quo minus admittantur. Iam enim alias ex vetuſto Iadrenſi monumento vidimus, S. Ladislaum Croatiae, quam Hungariae iuribus adiecerat, regem Almum conſtituiſſe; quem tamen duobus poſt annis non regem, ſed tantum ducem Gaufredus appellat. Quare, quum alioqui conſtet, non Almum, ſed Colomanum a morte S. Ladislai res Croaticas adminiſtraſſe; dici veroſimiliter poteſt, Almum Colomano Croatiam ceſſiſſe; Colomanum autem Almo, veteri more, ducatum contuliſſe, quod idem Turotzius his verbis innuit: (*a*) *Et duci Almus ducatum plenarie conceſſit.* Nec defuit Almo iuſta cauſſa Croatiam Colomano regendam committendi. Nam a morte S. Ladislai Petrus quidam, opportunam occaſionem adeſſe ratus excutiendi iugi Hungarici, titulo regis vſurpato, ditionem Hungaricam inuaſit. Non ea fuit Almi potentia, qua Petro reſiſtere, deficientes ad officium reuocare, ius denique ſuum indemne praeſtare valuiſſet. Quum igitur vidiſſet, opus eſſe Hungaricis viribus ad amiſſum ius ſeu vindicandum, ſeu conſeruandum; prouido ſane conſilio ſuum hoc omne ius in Colomanum, qui maioribus viribus ad exſtinguendam Petri tyrannidem pollebat, transtulit, a quo pacatum ipſe ducatum obtinuit. Ita Turotzius, quae de regni ceſſione generatim habet, ex ſe commentus non fuit; ſed, vt in aliis etiam obſeruauimus, adiunctis quibusdam male conſarcinatis confudit. (*b*)

A.

(*a*) Ibid. cap. 60. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 12—14.

A. C. 1096. *Colom.* 1. *Ind.* 4. *P.* 13. *A.*

CLXXIII. Colomanus, Croatiae regno potitus, ad Petrum tyrannum indidem expellendum, expeditionem ſuſcepit, eoque caeſo, ditionem ſuam ad maritimas vsque ciuitates extendit. *Iſte*, ſcribit Turotzius, (*a*) *Dalmatiae regnum, occiſo ſuo rege, Petro nominato, in montibus Petergozdia, Hungariae adiunxit.* Mons ille *Petrovagora*, quod Petrus illic caeſus ſit, hodie dicitur. Poſtquam Colomanus, exſtincta Petri tyrannide, Croatiam mediterraneam, a patre ſubactam, Hungarico iuri rurſum aſſeruiſſet; eodem armorum impetu maritimas quoque ciuitates in ſuam ditionem redegit. Belgradum certe Hungarici iuris anno ſequenti fuiſſe, patebit ex ſponſa Colomani regis illac traducta. Nullum vero tempus, quo Belgradum Hungaricae ditionis euaſerit, opportunius occurrit, quam iſtud, quo Petrus, collatis ſignis, victus ac interfectus, temeritatis ſuae poenas dedit, Hungarisque reliquam etiam Croatiam ac Dalmatiam, quae nondum a S. Ladislao ſubacta fuerat, ſibi vindicandi viam aperuit. Vt porro Colomanus aſſertam ſacrae coronae prouinciam etiam maritimam firmius in ſua poteſtate retineret; Venetorum, Adriatico mari praepotentium, amicitiam ſibi neceſſariam eſſe ratus, cum illis foedus contra Normanos, maritimas tam Croatarum, quam Venetorum vrbes incurſare ſolitos, iniuit. Impoſitos igitur Venetae claſſi ſuos milites in Apuliam transmiſit, qui rem adeo proſpere geſſerunt, vt Brunduſium et Monopolim primo ſtatim impetu ceperint, omnemque regionem illam depopulati, praedam ingentem inde reuexerint. *Hoc*

(*a*) Chron. P. II. cap. 62.

tempore, ſcribit Dandulus poſt electionem Michaelis Vitalis anno 1096. (*a*) *Colomanus, rex Hungariae, miſit exercitum in Dalmatiam, et occidi fecit regem Petrum, et per legatos ſuos cum Venetorum duce foedus iniit contra Normanos; et pariter exercitum in Apuliam ad eorum damna mittere ſtatuit. Parata autem claſſe per Venetos, regius apparatus, in Apuliam nauigans, Brunduſium et Monopolim obtinet, et tribus menſibus Apuliam vaſtant, et redeunt.* (*b*)

CLXXIV. Quum Colomanus Croatiam ab hoſtium incurſionibus defendit; maius ipſi Hungariae diſcrimen a cruce ſignatis incubuit. Reuerſus e Palaeſtina Petrus eremita, poſtquam calamitates et ſuſpiria terrae ſanctae, ſub immani Mahometanorum iugo gementis, occidentalibus populis expoſuiſſet; Vrbano II. Chriſtianos ad expeditionem ſacram exhortante, totus occidens ad Palaeſtinam, Chriſti veſtigiis ſignatam, e poteſtate Saracenorum eripiendam, commouebatur. Quia vero Chriſtianam hanc militiam amplexi, cruces benedictas, humeris, vel pectoribus, vel pileis aſſutas, pro teſſera geſtabant; cruciatorum, vel cruce ſignatorum nomine paſſim veniebant. Quum idoneus tantae multitudini dux defuiſſet; mortuo S. Ladislao, Colomanus ad id muneris deſtinabatur. *Colomanus autem rex*, inquit Turotzius, (*c*) *hoc audiens, non ſolum non ire cum eis promiſit; ſed etiam per terram ſuam, viam illis minime conceſſit.* Primum illud adeo reprehendendum non fuit, vt laudari potius Colomanus mereatur, quod regnum vix aditum deſtituere noluerit; ne, dum aliena curaret, ſua negligeret. Alterum, quod

(*a*) Ap. Murat. T. XII. p. 259. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 14—19. (*c*) Chron. P. II. cap. 60.

quod in eo Turotzius carpit, a veritate prorſus alienum eſſe, ſcriptores exteri docent, e quibus Bernardus Theſaurarius primum et alterum agmen a Colomano benigne ſuſceptum fuiſſe, teſtatur. (*a*) Non igitur vere Turotzius ſcripſit, Colomanum cruce ſignatis viam per terram ſuam minime conceſſiſſe; quum et Gualterum *honoranter* exceperit, et Petrum eremitam *pacifice* per Hungariam transmiſerit. (*b*) Quicquid autem Hungari quidam in 16. cruce ſignatos, ad Zemlinum ſpoliatos, deliquerunt; id citra Colomani conſcientiam et culpam patratum eſt. (*c*) Poſtquam hoc ſcelus Zemlinienſi praefecto contra Gualterianum agmen impune ceſſit; maius flagitium aduerſus Petrum eremitam machinatus eſt, inita cum Belgradi praefecto ſocietate ſceleris ad perdendas copias, quas Petrus in Palaeſtinam ductabat. Sed hic, verſis contra Hungaros armis et 4000. eorum occiſis, Zemlinum occupauit. (*d*) Poſt eas iniurias mirum non eſt, Colomanum, qui prius cruce ſignatos benigne ſuſceperat, deinde ceteris, qui conſequebantur, difficiliorem ſe praebuiſſe. Nondum tamen aditum in Hungariam 15. millibus, quae poſt Petrum Godeſchalcus ducebat, intercluſit. Poſtquam tamen ex his plures, vt chronicon Hieroſolymitanum refert, (*e*) *modum potandi exceſſiſſent; pacem indictam violaſſent; Hungaris vinum, hordeum et cetera neceſſaria paullatim abſtuliſſent; ad vltimum oues et boues per agros rapientes, occidiſſent; reſiſtentes quoque et excutere volentes peremiſſent; ceteraque plurima flagitia perpetraſſent;* ac denique *iuuenem quemdam Hungarum — pro viliſſima contentione*

(*a*) Murat. T. VII. col. 671 (*b*) Annal. Saxo ad an. 196.
(*c*) Chron. Hieroſ. L. I. C. VII. (*d*) Ibid. cap. VIII.
(*e*) Lib. I. cap. XXIV.

tione palo per ſecreta naturae transfixiſſent; Colomanus, tantis iniuriis prouocatus, arma corripuit, caeſisque plurimis, ceteros in fugam egit; neque deinceps illis, quos Emico ducentis millibus plures deducebat, tranſitum conceſſit. Hi tamen, multitudine ſua freti, vi tranſitum moliebantur, oppugnatoque per ſex hebdomades Ouarino, litigabant inter ſe, *quis illorum ſub nomine regis Pannoniarum potiretur terris*, vt annaliſta Saxo perhibet. (*a*) *Iam muris interruptis; iam fugientibus oppidanis; iamque indigenarum exercitu vaſtante propria flammis; miro DEI omnipotentis nutu, victor peregrinorum exercitus terga nihilominus vertit; relictisque ſupellectilibus, nil quisque, praeter miſeram animam, emolumenti reportauit.* Immo complures animam illic et vitam poſuerunt. Nam, vt chronicon Hieroſolymitanum narrat, (*b*) *pedeſtris vulgi vtriusque ſexus tanta facta eſt occiſio, vt aquae Danubii et Lintax* (Leitae) *in ſanguineas mutarentur vndas. — Tanta fugitiuorum ſubmerſio facta eſt, vt tam ſpatioſi fluminis aquae prae tot millium corporibus per aliquantum tempus videri non poſſent.* Ita Hungari cladem, ceruicibus ſuis impendentem, in cruce ſignatos auerterunt. (*c*)

CLXXV. Quicquid adhuc ſiniſtri peregrinis iſtis per Hungariae regnum accidit; id exteri ſcriptores non Colomani, ſed ipſorum cruce ſignatorum culpa factum agnoſcunt. Certe vitio dari Colomano debuiſſet; ſi ſuos ab illis impune vexari permiſiſſet. Non alio fine, quam vt ſuos indemnes praeſtaret, eum arma diſtrinxiſſe, tam ex iis, quae iam retulimus,

(*a*) Ad annum 1096. (*b*) Libr. I. Cap. XXX. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 19—42.

mus, quam ex itinere Godefridi, ducis Lotaringiae, non impedito patet. Quum enim hic ſuum exercitum ad diſciplinam militarem melius adſtrinxiſſet, ſuumque fratrem Balduinum, Flandriae comitem, obſidem obtuliſſet; *vniuerſus exercitus, ex iuſſu et conceſſu regis, per pontem trans paludem intromiſſus eſt*, vt idem chronicon refert; (*a*) *caſtris vero poſitis, et vniuerſis hoſpitio ſedatis, Godefridus dux praecones per ſingulas domos ac tentoria acclamare conſtituit*: „Sub iudicio mortis ne quicquam con„tingerent, aut violenter in regno Hungariae ra„perent; et nullam ſeditionem mouerent; ſed omnia „aequo pretio mutuarentur.“ *Similiter et rex per vniuerſum regnum acclamari praecepit*: „vt omnem „copiam rerum neceſſariarum reperiret exercitus in „pane, vino, frumento, hordeo; in beſtiis agri „et volatilibus caeli: *iuſſumque*, ſub iudicio vitae, „ne iniuſta venditione Hungari grauarent exerci„tum aut conturbarent; ſed potius omnia venalia „illis alleuiarent.“ *Sic et ſic per ſingulos dies in ſilentio et pace, in menſura aequa et iuſta venditione, dux et populus regnum Hungariae pertranſiens, ad Drowa fl. peruenerunt.* Ex his apparet, quid de confuſa Turotzii narratione ſentiendum ſit, qui, quae pluribus agminibus euenerant, vni dumtaxat attribuit. (*b*)

A. C. 1097. Col. 2. Ind. 5. P. 5. A.

CLXXVI. Idem Turotzius, poſt transmiſſas cruce ſignatorum copias, incipit narrare diſſidia, quae Colomanum inter ac Almum maleuoli quidam excitauerant.

(*a*) Libr. II. Cap. VI. p. 22. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 42—53.

tauerant. At pacem inter cognatos principes adhuc viguiſſe, patet ex iis, quae hoc anno nuptiarum occaſione facta ſunt. Poſtquam enim Colomanus pacem regno conciliaſſet; ad ineundum cum Buſilla, Rogerii Siculi filia, matrimonium animum adiecit, ſuumque *ducem, nomine Aliuum*, vt Gaufredus Malaterra loquitur, (*a*) ſeu Almum, ſponſorem eo deſtinauit. *Anno itaque incarnationis MXCVII. apparatis, quae neceſſaria erant, menſe Maio, cum* 300. *militibus, — velis vento commiſſis, proſpera aura flante, per aequora feruntur; vsque dum in portum Albae, qui iuris regis Vngarorum eſt, impune applicant. Hic Vincurius, comes Belligratae, miſſus cum* 5000. *armatorum, obuius fuit, eamque cum ſuis, qui eum ea venerant, decenter excipiens, vsque ad regem perduxit.* Ex hoc ſcriptoris ſynchroni teſtimonio conſtat, iam hoc anno Belgradum, ad mare poſitum, Hungarici iuris fuiſſe, quod alias Colomanus obtinere vix potuit, niſi quum anno ſuperiore Petrum deuicit. (*b*)

A. C. 1098. *Col.* 3. *Ind.* 6. *P.* 28. *M.*

CLXXVII. Colomanum infeliciter in Ruſſia bellum geſſiſſe, tam Polonici, quam Hungarici ſcriptores aſſerunt. Polonici tamen illud ante, Hungarici poſt obitum S. Ladislai collocant. Cauſſam expeditionis, quam noſtri ſilentio praetereunt, Poloni hanc fuiſſe perhibent, quod, exortis inter Ruſſiae duces diſcordiis, Suantopelkus, princeps Kiouienſis, Iaroslaum filium ad Colomanum miſerit, vt auxilia contra Wladimirum, ducem Wladimirienſem, implo-

(*a*) Ap. Murat. T. V. p. 599. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 55 —59.

imploraret. *Colomanus autem*, inquit Dlugoſſus, (*a*) *Vngariae dux*, — *venit cum* 8000. *pugnatorum*, *duos epiſcopos habens ſecum*, *et caſtris ad flumen Wiar poſitis*; *Premislienſe caſtrum*, *in quod ſe Wladimir receperat*, *et expugnare*, *et obſidere coepit*. In eamdem ſententiam Michouius, qui Wladimiri ſeu Wolodori coniugem ad pedes Colomani prouolutam et ab hoc indigne reiectam ſcribit. Eam Turotzius *Lancam* vocat, quae *gemens*, inquit, (*b*) *reuerſa eſt retrorſum*; *et rogabat omnipotentis DEI auxilium. Plurimi autem Cuni cum Mircode cum precibus venerant in auxilium Ruthenorum*; *qui*, *de nocte conſurgentes*, *ſummo mane percuſſerunt caſtra regis*; *et vsque ad interemtionem diſſipauerunt ea crudeliter. Nobiles autem Hungariae communierunt regem circumquaque*; *fueruntque regi pro muro inexpugnabili. Cuni vero*, *perſequentes comitem Euzem*, *de genere Almaſi*, *virum fortem et alacrem*, *interfecerunt eum*, *et omnes*, *qui cum eo erant*; *ſimiliter et epiſcopos Cupan et Laurentium*, *multosque alios bellatores fortes ſagittarum transfixionibus ceciderunt*. — — *Tunc Iula comes*, *in pedibus vulneratus*, *euaſit*; *de quo vulnere in Hungaria mortuus eſt*. — Omnis haec ſtrages, teſte Dlugoſſo, quatuor millium Hungarorum iactura ſtetit. Si, quod ille perhibet, haec ante mortem S. Ladislai geſta ſunt; dici poteſt, Colomanum, poſt eam cladem in Poloniam profectum, inde per legatos a S. Ladislao morituro reuocatum eſſe. Chronicon vetuſtum, duorum epiſcoporum, a Turotzio laudatorum, obitum ad annum 1100. ita figit: (*c*) *MC. Cupanus epiſcopus interficitur a Chu-*

(*a*) Ad annum 1094. L. IV. col. 328. (*b*) Chron. P. II. cap. 60. (*c*) Ap. Koll. H. Ep. Quinq. T. I. p. 405.

Chunis; et Laurentius epiſcopus obiit. Sed iſtud quoque ſaepius in chronologiam peccat. (*a*)

A. C. 1100. *Col.* 5. *Ind.* 8. *P.* 1. *A.*

CLXXVIII. Colomanus, per inopinam Cunorum inuaſionem in Ruſſia caeſus, pacis poſtea ſtudiis intentus, comitia Hungariae praeſulibus et proceribus indixit, ibique leges, vniuerſae genti ſalutares, ex ſacrorum profanorumque magiſtratuum conſenſu pertulit. Albricus ille, quem Seraphinus a ſacris domeſticis miniſtrum habuit, cauſſas editarum a Colomano harum conſtitutionum in praefatione producit, ipſumque regem, iam tunc iniquis quorumdam obtrectationibus ob nouas leges conſtitutas obnoxium, et egregie defendit, et eximiis laudibus extollit. Primus porro decretorum liber in 84. capita diſtributus eſt, hoc ordine: Cap. I. *De dote cuiuslibet eccleſiae, per B. regem Stephanum diſpoſita*, non turbanda. II. *De ſynodo, in vnoquoque epiſcopatu comitibus et magiſtratibus celebranda.* III. *De alienigenis preſbyteris, ſine litteris commendaticiis aduenientibus.* IV. *Quod nullus aduena, ſine fideiuſſore, recipiatur.* V. *De citationibus preſbyterorum.* VI. *De citationibus preſbyterorum et laicorum contra ſeſe.* VII. *De cauſſis comitum, in ſynodo terminandis.* VIII. *De cauſſis duorum abbatum, in ſynodo litigantium.* IX. *De cauſſis miniſtrorum regis vel ducis et capellanorum, in ſynodo iudicandis.* X. *De contumacia iudicum, ad ſynodum venire nolentium.* XI. *De contumacia miniſtrorum regis et ducis.* XII. *De iudicibus miniſtrorum regis et ducis.* XIII. *De facultate comitum diſcutiendi cauſſas in ſynodo.*

(*a*) Hiſt. Cr. T. II. p. 668—673.

nodo. XIV. *Quod nullus ſecularis iudex clerico det ſigillum.* XV. *Reuocatio omnium donationum, praeter donationem S. Stephani.* XVI. *Ablatio piſcinarum, monaſteriis vel eccleſiis datarum.* XVII. *Quod donationes vinearum, manſionum et terrarum in ſuo vigore permaneant.* XVIII. *Quod ſiluae, datae eccleſiis, non auferantur.* XIX. *De terris occupatis colonorum eiectorum.* XX. *De ſucceſſionibus poſſeſſionum, collatarum a regibus.* XXI. *De hereditatibus emticiis, quemlibet heredem concernentibus.* XXII. *De iudicio ferri et aquae, in quibus locis fieri poſſit.* XXIII. *De iudice iniuſto, cum ſigillo et ſine ſigillo citando.* XXIV. *De iuſto iudicio epiſcoporum ac comitum, et negligentia citatorum.* XXV. *De decimis tributorum et vectigalium.* XXVI. *De teſtibus confiteri debentibus ante atteſtationem.* XXVII. *De falſis teſtibus deinceps non admittendis.* XXVIII. *De priſtaldo iudicis verberato.* XXIX. *De idoneitate priſtaldorum, ſicut et teſtium.* XXX. *De poena priſtaldi, iniquam exſequutionem facientis.* XXXI. *De poena iudicis occaſione priſtaldi ſequuta.* XXXII. *De occupatoribus terrarum et poena eorumdem.* XXXIII. *De duplici tributo mercatorum.* XXXIV. *De diſtributiuis propriarum rerum, in foro emtarum.* XXXV. *De ſolutione hoſpitis accolae.* XXXVI. *De equo, donando regi, in quolibet comitatu; item de expenſis nunciorum, per palatinum comitem dandis.* XXXVII. *De iudicio megae regis.* XXXVIII. *De ciue, a rege dimiſſo.* XXXIX. *De ciuibus fugitiuis, absque licentia regis non retinendis.* XL. *Quod olim loricati, ſecundum exigentiam prouentuum, diſponebantur.* XLI. *De ſeruis diuagis, medio capite tondendis.* XLII. *De poenis vagos absque licentia regis tenentibus.* XLIII. *De redemtione vagi ab eo, qui eum apprehendit.* XLIV. *De poena vendentium vagos ſeruos, et etiam*

emen-

ementium. XLV. *De exemtione liberorum a ſolutione octo denariorum.* XLVI. *De accuſatione Iſmaelitarum, ſecundum ſectas ſuas viuentium.* XLVII. *De eccleſiis Iſmaelitarum, et de dotibus earumdem.* XLVIII. *De matrimonio Iſmaelitarum.* XLIX. *De eſu carnium porcinarum per Iſmaelitas.* L. *De poenis homicidas retinentium, nec non parricidis et aliis.* LI. *De furibus, quarta die et modo ad iudicium ſtatuendis.* LII. *De poena cuiuspiam, aliquem iniuſte capientis.* LIII. *De poena capientis, ſi fur falſus euaſerit.* LIV. *De furto 20. denariorum.* LV. *De poena capientium aliquem ex ſola ſuſpicione.* LVI. *De furis ſupplicio, vxore et filiis furum.* LVII. *De ſtrigis.* LVIII. *De mulieribus, partum ſuum necantibus.* LIX. *De raptu mulierum.* LX. *De maleficis.* LXI. *De adulteris.* LXII. *De amiſſione equi in villa, vbi rex fuerit.* LXIII. *De amiſſione equorum itinerantium.* LXIV. *De tempore diſcuſſionis querimoniarum.* LXV. *De comitibus et militibus, poteſtatem eccleſiae ſibi vendicantibus.* LXVI. *De perſonis eccleſiaſticis, decimas perſoluentibus.* LXVII. *De bigamis preſbyteris.* LXVIII. *De celebrationibus miſſarum.* LXIX. *De reliquiis ſanctorum.* LXX. *De veſtibus clericorum.* LXXI. *De quatuor temporibus.* LXXII. *De officio S. Trinitatis.* LXXIII. *De ſepulturis Chriſtianorum.* LXXIV. *De Iudaeis, Chriſtianum mancipium ementibus.* LXXV. *De agricultura Iudaeorum, poſſeſſionibus et manſionibus eorumdem.* LXXVI. *De poena incolarum, alienigenis equum Hungaricum ementium.* LXXVII. *Quales ſerui poſſunt vendi extra Hungariam, et ſimiliter qualia animalia.* LXXVIII. *De tributis, inter regem et comitem diuidendis.* LXXIX. *De pecuniis, per comites in vnoquoque centuriatu colligendis et Strigonium importandis.* LXXX. *De liberis hoſpitibus Slauis, in terris* *um laborantibus.* LXXXI. *De ſolutione caſtellanorum.*

norum. LXXXII. *Quod nemo ſine ſigillis tributariorum extra Hungariam ire audeat.* LXXXIII. *De poena falſorum teſtimoniorum.* LXXXIV. *De furibus, ad eccleſiam fugientibus.* (*a*)

CLXXIX. Ex decreti huius capite 22. quod ita habet: *Iudicium ferri et aquae in aliqua eccleſia fieri interdicimus, niſi in ſede epiſcopi et maioribus praepoſituris, vt Poſonii et Nitriae;* certum eſt, epiſcopatum Nitrienſem hoc tempore non exſtitiſſe; quum ab epiſcopali ſede Nitrienſis praepoſitura diſtinguatur. Certe, Carthuitio teſte, S. Stephanus *omnibus epiſcopalibus eccleſiis ampliſſimam aſſignauit dioeceſim;* qualem non habuit Nitrienſis epiſcopatus, ſolo comitatu Trenchinienſi, minimaque particula comitatus Nitrienſis circumſcriptus. Nec alia cauſſa fuit, cur capitulum Nitrienſe nullum ad proxima haec tempora praepoſitum habuerit, quam quod praepoſitura, cuius in hac lege mentio fit, in epiſcopen euecta fuerit. Aduerſarii quidem non negant, tempore Colomani Nitriae tantum praepoſituram fuiſſe; cenſent tamen, epiſcopatum, a S. Stephano prius illic erectum, iniquitate bellorum, agrum Nitrienſem vaſtantium, euerſum eſſe. Sed enim hoſtes non minus aliorum epiſcopatuum, quam Nitrienſem agrum, euaſtarunt; illi tamen neque primis duobus Chriſtianae Hungariae ſeculis, neque ſeculo XIII. poſt cladem Tartaricam, neque ſeculo XVI. poſt cladem Mohatſianam, licet Turcae ſedes ipſas epiſcopales occupauerint, deſierunt. Vnde veroſimile non apparet, epiſcopatum Nitrienſem, ſiquis a S. Stephano conditus fuiſſet, tam cito deſiturum fuiſſe; licet omnes eius fundi, quod tamen factum non eſt, euerſi

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 63—121.

euerſi fuiſſent. Et quid? adeone negligentem et incurium fuiſſe S. Ladislaum exiſtimabimus, vt, qui nouam epiſcopalem cathedram excitauit; qui veteres ampliſſimis largitionibus locupletauit, qui ſua cuique iura reddidit, ac cum inſigni laude iuſtitiam adminiſtrauit, fundos, quos eccleſiae Nitrienſi S. Stephanus addixiſſe praetexitur, iniquitate temporum auulſos, pro regia poteſtate non reſtituerit? Non igitur vlla veroſimilis ratio proferri poteſt; cur epiſcopatus Nitrienſis, ſi S. Stephanum auctorem habuit, ad regis vsque Colomani tempora reſtauratus non fuerit. (*a*)

A. C. 1101. *Col.* 6. *Ind.* 9. *P.* 21. *A.*

CLXXX. Peterſius, Colomanum plures conuentus inter annos 1096. et 1104. habuiſſe, cenſet, (*b*) ac Albricum *decreta, variis regni conuentibus probata, in duos libros contraxiſſe.* Mihi tamen conſtitutiones, ab Albrico collectae, duorum tantum comitiorum opus fuiſſe videntur. Nec enim alia de cauſſa tam inaequalem vtriusque libri partitionem Albricus erat facturus, vt primus 84. ſecundus 15. dumtaxat capitibus definiretur; niſi pro ratione comitiorum libros quoque decretorum diſtinguere voluiſſet. Quum autem nusquam annus natalis alterius libri decretorum expreſſus habeatur; primo, cuius epocham codex iuris patrii ſtatuit annum 1100. libuit iſtum ſubiungere. Nam annis ſequentibus 1102. et 1103. Colomanus Croaticis Dalmaticisque rebus ita diſtinebatur, vt iis illum comitia celebraſſe, credibile non ſit. Nec vltra differri legum natales poſſe, patet ex obitu Seraphini, qui con-

(*a*) Ibid. p. 78—89. (*b*) Concil. P. I. p. 40.

contigit anno 1104. ante quem Albricus hanc decretorum collectionem illi nuncupauit. En ipſos 15. capitum titulos: I. *De Iudaeis.* II. *De mutuis Chriſtianorum et Iudaeorum.* III. *De emtionibus et venditionibus Chriſtianorum et Iudaeorum.* IV. *De degradatione bigamorum.* V. *De decimis populorum et ſeruorum denariis.* VI. *De notis infidelitatis.* VII. *De mulieribus fugientibus a viris ſuis.* VIII. *De mulieribus adulteris.* IX. *Bigami preſbyteri beneficiis priuentur.* X. *De ſeruitio coniugatorum preſbyterorum.* His duabus legibus ſacerdotum caelibatus praecipitur, dum epiſcopi prohibentur vllum ad ſacros ordines promouere; niſi prius continentiam voueat; nec permittitur etiam coniugatus altari porro deſeruire; niſi prius vxor conſentiat et ipſa quoque continentiam voueat. XI. *Vt nullus laicus poteſtatem habeat eccleſiae.* XII. *De clericis concubinariis.* XIII. *De venditionibus in diebus feſtis.* XIV. *De non celebrantibus feſtiuitates.* XV. *De deſponſatione coniugali, in facie eccleſiae fienda.* Hac lege matrimonia clamdeſtina iam ante concilium Tridentinum in Hungaria prohibebantur. Hoc eodem anno Colomanus gemellos ex Buſilla ſuſtulit. *Rex autem*, inquit Turotzius, (*a*) *de prima vxore genuit Ladislaum et Stephanum anno dom. MCI.* Hic patri poſtea ſucceſſit; ante patrem ille deceſſit. Hoc item anno Colomanus Wilhelmum, comitem Pictauienſium, et Welfonem, Bauarorum ducem, cum 160. millibus cruce ſignatorum per Hungariam pacifice tranſmiſit. (*b*)

A.

(*a*) Chron. P. II. cap. 60. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 128 —137.

A. C. 1102. *Col.* 7. *Ind.* 10. *P.* 6. *A.*

CLXXXI. Commodę Colomanus, perlatis legibus optimis, res Hungaricas compoſuit; quum alio curas vireſque ſuas conuertere coactus, non minus proſpere, quam prudenter Croatas ad fidem reuocauit. Plerique hanc primam Colomani regis in Croatiam expeditionem fuiſſe, putant. Sed, ſi verum eſt, quod archidiaconus tradit, (*a*) Colomanum *obtinuiſſe ceteram partem Sclauoniae, quae a Ladislao fuit praetermiſſa*; verum etiam erit, illam expeditionem, qua Colomanus praetermiſſam a S. Ladislao Sclauoniae ſeu Croatiae partem obtinuerat, ante hunc annum ſuſceptam fuiſſe. Nec enim aliam Croatiae partem a S. Ladislao praetermiſſam intelligere poſſumus, quam maritimam; quam tamen Hungarici iuris fuiſſe iam anno 1097. ex Gaufredo, ſcriptore ſynchrono, vidimus. Prius igitur Colomanus expeditionem in Croatiam ſuſcipere debuit, qua praetermiſſam illam partem, in qua Belgradum erat, ad ſacram Hungariae coronam adiecerit. Recedente primum Colomano, videntur eae partes iterum defeçiſſe, ſoloque terrore Hungarorum appropinquantium ad officium rediuiſſe. Quum primam in Croatiam expeditionem Colomanus ſuſcepit; vim illum aduerſus Petrum adhibuiſſe, vidimus: quum alteram; armis nondum illatis, deditionem Croatae, ſiue qui defecerant, ſiue qui Hungaris antea ſe non ſubiecerant, ſub certis conditionibus fecerunt. Antiquiſſimas has deditionis tabulas Thomas archidiaconus conſeruauit, ac ad nos hoc exemplo transmiſit: (*b*) *Colomanus, filius Vladislaui, regis Vngariae, ſtans in regno loco patris ſui; et quia multa*

ta

(*a*) Hiſt. Salon. Cap. XVII. (*b*) Ap. Schwandtn. T. III. p. 634.

ta ſtrenuitate vigebat; propoſuit totam Chroatiam vsque ad mare Dalmaticum ſub ſuo dominio ſubiugare. Venit cum ſuo exercitu vsque ad flumen Draue; Crouates vero, audientes de aduentu regis, congregauerunt exercitum ſuum, et praeparauerunt ſe ad pugnandum. Rex vero, audita congregatione ipſorum, miſit ſuos nuncios, volens ipſos gratioſe tractare, et pacta cum eisdem, vt voluerint, ordinare. Croates vero, audita legatione D. regis, inito conſilio, omnes inſimul acceptauerunt, et miſerunt 12. *nobiles ſapientiores de* 12. *tribubus Crouatiae. — Qui venientes ad D. regem, ei debitam reuerentiam exhibuerunt. D. vero rex ad oſculum pacis eos recipiens et honorifice tractans, ad talem concordiam deuenerunt:* „quod omnes praedicti teneant „ ſuum pacifice et quiete: et quod non teneantur „ aliqua praedictarum generationum, nec eorum „ homines regiae maieſtati ſoluere cenſum; niſi tantum teneantur D. regi, quando aliqui inuaderent „ ſua confinia regalia: tunc ſi D. rex mittet pro „ ipſis; tunc ire debeant ad minus cum 10. armigeris equitum de qualibet generatione praenominatorum ſuis ſumtibus et expenſis vsque ad flumen „ Draue: inde verſus Vngariam ad expenſas D. regis; vsquequo exercitus durauerit, debeant permanere." *Et ſic exſtitit ordinatum de anno noſtrae redemtionis MCII.* Vetus hoc ſynchronumque monumentum docet, Colomanum et S. Ladislai filium fuiſſe, et Croatiam hoc anno vel occupaſſe, vel recuperaſſe. (*a*)

CLXXXII. Colomanus, Croatia tota iam potitus, ad Dalmatiam quoque, quae, quod Croaticis regi-

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 137—141.

regibus antea paruerit, eidem et nunc principi ſubiicienda videbatur, ſibi vindicandam animum adiecit. *Tunc*, inquit archidiaconus, (*a*) *ad Spalatenſem ciuitatem primo acceſſit, petens pacifice*: „ vt „ ſua ſe ſponte dominatui eius ſubiicerent; nec an„ te permitterent deſtrui ſe et ſua." *At vero Spalatenſes, obfirmatis bene portis, per murorum circuitum cum armis diffuſi, non acquieſcebant regi, metuentes dominium gentis ignotae et extraneae experiri.* Damnis tandem ſuis, vaſtantibus agros Hungaris, adacti, *miſerunt Creſcentium archiepiſcopum ad regem Colomanum, pacem poſtulantes ab eo: quem ille benigne ſuſcipiens, annuit omnibus petitionibus, quas Spalatenſes fecerant, pro pacis foedere componendo. Facta igitur conſcriptione omnium, quae hinc inde fuerant ex beneplacito ſtabilita, iurauit rex cum ſuis principibus, omnia firmiter obſeruare. Poſtera vero die iurauerunt Spalatenſes:"* — Vt Colomano re„ gi et eius poſteris ac regno Vngariae ſubiecti et „ fideles omni tempore permanerent." *Tunc rex, ciuitatem ingreſſus, valde honorifice a clero et populo ſuſceptus eſt; et ea die procuratione affluenter a communi ſuſcepta, confectisque ac traditis immunitatis priuilegiis, profectus eſt. Inde autem pertranſiens venit Tragurium, et deinde Iaderam, a quibus ciuitatibus ſimili exemplo ſuſceptus, fecit eis libertatis priuilegium.* Vix eſt dubium, Thomam archidiaconum ea priuilegia libertatis, quae iam interciderunt, inſpexiſſe. Supereſt adhuc diploma, Iadertinis monialibus datum, ex quo diſcimus, Colomanum Belgradi hoc anno Croatiae Dalmatiaeque diadema ſuſcepiſſe. Sic enim illud habet: (*b*) „ Anno „ incarn. D. N. I. C. MCII. Ego Colomanus, D.

„ gr.

(*a*) Hiſt. Salon. Cap. XVII. (*b*) Ap. Farlat. T. V. p. 53.

„ gr. rex Vngariae, Croatiae atque *Dalmatiae*, ſal-
„ uo habito conſilio, poſtquam coronatus fui Bel-
„ gradi ſupra mare, in vrbe regia, rogatu ſubſcri-
„ ptorum meorum comitum, pro caritate DEI et
„ remedio animae meae, dono perpetuam pacem
„ et regiam libertatem monaſterio S. MARIAE mo-
„ nialium, quod ſitum eſt in Iadera. — — Pro-
„ copius, Acrien. epiſcopus, laudo. Singidunus,
„ Ragorien. (*Zagrabien.*) epiſcopus, laudo. Iſaac
„ comes laudo.“ — Merito Colomanus, poſtquam Spalatum, Tragurium, Iadram ſibi ſubiecit, Dalmatiae regis titulum vſurpauit. Eas enim ciuitates et Porphyrogenitus, et Farlatus (*a*) inter vrbes Dalmatiae numerat. (*b*)

A. C. 1103. *Col.* 8. *Ind.* 11. *P.* 29. *M.*

CLXXXIII. Colomanus, occupatis maritimis illis Dalmatiae ciuitatibus, vt etiam Arbam inſulam et vrbem, quae pariter ad ius Croatiae Dalmatiaeque regum antea pertinuit, ad Hungariae ditionem adiungeret; Vgrae, bano Croatiae, demandauit, vt, inſtructis 13. lembis, eam inuaderet. Arbenſes, poſtquam hoſtes caecis ac innoxiis ſagittarum ictibus nihil profeciſſent, non tam ſua virtute, quam S. Chriſtophori, cuius auxilium ſupplices implorauerant, ope victoriam retulerunt, vt Georgius, Arbenſis epiſcopus, refert. (*c*) Dum Vgra, qui primus inter Croatiae banos, hucusque ſub Hungariae regibus cognitos, haberi poteſt, Arbam fruſtra tentauit; Colomanus, Spalatum reuerſus, huius vrbis eccleſiae iura regio hoc diplomate confirmauit: (*d*)

P 2 „ Anno

(*a*) Illyr. S. T. I. p. 121. 125. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 141—165. (*c*) Ap. Farlat. T. V. p. 233. (*d*) Ap. Farl. T. III. p. 164.

„ Anno ab incarn. MCIII. die XV. Iunii. Colomanus, D. gr. Hung. Dalmat. Chroat. *Ramaeque* rex. Conſideratis fidelibus ac deuotis obſequiis ven. patris D. Creſcentii, Spalaten. archiepiſcopi, nobis per ipſum exhibitis, eiusque prece dignanter inducti, donationes ac confirmationes regum atque principum et aliorum dominorum — confirmamus auctoritate regia. — " Colomanus anno ſuperiore ſe *regem Hung. Croat. Dalmatiae* vocabat; iam nunc etiam axioma *Ramae regis* adoptat. Quemadmodum igitur ex priore diplomate rite deducimus, Colomanum anno 1102. *Dalmatia* iam potitum fuiſſe; non ſecus ex poſteriore veriſimiliter inferimus, eumdem anno hoc 1103. *Ramae* regnum iam obtinuiſſe. Nec enim ad Adriaticum mare Colomanum otioſe duobus annis adhaeſiſſe dicendum eſt; ſed potius vſum occaſione, quam ſeu terror armorum, ſeu fauor populorum eidem obtulit, Hungarici regni limites ad Naronem vsque, ſeu Narentam, in quem Rama fluuius exoneratur, extendiſſe. Quis enim tam ambitioſum et arrogantem illum fuiſſe, ſibi perſuadeat, vt titulo regni, quod nondum ſibi ſubieciſſet, vſus fuerit? Aut quae tandem idonea ratio fingi queat, cur titulum Ramae regis, quem anno ſuperiore non adhibuit, anno hoc vſurpauerit; niſi regnum hoc interea ſibi ſubieciſſet? Nam ea quidem idonea mihi non videtur, quam Lucius aſſignat in haec verba: (*a*) *Quum anteriora eiusdem regis priuilegia — Ramam non memorent; ideo in dicto exemplo priuilegii Colomani ex ſcriptorum errore Ramam irrepſiſſe, dicendum eſt; et Belam Caecum, primum Ramae titulum addidiſſe.* Quod enim anteriora regis eiusdem priuilegia Ramam non memo-

(*a*) Libr. III. Cap. VIII. p. 203.

memorent; eum Ramam antea non obtinuiſſe, ſolum indicant. Nec temere poſſumus errorem ſcriptoribus hic appingere, quorum calami ſcribendo huic titulo numquam antea fuerant aſſueti. Nec illud obeſt, quod neque Colomanus deinceps, neque Stephanus, eius filius, titulo hoc in diplomatibus vſi fuerint. Nam et Belam II. legimus anno 1135. Ramae regis titulum adhibuiſſe; rurſus anno 1137. praetermiſiſſe; quem anno ſequente 1138. iam adhibuit, iam praetermiſit. Quis vero propterea Belam toties et amiſiſſe Ramam, et recepiſſe dicat? Immo, quia Bela II. bellum in iis partibus geſſiſſe nusquam legitur; intelligi non poteſt, qua ratione prouinciam illam titulumque Ramae regis ſibi vindicauerit. Aliam toto caelo ſententiam Petrus Reuaius inſinuat, quum a *Rama*, *terrae ſanctae ciuitate*, titulum hunc Andream II. adſciuiſſe ſibi putat. (*a*) Sed enim plura regum noſtrorum diplomata, titulo Ramae regis ante laudatum Andream inſignita, hanc opinionem conuellunt. Alioqui Turotzius ipſe, quid apud Hungaros nomine Ramae veniat, clare his verbis prodit: (*b*) *Boznenſe regnum, quod et Ramam vocamus.* Quum enim Bosnae fluuio, quem Sauus excipit, vicinus ſit alius, Rama dictus, qui Naroni miſcetur; regionem, quam Graeci Bosnam, Boſinam, Boſonam vocant, Hungari Ramam appellant. Hinc reges noſtri paſſim Ramae, non Bosniae reges ſcribi conſueuerunt, etiam tunc, quum Bosniam ſibi ſubiectam habuerunt. (*c*)

A. C. 1104. *Col.* 9. *Ind.* 12. *P.* 17. *A.*

CLXXXIV. Colomanus, rebus in Dalmatia tanta cum laude geſtis, *in Hungariam ingreſſus*, vt ar-

 chidia-

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 832. (*b*) Chron. P. IV. cap. 65. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 165—179.

chidiaconus perhibet, (*a*) *anno dom. MCIII.* ſecundis nuptiis illigatus eſt, de quibus ita Turotzius loquitur: (*b*) *Et rex ſecundam duxit vxorem de Ruſcia, quam, in adulterio deprehenſam, — remiſit — in terram ſuam: quae ex adulterio peperit filium, nomine Borich.* Borichius hic, ſeu Bartholomaeus, quod ſe legitimum Colomani filium eſſe iactitauerit; multas ſubinde moleſtias tam Belae II. quam Geiſae II. faceſſiuit; dum tandem in bello, Hungaris illato, caeſus fuiſſet ſub annum 1155. Adulteram illam Colomani coniugem Neſtor, ſcriptor Ruſſicus et ſynchronus, ait (*c*) *Swatopolki, magni Ruſſiae principis, qui Kiouiae ſedem habuerat, filiam fuiſſe, Predſlauam dictam,* 1104. *die* 11. *Auguſti regi Hungariae nuptam.* Idem ille Swatopolkus, aliis Swantopolkus, erat, a quo Colomanus, in auxilium euocatus, cladem illam, cuius ſupra meminimus, a Cunis accepit, (*d*)

A. C. 1105. *Col.* 10. *Ind.* 13. *P.* 9. *A.*

CLXXXV. Lucius, Farlatus aliique, Venetis addicti, Colomanum violati, quod cum Venetis pepigerat, foederis reum paſſim peragunt. *Anno quinto ſeculi XII.* ſcribit Farlatus, (*e*) *quum Veneta claſſis, ad ſacram expeditionem profecta, abeſſet in Palaeſtina; Colomanus, rex Hungariae, violato foedere, quod cum Venetis pepigerat, Iaderam et Spalatum illis ademit.* Atqui iam antea Hungarici iuris vtraque ciuitas erat, vt diplomata, ſuperius excitata, docent. Bellum igitur, quod anno 1105. geſtum

(*a*) Hiſt. Salon. Cap. 17. p. m. 557. (*b*) Chron. P. II. cap. 61. (*c*) Edit. Lipſ. p. 173. (*d*) Hiſt. Crit. T. III. p. 190—195. (*e*) Illyr. S. T. III. p. 4.

geſtum eſt, ad caſtigandam Iadrenſium defectionem ſuſceptum fuerit. Dandulus, ſcriptor Venetus, Colomanum violati foederis ne verbo quidem accuſat. Biographus S. Ioannis, epiſcopi Traguienſis, ſcribit, illum Iadram veniſſe, (*a*) *vt inter Iadratinos et regem exortum ſedaret tumultum, et ad pacis normam vtriusque populi reuocaret errorem*: qui, niſi ius Hungarorum in Iadram, priore nempe bello partum, agnouiſſet; numquam his verbis oraturus fuiſſet: *Sicut vterque populus gaudet vnius deitatis cultura, et eiusdem fidei claritate refulget; ita vnius eiusdemque terreni* (regis Colomani) *moderamine gubernetur.* Vnde, quum Colomani machinam precibus magis, quam exploſis ſaxis contriuiſſet; aequiores dumtaxat pacis conditiones a Colomano Iadertinis obtinere, ſanguinisque Chriſtianorum effuſionem, non eorum ſubiectionem, impedire voluit, vt ex his eiusdem biographi verbis apparet: *Satisfaciunt igitur ciues iuxta conſilium ſancti praeſulis regiae ditioni: et fit deditio pro ciuium voluntate.* Quis autem credat, ſanctum praeſulem id, quod Venetis iniurioſum fuiſſet, conſuluiſſe? Colomanus, de virtutibus eius edoctus, illum, ad ſe vocatum, ita rogauit: „ Sancte pater, tuam depoſco gratiam, „ vt pro me, famulo tuo, ad regem regum preces „ digneris fundere, quatenus nos in pace cuſto„ diens, noſtri regni habenas dirigat, et poſt vitae „ praeſentis curſum cum electis ſuis regnum nobis „ indulgeat ſempiternum.“ Haec ſenſa pietatis non a ſcelerato, qualem multi Colomanum faciunt; ſed a ſancti parentis non degenere filio procedere poterant. Certe pietatem eius loquuntur etiam tabulae, quas Vekenega, coenobii Iadrenſis antiſtita,

 hoc

(*a*) Ap. Farlat. T. IV. p. 313.

hoc exordio confecit: (*a*) „ Anno incarn. D. N. I.
„ C. MCV. regnante *piiſſimo* Colomano Croatiae et
„ Dalmatiae; primo anno, quo triumphaliter Ia-
„ dram ingreſſus eſt. — Poſtquam diuino nutu per
„ Colomanum, *ſanctiſſimum* regem, pax terrae et
„ mari eſt reddita; quisque noſtrum coepit ire ad
„ propria. " — *Hic annus primus* non Colomani regnantis, ſed *triumphaliter* Iadram ingredientis intelligitur; quam anno 1102. vel non ingreſſus, vel non *triumphaliter* ingreſſus erat. Vt autem perenne huius ingreſſus teſtimonium exſtaret; Mariano Iadrenſium virginum coenobio turrim, inſcriptione hac inſignem, adſtrui iuſſit: „ Anno incarn. D. N. I. C.
„ mill. CV. poſt victoriam et pacis praemia Iaderae
„ introitus a DEO conceſſa, proprio ſumtu hanc
„ turrim S. MARIAE Vngariae, Dalmatiae, Chroa-
„ tiae conſtrui et erigi iuſſit rex Colomanus. " (*b*)

CLXXXVI. Tot monumentorum teſtimonio certiſſimum eſt, hanc Iadrae deditionem non eſſe differendam ad annum 1108. ad quem chronicon Kolderianum ita habet: (*c*) *Colomanus rex ciuitatem accepit Zader.* Colomanus igitur, recepta hoc anno Iadra, reliquas Dalmatiae ciuitates adiit, aſſumto viae comite S. Ioanne, quem magna veneratione proſequutus, poſtquam Sibenico Tragurium, ad eius ſedem epiſcopalem, peruenit; multis eam et donis cumulauit, et priuilegiis exornauit: *et vale faciens praeſuli ſancto, accepta benedictione, diſceſſit*, vt eius biographus apud Farlatum loquitur, (*d*) qui nusquam aſſerit, vel ad haec loca Colomanum hoſtiliter

(*a*) Ap. Lucium p. m. 184. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 195 —203. (*c*) Hiſt. E. Quinqu. T. I. p. 405. (*d*) Illyr. S. T. IV. p. 314.

liter acceſſiſſe, vel Spalatum tunc obſediſſe. Lucius igitur ex illo non recte Thomam archidiaconum corrigit, qui, Spalato capto Iadraque iam prius dedita, Colomanum in Hungariam reuerſum fuiſſe perhibet anno 1103. Vtraque hac expeditione Colomanus Arbam tentauit, primum quidem per Vgram banum, vt ſupra vidimus; nunc autem opera Sergii comitis, vt Georgius epiſcopus narrat. (*a*) Arbenſes quidem ope S. Chriſtophori, ſui peculiaris patroni, conatus Hungarorum iterum eluſerunt; deinde tamen, quod ceteris inſulis ac ciuitatibus a Colomano ſubactis, omne ſibi commercium ab Hungaris intercluſum eſſe cernerent, tempori tandem ceſſerunt, regique Colomano poſt Abſarenſes, Segnienſes, Veglienſes, ſe dediderunt. Ita Colomanus, quicquid Croatiae reges, quibus ipſe poſt patrem ſucceſſerat, etiam titulo Dalmatiae poſſidebant, id totum ad ius Hungaricum recidiſſe ratus, non tantum maritimas ciuitates, ſed etiam inſulas in ſuam poteſtatem redegit; neque propterea Venetis vllam iniuriam, Dalmatia iuribus regum Croatiae, iam Hungariae, vindicata, ſe feciſſe cenſuit. (*b*)

A. C. 1106. *Col.* 11. *Ind.* 14. *P.* 25. *M.*

CLXXXVII. Colomanus, rebus in Dalmatia rite compoſitis, in Hungariam reuerſus, ſicut illic *piiſſimi ſanctiſſimique regis* appellatione dignum ſe reddidit; ita hic exquiſitis prorſus laudibus, quae pietatem eius aperte loquuntur, a Godofredo, coenobii Zoborienſis abbate, cumulatus eſt in hoc diplomate: (*c*) „ Temporibus glorioſiſſimi Colomani „ regis, quem DEVS inaeſtimabili temporalis et „ aeter-

(*a*) Ibid. p. 234. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 203—211. (*c*) Ap. Pray Diatrib. p. 31.

„ aeternae gloriae ſanctitatis gratia perfuderat, et „ illuſtris viri Laurentii, Strigonienſis archiepiſco- „ pi, — quum ego Godofredus — requiſiuiſſem „ Colomanum, regem victorioſiſſimum; — tunc „ vero rex, plenus gratia, — venerabiles viros in „ priſtaldos mihi conſtituens, — terminos cuncto- „ rum praediorum S. Ypoliti per ipſos ſignari prae- „ cepit. —“ Subſcriptae hae temporis notae: *anno MCXIII. concurrente VII. epacta XI.* prorſus inter ſe diſcordant. Concurrenti VII. reſpondet hic annus 1106. quo credibilius eſt datum eſſe hoc diploma, quam anno 1113. quo nec Paullus Coloceníis, nec Georgius Iadertinus epiſcopi fuere: quos cum reliquis ita hoc monumentum recenſet: *D. Paullus, Colocen. D. Simon, Quinqueeccleſien. D. Volferus, Agrien. D. Simon, Vltraſiluanus; D. Matthaeus, Veſprimien. D. Marcellus, Vacien. D. Georgius, Geurien. D. Sixtus, Varadien. D. Laurentius, Chenadien. D. Georgius, Iadertinus; Felicianus, praepoſitus Alben. Robertus, Strigonien. de comitibus Ioannes, palatinus comes; Saul, de Bycher; Queled de Bache; Thomas, Alben. Theobaldus, Semighien. Mercurius, princeps Vltraſiluanus.* Ex hisce tabulis apparet, maligne vitia quaedam a nonnullis ſcriptoribus appingi Colomano, quem Godofredus abbas, qui mores eius optime cognitos habuerat, tantis laudibus ornat. Nec poteſt ſuſpectum haberi hoc teſtimonium, tamquam ab adulatione, ſuperſtite rege, profectum. Sicut enim, ſi Colomanus nullam victoriam retuliſſet, ſed cladibus potius attritus, ex Dalmatia rediuiſſet, non laudi, ſed dedecori ſibi vertiſſet, *victorioſiſſimum* appellari; ita, ſi ſceleratus et palam impius fuiſſet, a pietate laudari ſine dedecore non potuiſſet. (*a*)

CLXXXVIII.

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 212—216.

CLXXXVIII. Colomani pietatem itidem commendat, quod, exortis inter regnum et ſacerdotium propter *inueſtituras* diſſidiis, eam moderationem in cauſſa tam inuidioſa, quae Germaniam prope conuulſerat, adhibuerit, vt aliquid e ſuo iure potius remittere, quam pernicioſas cum apoſtolica ſede, cuius ſummam reuerentiam habuit, lites exercere voluerit. Controuerſia haec originem inde ſumſit, quod, exſtincta ſtirpe Carolingica, praefecti prouinciarum, vt has ſibi hereditarias facerent, imperatori *homagium* ac fidelitatis ſacramentum, exhibitis in aula militiaque quibusdam obſequiis, praeſtiterint, ac ad eorum exemplum etiam epiſcopi ciuitates epiſcopales ab imperatore iure *feudi* per traditionem annuli baculique paſtoralis accipere conſueuerint. Hic vſus, aliquamdiu toleratus, in abuſum ſubinde maximum degenerauit, vt ſacerdotia paſſim plus offerentibus, etiam indigniſſimis et concubinariis, venalia proſtarent. Vt igitur nefariam hanc ſacrorum nundinationem labemque Simoniacam S. Gregorius VII. exſtirparet; omnem *inueſtituram*, velut occaſionem Simoniae proximam, ſeuere prohibuit. Quia tamen imperatores feudalibus imperii iuribus cedere minime voluerunt; tamdiu lites ſopiri non poterant, donec Calliſtus II. Henrico V. conceſſiſſet anno 1122. vt conſtitutos ſecundum canones epiſcopos et abbates non annulo pedoque paſtorali, poteſtatis ſpiritualis inſignibus; ſed ſceptro, tamquam fiduciarios imperii clientes, in fidem et clientelam reciperet. Nec enim intereſſe poterat imperatoris, an eos in fidem per hoc vel illud inſtrumentum, tamquam conceſſi feudi ſignum, reciperet; cui certe conuenientior vſus ſceptri, quam baculi paſtoralis, erat. Antequam tamen illae turbae hac moderatione ſopitae fuiſſent; infelix inueſti-

turarum

turarum controuerſia multas etiam extra Germaniam regiones afflixit. Minimum negotii pontifices in hac quaeſtione habuerunt cum Hungariae regibus: qui licet iure patronatus et apoſtolicae legationis gauiſi fuerint; in iis tamen, quae pontifices ad animae ſalutem expedire cenſuerunt, iura ſua reſtringi facile patiebantur. Promtam in ſpirituali hoc negotio Colomani regis obedientiam Martinus Polonus in vita Paſchalis.II. ita laudat: (*a*) *Rex Hungariae, ad monitiones papales per litteras ſuas ſcribens domino papae, renunciauit inueſtituris epiſcoporum et aliorum praelatorum, quas vsque ad illa tempora reges Hungariae facere conſueuerunt.* Et Colomanus quidem non ſolum litteris, ſed etiam legatis ad Paſchalem II. miſſis, hanc declarationem fecit: (*b*) „Denunciamus vobis, pater venerande, nos „legi diuinae ſubditos, ac ſecundum eam vobis „ſeruire paratos. Vnde et inueſtituram epiſcoporum, hactenus a maioribus habitam, iuxta admonitionem veſtram, dimiſimus: et ſiquid in electione huiusmodi minus canonice retro actum „eſt; de cetero, DEO volente, cauebimus.“ Titulus renunciationis huius in actis concilii Guaſtallenſis, anno 1106. celebrati, ſic habet: *Refutatio inueſtiturae epiſcoporum, quam fecit rex Hungariae ad mandatum papae.* Rex tamen non electioni, ſed abuſibus dumtaxat hic renunciauit. (*c*)

A. C. 1107. *Col.* 12. *Ind.* 15. *P.* 14. *A.*

CLXXXIX. Egregiis Colomani laudibus, quas hucusque recenſuimus, neceſſaria ſeueritas, in Almum

(*a*) Ap. Kollar. Hiſt. Dipl. p. 112. (*b*) Ap. Colet. Conc. T. XII. col. 1129. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 216—220.

mum exercita, multum apud ignaros rerum detraxit. Sed enim Almus, Colomani facilitate ſaepius abuſus, huic ſeueritati cauſſam obtulit: qui poſt expeditionem Croaticam a quibusdam maleuolis in transuerſum actus, non prius conquieuit, quam Colomanus, repetitis eius defectionibus irritatus, non tam vt priuatas iniurias vindicaret, quam vt regni tranquillitati conſuleret, quam Almus, hoſtibus exteris huc accitis, ſaepe turbauerat, ſeuerius in illum animaduertiſſet. Initium diſſidiorum in quosdam ſuſurrones Turotzius ita reiicit: (a) *Quumque rex ad propria reuerteretur, et dux Almus ad ducatum iret; quidam iniqui, diabolico freti conſilio, coeperunt inter eos accuſare; dicebant enim duci:* „Domine dux, rex inſidiatur tibi; et capere vult „te." *Deinde regi dicebant:* „Dux tibi poſuit in„ſidias: et ſi non cuſtodieris te; ſcias, procul du„bio te moriturum." — *Rex autem cum exercitu venit contra ducem in Warkun, et dux e contra venit prope Warkun.* Caſtris vtriusque Tibisco diremtis, Hungari pugnam detrectarunt. Ambobus ad ſua reuerti coactis, quum Almus Colomano regi, ceu potentiori, diffideret; in Germaniam ſe recepit. Auxiliis fruſtra ſollicitatis, inde reuerſus, benigniorem in ſe regem, quam ſperare potuiſſet, expertus eſt. Hoc anno ſuperiore, Turotzio teſte, factum quum fuiſſet; Almus, tanta beneuolentia nondum emollitus, *fugit in Poloniam, et accerſito Polonorum et Hungarorum — auxilio — cepit nouum caſtrum, et intrauit illud. Rex autem, hoc audito, obſedit caſtrum. Quumque in craſtinum pugnare vellet; ecce dux, ſubito equum aſcendens, portas caſtri exiens, citiſſime equitauit ſolus in caſtrum regis,*

(a) Chron. P. II. cap. 60.

regis, — *et in ore omnium ſe culpabilem proclamauit. Rex autem, fraterna motus pietate, duci indulſit.* Si tam crudelis, ac pingitur, Colomanus fuiſſet; Almo, toties cum regni pernicie profugo, tam facile non ignouiſſet; nec Almus ſine certis ſecuritatis litteris ei ſe ſtitiſſet; niſi cognitam eius lenitatem habuiſſet. Hac Almi confeſſione, qua *ſe culpabilem* palam proclamauit, Colomanus ita delectatus fuit, vt arma, quae nonniſi prouocatus arripuit, illico poſuerit. Almum quoque pietatis ſtudiis addictum fuiſſe, patet ex condita Demeſienſi praepoſitura, cuius dedicationi rex ipſe rogatus interſuit. Sed rurſum maleuoli pacem inter optimae mentis principes turbarunt. *Accuſabant*, inquit Turotzius, (*a*) *ducem, quod inſidias praeparaſſet, vt interficeret regem in conſecratione monaſterii ſui.* Rurſus igitur maleuolentia quorumdam aſſentatorum diſſenſiones inter regem et ducem ſeminatae ſunt. Sed tanta Colomani facilitas ad conciliationem erat, vt, quo duci ſuſpicionem omnem eximeret, iureiurando pacem initam firmauerit. Quia tamen toties inſidias ab eo ſibi ſtructas audiuit; ne temere periculo vitam ſuam exponeret, duos e proceribus ad arbitrandos Almi ſermones et actiones conſtituit: quae res iterum Almo pernicioſa, non Colomani, ſed aſſentatorum vitio, qui ſiniſtre ducis ſermones interpretabantur, euaſit, Almoque fugam ad Henricum imp. perſuaſit. (*b*)

A. C. 1108. *Col.* 13. *Ind.* 1. *P.* 5. *A.*

CXC. Interea Colomanus, quam in ſe fabam Almus in Germania cuderet, ignarus, ad Dalmatiae res

---

(*a*) Ibid. cap. 61. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 220—228.

res conſtituendas ac ſtabiliendas profectus, Traguri-
nis priuilegium, *libertatum* dictum, contulit, in
hanc ſententiam: (*a*) „ Anno dom. incarn. MCVIII.
„ menſe V. die XXV. anno XXI. (*Luc. XII.*) regni
„ mei. Ego Colomanus, rex Hung. Croat. atque
„ Dalm. iuro ſuper S. Crucem vobis Tragurinis,
„ meis fidelibus ciuibus, firmam pacem: mihi et
„ filio meo aut ſucceſſoribus meis tributarii ne ſitis:
„ epiſcopum vero aut comitem, quem clerus et po-
„ pulus elegerit, ordinabo: et lege, antiquitus con-
„ ſtituta, vos vti permittam; praeterquam introi-
„ tus ciuitatis de extraneis duas partes rex habeat;
„ tertiam vero comes ciuitatis; decimam autem
„ epiſcopus: in ciuitate quoque veſtra neminem
„ Hungarorum vel alienigenarum habitare permit-
„ tam; niſi quem voluntas veſtra expetierit: quum
„ ad vos, coronandus aut vobiscum regni negotia
„ tractaturus, aduenero; nemini vis inferatur do-
„ morum ſuarum, niſi quem dilectio veſtra ſuſce-
„ perit. — Ego Ioannes, palat. comes, laudo et
„ confirmo. —" Hac occaſione Silueſtrinae litterae,
quibus Hungariae regibus eccleſias etiam *futuras or-
dinandi* ius conferebatur, Tragurinis exhibitae fue-
rint, vt edocerentur, conſenſum regium in epiſco-
pis conſtituendis neceſſarium eſſe. Quia vero Colo-
manus annum 1108. regni ſui .12*mum* hic vocat;
aliqui principatum eius auſpicandum ab anno 1096.
cenſuerunt. Sed enim Colomanus hic annos regni
non tam Hungarici, quam Dalmatici, quod, victo
caeſoque Petro, conſequutus eſt anno 1096. nu-
merat. (*b*)

CXCI.

(*a*) Ap. Farlat. T. VI. p. 323. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 228—234.

CXCI. Quum Colomanus res Dalmaticas curat; Henricus V. patri ſuo ſuffectus anno 1106. bellum in Hungaros decreuit. Vt tempus, ita cauſſam belli huius non eodem modo veteres conſignarunt. Nam alii quidem imperii fines in maritimis locis a Colomano, quum Dalmatiam occupaſſet, inuaſos; alii cruce ſignatos ab eodem olim male tractatos bello huic praetexunt; plerique tamen et in anno 1108. conueniunt, et ab Almo belli cauſſam arceſſunt. Ex his annaliſta Saxo geminam belli cauſſam ita coniungit: (*a*) *Anno dom. inc. MCVIII. — rex Heinricus, Almi querelis motus, inſuper etiam, quod Colomanus fines regni ſui, ſcilicet in locis maritimis, inuaſerit, Vngariam cum exercitu petit.* Eamdem belli cauſſam Otto Friſingenſis aſſignat, Almi ſollicitationem; effectum vero, Poſonium necquicquam oppugnatum. Pacem autem inter diſſidentes conciliatam eſſe, Turotzius ita tradit: (*b*) *Anno dom. MCXIII.* (MCVIII.) *imperator, propter ducem Almum, mouit exercitum ingentem; et venit in confinium Hungariae, vt colloquium cum rege haberet, et inter eos pacem firmaret. Quod et factum eſt.* E ſynchronorum teſtimonio conſtat, id eſſe factum anno MCVIII. non MCXIII. Turotzius hic vel eius librarius X. cum V. permutauit. Eumdem errorem videtur erraſſe, quum ſcripſit: (*c*) *Anno dom. MCXII. N. filius regis Colomani mortuus eſt.* Quum enim in diplomate, Tragurinis anno MCVIII. dato, *filii* dumtaxat, non filiorum meminerit; vnus filiorum anno ſuperiore MCVII. videtur obiiſſe. Quia vero Suatoplugus, Bohemiae dux, ab Henrico tribus millibus talentorum in ſocietatem armorum illectus,

(*a*) Ap. Eccard. S. M. AE. T. I. col. 621. (*b*) Chron. P. II. cap. 62. (*c*) Chron. P. II. cap. p. 61.

lectus, multa hoc bello damna Hungaris intulerat; Colomanus, has iniurias vindicaturus, *intrat Morauiam*, vt Cosmas Prag. refert, (*a*) *et eam hoſtiliter deuaſtare coepit:* Suatoplugus, id vlturus, iterum copias ſuas in Hungariam infudit; eumdem reducere coactus; poſtquam per ſiluas oberrando, oculum a ramis amiſit. (*b*)

A. C. 1109. *Col.* 14. *Ind.* 2. *P.* 25. *A.*

CXCII. Quum Hungari Suatoplugum, amiſſo iam oculo, quieturum putaſſent, ac ad bellum gerendum arma nulla praeparaſſent; ille quietis impatiens, vindictaque furens, oculo perſanato, fluuiisque glacie conſtrictis, exercitum in Hungariam rapuit, actisque triduo praedis ingentibus, eumdem prius, quam ſuos Colomanus in aciem educere potuiſſet, in Bohemiam reduxit, vt idem Cosmas vberius narrat. Colomanus, hoſtilium incurſionum metu liberatus, ſacris profaniſque rebus conſtituendis ſe totum addixit. S. Stephani donationi, quam coenobio ſanctimonialium de valle Veſprimienſi contulerat, conſulturus, eius diploma Graecum, in Latinum idioma traductum opera Simonis, epiſcopi Quinqueeccleſienſis, auctoritate ſua confirmauit, vt ex his tabulis apparet: „ Anno dom. incarn. mille-
„ ſimo CVIIII. praecipiente Chriſtianiſſimo rege Co-
„ lumbano, renouatum eſt hoc priuilegium de mo-
„ naſterio Beſpremenſium monialium. —" (*c*)

A. C. 1110. *Col.* 15. *Ind.* 3. *P.* 10. *A.*

CXCIII. Almi pietatem non tantum coenobium Demeſienſe, cuius ſupra meminimus; ſed etiam peregri-

egri-

(*a*) Ap. Menken. T. I. col. 2097. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 234—245. (*c*) Ibid. p. 258—268.

egrinatio Hieroſolymitana, quam ad hunc annum noſtri figunt, teſtatur. *Deinde dux*, inquit Turotzius, (*a*) *Hieroſolymam profectus eſt; et cum proſperitate redeuntem rex ſuſcepit ad pacem.* Per Conſtantinopolim iter agenti narratum eſt, (*b*) *S. Euſebium, Caeſareae Palaeſtinae metropolitanum, eadem hora, qua B. Emericus diſſolutus eſt, — animam eius ſurſum transferri perſpexiſſe.* (*c*)

A. C. IIII. *Col.* 16. *Ind.* 4. *P.* 2. A.

CXCIV. Colomanus, iterum ad maritimas partes profectus, indictis regni comitiis, quibus non tantum Dalmatiae, ſed etiam Hungariae praeſules ac proceres interfuerunt, tria potiſſimum, vt Farlatus colligit, communi conſilio diſcutienda decernendaque propoſuit: (*d*) *quae ad deſcriptionem dioeceſeon, ad immunitatem eccleſiaſticam, ad diſtributionem decimarum pertinent.* Quid de communi ſententia rex optimus conſtituerit, ex vno diplomate, quod Arbenſi eccleſiae conceſſit, intelligi poteſt, quod ita habet: (*e*) „ Anno dom. inc. MCXI. ind. „ 4. epacta nona, concurrentibus (*concurrenti VI.*) „ Ego Colomanus, D. gr. rex Hungarorum, per „ miſericordiam DEI potitus regno Dalmatiae atque „ Croatiae, aſſentimus, et quantum ad nos pertinet, „ confirmamus Arbenſi eccleſiae ſuas parochias, „ Iuppam — Poſtea neceſſarium duximus, cum „ vtriusque regni vniuerſo conſilio, vt, qua libertate fruuntur clerici Hungariae, vt, qualiscumque potentiae ſigillo non ſtringantur; ſed ſolo „ epiſco-

(*a*) Chron. P. II. cap. 60. (*b*) Biogr. S. Em. Ed. Pr. p. 95. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 271—275. (*d*) Illyr. S. T. III. p. 165. (*e*) Ibid. p. 166. T. V. p. 236.

„ epiſcoporum et archidiaconorum ſuorum ſigillo „ et iudicio, lege canonum, cogantur et iudicen- „ tur. Hoc modo decimationem, quemadmodum „ in Hungaria, accipiant. — Indictione IV. datum „ eſt hoc priuilegium dictae Arbenſi eccleſiae, per „ manus ven. Laurentii, Strigonienſis archiepiſcopi, „ perpetuo, ex conceſſione Colomani, regis Vnga- „ riae, Dalm. atque Croatiae, in praeſentia ſuorum „ epiſcoporum ac comitum, quorum nomina haec „ ſunt:" *Marcelli, Vacien. epiſcopi; Simonis, Quinqueeccleſ. epiſcopi; Matthaei, Veſperimen. ep. Georgii, Georien. epiſc. Sixti, Varad. ep. Tulberti, Collocen. epiſcopi; comitum vero, Ioannis, palatini comitis;* — Quid vero Colomanum impulerit, vt Iadram incendio caſtigare voluerit, incertum eſt. Farlatus contumaciae Iadrenſium id adſcribit, (*a*) quod *Colomanus caſtellum in vrbe exſtruxerit, praeſidiisque Hungaricis munierit; vt quodam veluti freno iniecto Iadrenſes in fide atque officio contineret.* Id Iadrenſes aegre tulerunt, nec abſtinuerunt, quominus palam auerſae ſuae voluntatis indicia praeberent: quibus rex irritatus, vrbem incenſurus erat, niſi S. Donatus eius iram compeſcuiſſet. (*b*)

A. C. 1112. *Col.* 17. *Ind.* 5. *P.* 21. *A.*

CXCV. Etſi Cuno cardinalis a Ciacconio perhibeatur (*c*) *in Graecia, Germania, Hungaria, Galliis* concilia his annis coegiſſe; certum tamen non eſt, eum interfuiſſe ſynodo, quam Laurentius, Strigonienſis archiepiſcopus, cum *decem ſuffraganeis* celebrauit. Hic titulus ſynodalium decretorum indi-

 cat,

(*a*) Illyr. S. T. V. p. 54. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 275—280. (*c*) Edit. Rom. p. 447.

eat, vnicum hoc tempore metropolitam fuiſſe; ſuffraganei tamen, erecto iam epiſcopatu Zagrabienſi, non decem, ſed vndecim eſſe debuiſſent; ſed videtur aliqua ſedes, et fortaſſe Batſienſis, cuius antiſtes in monumento Zoborienſi non comparet, vacaſſe. Laurentius metropolita cum 10. illis ſuffraganeis pulcherrimas leges et paſtoribus, vt gregem ſibi creditum ad viam ſalutis feliciter dirigant, et ouibus, vt ductui paſtorum ſeſe faciles exhibeant, aeternaeque felicitatis portum certius attingant, condidit, quas Peterſius in 65. capita hoc ordine digeſſit: (a) Cap. I. *De cauſſis eccleſiarum et clericorum.* II. *De ſermone ad populum.* III. *De eccleſiaſticis ordinibus.* IV. *De communione cleri et populi.* V. *De loquutione clericorum.* VI. *De idiotis preſbyteris.* VII. *De ritu gentilitatis.* VIII. *De annuis feſtis.* IX. *De negligentibus poenitentiam.* X. *De mortuis ſine confeſſione.* XI. *De vxoratis in epiſcopum promouendis*, cum voto continentiae. XII. *De portationibus eccleſiae.* XIII. *De monaſteriis epiſcoporum, qui obierunt.* XIV. *De his, qui res eccleſiae diſſipauerunt.* XV. *De famulis eccleſiae.* XVI. *De parochis eccleſiarum.* XVII. *De eccleſia ſine dote non conſecranda.* XVIII. *De preſbyteris, ad titulum conſecrandis.* XIX. *De clericis, ſine litteris non ſuſcipiendis.* XX. *De legationibus epiſcoporum.* XXI. *De aduenis clericis et infamatis.* XXII. *Ne quis in alterius eccleſia celebret ſine licentia.* XXIII. *De profeſſis clericis, ad titulum ordinatis.* XXIV. *De oppreſſis clericis, vel iniuria affectis.* XXV. *De clericis vel abbatibus, ſeculare iudicium quaerentibus.* XXVI. *De concordantia diuinorum officiorum.* XXVII. *De vita et victu canonicorum.* XXVIII. *De liberta-*

te

(a) Conc. P. I. p. 55—62.

te hoſpitum canonicorum. XXIX. *De libertate canonicorum, et filiis eorum*, ante canonicatum ſuſceptis. XXX. *De ſeruis non ordinandis.* XXXI. *De ſacerdotibus, ante preſbyteratum vxoratis.* XXXII. *De clericis non vxorandis.* XXXIII. *De vxoribus epiſcoporum*, dimiſſis. XXXIV. *De excommunicatis.* XXXV. *Vbi debeant miſſam celebrare.* XXXVI. *Item de abbatibus.* XXXVII. *De iisdem abbatibus.* XXXVIII. *De eisdem abbatibus.* XXXIX. *De ordinandis monachis.* XL. *De his, qui monachi habitum accipiunt.* XLI. *De conuentione oblationis pro miſſa, ne fiat.* XLII. *De non emendis, vel vendendis eccleſiis.* XLIII. *De baptismo et ſepultura.* XLIV. *De feſtiuitatibus.* XLV. *De iudicio, quomodo, vel quando dari debeat.* XLVI. *Quid in eccleſia legi vel cantari debeat.* XLVII. *Quomodo in Kalendis et conuiuiis conuiuari debent.* XLVIII. *De eodem.* XLIX. *De eodem.* L. *De domibus poenitentialibus.* LI. *De maleficis.* LII. *De accuſatione et accuſatis.* LIII. *De mulieribus, a maritis fugientibus.* LIV. *De bigamia, et viduarum vel repudiatarum viris.* LV. *Si preſbyteri bigami recipiant ordines.* LVI. *De preſbyteris, qui concubinas habent.* LVII. *Vt canonici regulam ſuam ſciant.* LVIII. *De clericis, pro furto accuſatis.* LIX. *De tabernariis clericis.* LX. *De teſtimoniis clericorum.* LXI. *De Iudaeis, qui Chriſtianos habent famulos.* LXII. *De decimis clericorum.* LXIII. *De archidiaconis.* LXIV. *De preſbyteris et ſeruis eccleſiarum.* LXV. *De congregandis clericis ad ſanctam ſynodum.* (a)

A. C. 1113, *Col.* 18. *Ind.* 6. *P.* 6. *A.*

CXCVI. Fata iam ſuá ducem Almum vrgebant; poſtquam nulla Colomani patientia corrigi, regno-

(a) Hiſt. Crit. T. III. p. 280—331.

que pax et ſecuritas, niſi ſeueritate, conciliari potuit. Vix enim credi poteſt, Colomanum, qui toties Almum, licet grauiora meritum, in gratiam benigniſſime recepit, tam crudele ſupplicium in eumdem decreturum fuiſſe; niſi dux infelix, nouas iterum res molitus, omnem ſui corrigendi ſpem ſuſtuliſſet. *Tandem*, inquit Turotzius, (*a*) *rex cepit ducem et filium eius, Belam infantulum, et obcaecauit eos. — Ductus eſt autem dux Almus in monaſterium ſuum in Demes.* Inhumanum hoc facinus eam Colomano labem aſperſit, vt ab vno hoc facto paſſim, vt tyrannus, a ſcriptoribus traducatur. Ceterum communis haec etiam apud Graecos eorum poena fuit, qui principatum contra fas ambiuerunt, vt oculis orbarentur, ne publicam tranquillitatem intercipere poſſent. Si hoc igitur etiam Almus vitio laborauit; quid mirum; ſi pari ſupplicio fuit affectus, vt regno tandem pax, quam is toties turbulentis conatibus ſuis interpellauit, conciliaretur? Etſi vero Colomanus excuſari poſſit, quod Almum, toties reum, in eum ſtatum, in quo regnum deinceps turbare non potuerit, coniecerit; excuſatio tamen idonea vix ad eum purgandum inueniri poteſt, quod longius abreptus, infantulum quoque Belam, a quo nihil iniuriae per aetatem accipere poterat, oculis itidem orbari iuſſerit; immo procreandae ſoboli penitus ineptum eum efficere voluerit. Hoc autem ab eo factum et tentatum fuiſſe, praeter Turotzium, etiam Cosmas Pragenſis ita teſtatur: (*b*) *Vtinam hoc audiret Cholomanus, rex Pannonicus, ſi viueret* (ſcribit haec ad an. 1117.) *qui metuens, ne germanus ſuus Almus poſt eum regnaret;*

(*a*) Chron. P. II. cap. 62. (*b*) Ap. Menck. T. I. col. 2113.

gnaret; ipſum et filium eius mentula priuauit et lumine. Poſtremum hoc vere; ſed prius non minus ex falſo rumore Cosmas ſcripſit, quam quum Almum Colomani germanum eſſe dixit. Et Almi patrem, et Colomani crudelitatem exhibet vetuſtum illud chronicon, quod apud Lucium ita legitur: (*a*) *In cuius* (Colomani) *temporibus multa mala ſunt perpetrata. Ipſe enim Belam, filium Almus ducis, filii* Lamperti *ducis, filii Belae regis, dicti Belyn, adhuc infantem, de quorumdam conſilio, extractum de ſinu matris, excecatur* (excaecauit). Atque ſic omnino cenſeo, Colomanum, regem alias benigniſſimum, *quorumdam conſilio* male perſuaſum, vt, ſi Stephano, filio ſuo, conſultum vellet, tam Almum, quam Belam oculis orbaret, ac vtrumque penitus ineptum ad regiam dignitatem efficeret, tam immane facinus deſignaſſe. Non defuerunt nempe *quidam iniqui,* teſte Turotzio, (*b*) *diabolico freti conſilio*, qui, quemadmodum initio regem et ducem mutuis ſuſpicionibus impleuerant; ita deinceps quoque diſcordias inter vtrumque ſeminare non deſinebant. (*c*)

A. C. 1114. *Col.* 19. *Ind.* 7. *P.* 29. *M.*

CXCVII. Non multo poſt, quam Almus, effoſſis oculis, in monaſterium Demeſienſe retruſus fuiſſet, Colomanus, acutiſſimo capitis dolore correptus, (*d*) *iniit conſilium cum ſceleratiſſimis Mark — et Achille — et cum aliis comitibus, quorum conſilio ducem et filium eius, de gremio matris ſuae extra-*

(*a*) De regno D. et Cr. l. 3. c. 1. (*b*) Chron. P. II. cap. 60. (*c*) Hiſt. Crit. T. III, p. 331—335. (*d*) Turotz. P. II. cap. 62.

ctum, excaecauerat; miſitque ex eis quemdam, nomine Benedictum, — apprehendere ducem, ne forte, mortuo rege, ipſe ei ſuccederet. — Quumque Benedictus receſſiſſet, dux ante monaſterium ſedebat, plangens dolorem proprium: qui quum audiſſet, quod equites feſtinanter veniſſent; praeſenſit animo, ſibi periculum imminere: et fecit ſe introduci in monaſterium: et tenebat manibus altare S. Margaritae V. vt ſaltem pro reuerentia DEI et ſanctorum eius, eum inde abſtrahere non praeſumerent. Tentauit tamen Benedictus ille hinc etiam ducem abſtrahere; ſed a ſacerdotibus territus et fugatus, *dum feſtinanter equitaret per ſiluam Pelys; cecidit de equo: et ceruice fracta, mortuus eſt: et canes eius, qui ſequebantur ipſum, deuorauerunt carnes eius et oſſa.* Ita debitam maleſanis conſiliis ſuis poenam, qui Colomanum ad ſanguinariam hanc ſententiam impulerat, ac manus etiam ad eam exſequendam obtulerat, recepit. (*a*)

CXCVIII. Ipſe quoque Colomanus, imperitia medici Draconis ad extrema deductus, poſtquam filio ſuo ſolium firmare modis omnibus conabatur, ex hac vita demigrauit. *Poſt haec autem*, eiusdem Turotzii verba ſunt, *rex coepit aegrotare: et habebat quemdam medicum Latinum, nomine Draconem, cui nimium credebat. Hic appoſuit emplaſtrum ſuper aures regis, qui ex capitis dolore vrgebatur: et per concauitates aurium vis emplaſtri non modicam extraxit partem cerebri eius.* — Ita mortuus, *regnauit*, vt Turotzius habet, *annis 25. menſibus 6. diebus 5. anno dom.* 1114. *tertio nonas Februarii, feria 5. migrauit ex hoc ſeculo.* Omnes hae temporis notae bene congruunt. Quum enim anno 1114. litte-

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 335—337.

littera dominicalis fuerit D. tertia Februarii cum tertia feria concurrit. Illos autem annos 25. Turotzius numerauerit ab anno 1089. quo S. Ladislaus eumdem in regni ſocietatem, quum bellum Croatis intuliſſet, adſciuiſſe videtur. Ceterum errorem librariorum hic irrepſiſſe, colligitur ex chronico Budenſi, quod non 25. ſed 18. annos habet, cum 6. menſibus, 5. diebus, quot a 29. Iulii 1095. quo S. Ladislaus obiit, ad diem vsque 3. Februarii 1114. quo Colomanus ipſe deceſſit, defluxerunt. (*a*)

CXCIX. Erat Colomanus vir bellicoſus et fortunatus; nec iis vitiis, quibus vulgo notatur, deditus; immo, ſi crudelitatem in Almum et Belam infantulum demas, laude digniſſimus; regnoque tam legibus perlatis, quam finibus promotis, vtiliſſimus. Illi namque debemus adiectam Hungariae totam Croatiam, tum etiam Dalmatiam et Ramam; illi pacem in ipſa Hungaria numquam ab exteris interceptam; ſi ſubitam Suatoplugi procurſionem excipias. Nam et Polonos, et Germanos, quos Almus in patriae perniciem acciuerat, ſua dexteritate, quin praelium iniretur, reflexit. Nouis etiam Ruſſorum coloniis, in Hungariam deductis, patriam auxit, quorum nomen et memoriam oppidum *Nagy-Oroſzi* hodieque tuetur. (*b*) Ex iis, quae ſparſim attigimus, conſtat, eo regnante, *Strigonienſem* archiepiſcopum fuiſſe Seraphinum anno 1099. Laurentium 1106. 1108. 1111. *Spalatenſem* Creſcentium 1103. epiſcopum *Agrienſem* Procopium 1102. Volferum 1106. *Colocenſem* Paullum 1106. Tulbertum 1111. *Iaurinenſem* Arduinum 1097. Georgium 1107. 1111. *Quinqueeccleſienſem* Simonem 1106. 1109. 1111.

(*a*) Ibid. p. 337—339. (*b*) Iſtvanfi L. XVI. p. m. 168.

CCI. Quam prouide Colomanus et Iadrae caſtellum exſtruxerit, et Spalati turrim aliquam ſuo milite communiuerit; euentus iſte ſatis ſuperque docuit. Ordelaphus enim primo ſtatim impetu Iadram totam obtinuiſſet; niſi Hungari milites, qui caſtrum tutabantur, irritos eius conatus reddidiſſent. Hoc Iadrenſium exemplo permotus ille dux, qui Hungaris praeſidiariis Spalati praefuit, ne haec quoque ciuitas, vt Iadra, Venetis ſe dederet; eam prius occupaturus, Manaſſem archiepiſcopum, Colomano, dum viueret, cariſſimum, in ſuas partes clam pertraxit. Sed enim Manaſſes hic, quum Hungaris fauere voluit; iisdem minime conſuluit. Detectis enim inſidiis, poſtquam Spalatenſes, Tragurinis et aliis Dalmatis in auxilium euocatis, Hungaros partim ſuſtuliſſent, partim in fugam egiſſent; *videns archiepiſcopus*, inquit Thomas archidiaconus, (*a*) *ſuae fraudis facinus denudatum, magno confuſionis pudore obductus, ciuitatem exiuit, numquam poſtea reuerſurus.* Quum inſulani Hungarorum, claſſe deſtitutorum, arma minus metuenda habuerint; Venetis vltro ſe dediderunt. Verum, vt Lucius obſeruat, (*b*) *ſicuti inſulas, terreſtribus Hungarorum viribus deſtitutas, facile acquirere poterant; ita earumdem acquiſitio absque Iadra neque tuta, neque diutina eſſe poterat.* Poſtquam igitur anno ſuperiore, quo ciuitatem Iadrenſem obtinuerunt, experti ſunt, maioribus viribus ad caſtrum expugnandum opus eſſe, has ab orientis et occidentis imperatoribus commendicare coeperunt. Horum auxiliis ſuccinctus Ordelaphus, Hungaris numero potius, quam virtu-
te

(*a*) Hiſt. Salon. cap. 18. (*b*) Lib. III. cap. V. p. 194.

te ſuperatis, poſtquam arcem Iadrenſem ad deditionem compuliſſet; terrorem armorum latius ſparſit, Croatiamque mediterraneam depopulatus, ſi Dandulo credimus, (*a*) *inexpugnabile caſtrum Sibenici obtinuit et diruit; Spalatum quoque et Tragurium per deditionem accepit; et ſic Dalmatiae recuperato dominio; — Venetias rediit.* (*b*)

A. C. 1116. *Steph.* 3. *Ind.* 9. *P.* 2. *A.*

CCII. Tam Alexius in oriente, quam Henricus V. imperator in occidente tantis rerum anguſtiis hoc tempore premebantur, vt vix videantur, ſuis neceſſitatibus inſuper habitis, auxilia tanta, quanta Veneti iactant, ſubmiſiſſe. Nec magnum fuiſſe numerum Hungarorum, quos ab Ordelapho fuſos fugatosque Dandulus refert, inde videtur colligi poſſe, quod iis banum dumtaxat praefuiſſe perhibeat. Poſtquam autem et hos fuiſſe profligatos, et maritimas vrbes a Venetis occupatas, Hungariae proceres audiuiſſent; vindictae ſtudio ſtimulati, maiores ad bellum apparatus fecerunt: ac vbi mitior ſe tempeſtas aperuiſſet; ingentem exercitum in Dalmatiam infuderunt. Ordelaphus, ne, quam facile hanc prouinciam adeptus eſt, tam facile citoque rurſus eadem exueretur, copias itidem, quantas potuit, maximas celeriter collegit, ac nauibus impoſitas Iadram, quam Hungarorum expeditio cumprimis ſpectabat, adduxit. Animis vtrimque vehementer incitatis, vtprimum ad manus ventum eſt, ingens vbique ſtrages editur. Ordelaphus, Venetos nutantes exemplo ſuo confirmaturus, quum officio non

(*a*) Libr. IX. C. XI. P. XX, XXI. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. P. 347—356.

Eaedem res vtrobique narrantur, Stephanoque tribuuntur, qui nondum tunc vel regno praefuit, vel bello per aetatem praeeſſe potuit. Propterea fortaſſe Hungari hoſtilem animum induerunt, quod aliquas Venetis ſuppetias, quas Henricus V. illis promiſerat, tulerint. Sparſum ac productum fuiſſe bellum in tres annos, praeter plures chroniſtas, Richardus Neoburgenſis, ſynchronus teſtis, ita perhibet: (*a*) *Anno MCXVII. et duobus ſequentibus, Stephanus, Vngarorum rex, Lewpoldum coegit ad arma iungenda cum duce Bohemorum, vt graues terrae noſtrae vaſtationes et praedas abductas vlciſceretur. Primo ergo et ſecundo Vngros graui clade repulit.* Alii tamen, primis duobus annis Auſtriam Hungaros ad Leitam fluuium euaſtaſſe, teſtantur, quos S. Leopoldus, clarum Germaniae ſidus, ſempiternum Auſtriae decus, ſatis tunc habuit e prouincia ſua depellere. Poſtquam tamen vidit, eos, identidem reiectos, non quieſcere; comparatis Bohemorum auxiliis, prius ipſe Hungariam inuaſit, quam Hungari rurſus Auſtriam populari potuiſſent. *Tertio*, pergit Richardus, *eius terras inuaſit; et Caſtrum ferreum deſtruxit.* Nec porro quicquam vel ab Auſtriacis aduerſus Hungaros, vel ab his aduerſus illos, regnante Stephano, tentatum fuiſſe legimus. (*b*)

A. C. 1121. *Steph.* 8. *Ind.* 14. *P.* 10. *A.*

CCV. Turotzius, nulla harum populationum mentione facta, poſt colloquium, Solthi fraude turbatum, haec narrat: (*c*) *Rex autem Stephanus legitimam nolebat ducere vxorem; ſed concubinis meretricibus*

(*a*) Ap. Hant. Faſt. Camp. T. I. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 376—383. (*c*) Chron. P. II. cap. 63.

tricibus iunctus erat. Quare barones et optimates, dolentes de regni deſolatione et regis ſterilitate, duxerunt ei vxorem, dominam nobiliſſimam, filiam regis Roberti Viſcardi de Apulia. Quum Robertus Guiſcardus obierit anno 1085. Si quam ex vltima coniuge prolem ſuſcepiſſet; ea 15. annis Stephanum, anno 1101. natum, aetate ſuperaſſet, adeoque minus idonea fuiſſet ad eum finem, quem Turotzius inſinuat. Et quum Stephanus ex Buſilla, Roberti Guiscardi nepte, genitus ſit; ſi filiam eius Stephanus, filiam vero Rogerii, qui fratre Guiscardo iunior erat, Colomanus duxiſſet; Stephanus ſeniorem fortaſſe coniugem, quam matrem, habiturus erat. Scriptores contra Poloni Polonam vxorem Stephano tribuunt, e quibus Dlugoſſus ad an. 1108. ita loquitur: (*a*) *Colomanus, Vngariae rex, filio ſuo natu maiori, Stephano, filiam Iuditham Boleslai, Polonorum ducis, deſponſat vxorem: prouinciam Scepuſienſem, quae tunc iuris Polonorum fuerat — Boleslaus filiae in dotem conſignat: ab eo quoque tempore ſequeſtrata a Polonia in proprietatem et ditionem Vngarorum tranſiit.* Huius narrationis fons ſunt obſcura haec Boguphali verba: (*b*) *Iſte Boleslaus filiam ſuam — Colomano, regis Hungarorum filio, matrimonialiter copulauit, qui nomine dotis caſtellaniam de Spieſſz, quoad viueret, poſſidendam aſſignauit: quem Colomanum, vna cum rege Hungarorum, Halicenſibus in regem praefecerunt.* Temere Dlugoſſus Colomano Stephanum ſuffecit, ac e caſtellania *de Spieſſz* Scepuſienſem prouinciam effinxit. Hic enim non de terra Scepuſienſi, ſed Halicienſi ſermonem fieri, Bugophalus ipſe prodit, quum Colomanum,

(*a*) Libr. IV. col. m. 372. (*b*) Ap. Som. T. II. p. 36.

manum, accepta caſtellania de Spieſſz, Haliciensem regem creatum ſcribit. Videtur ille non Stephanum, Colomani filium; ſed Colomanum alium, Andreae II. filium, qui, ducta Salomea Polona, Haliciae rex euaſerat, intellexiſſe. Certe, quum Stephanus idemtidem bellum Polonis intulerit; vix Polonam coniugem habuit. Nec alia Stephano coniux tribui veriſimilius poteſt, quam Adelhais illa, cuius pater Henricus, landgrauius de Stephling, mater Richardis, S. Leopoldi ſoror, erat: quae quum in epitaphio dicatur *Hungariae regina*; nulli regi, praeterquam Stephano, coniux tribui poteſt, ſi rationem aetatis vtriusque habeamus. (*a*)

A. C. 1124. *Steph.* II. *Ind.* 2. *P.* 6. *A.*

CCVI. Stephanus, receptis in Hungariam Cumanis, ab imperatore Graeco, Ioanne Comneno, ſub annum 1122. caeſis; ac Adelhaide, Sobieslai coniuge, quam Almi ducis filiam fuiſſe, plerique ſcriptores aſſerunt, anno 1123. beneuole ſuſcepta; hoc anno geminum diploma dedit, quorum altero coenobii de iuxta Gron priuilegia confirmauit, (*b*) *praeſentibus domino Marcello, archiepiſcopo Strigonienſi, et epiſcopis Gregorio, Geruaſio, Feliciano, Nano, Ambroſio, Simone, Valtero, Francſuka* (al. Francita) *comitibus Lamberto, Magnaldo, cum Paullo, Nicolao.* Alterum autem, quo Spalatinorum et Traguriņorum libertatem confirmat, Lucius ita refert: (*c*) „Et ego Stephanus, Colomani regis filius, „ rex Hung. Croat. atque Dalmatiae, anno dom. „ inc. MCXXIV. ind. II. menſe Iulio, nono anno „ regni

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 385—392. (*b*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 59. (*c*) Libr. III. C. IV. p. m. 187.

„ regni mei, eamdem libertatem et pacem, a pa-
„ tre meo vobis Tragurinis et Spalatinis ciuibus
„ ſtabilitam, cum epiſcopis et comitibus, et omni-
„ bus regni mei principibus, ſub eiusdem ſacramen-
„ ti obligatione, confirmo et corroboro. Ego Mar-
„ cellus, Strigonien. archiepiſcopus, laudo et con-
„ firmo: ego Gregorius, Baacien. archiepiſcopus; —
„ Simon, Quinqueeccleſiae epiſcopus; — Cledinus
„ comes; — Marcus, — Lambertus comes; —
„ Buzco comes; — Nicolaus; — Iacobus comes,
„ — Sergius comes. —" Quod de Colomano ſupra diximus, dicendum hic quoque de Stephano, non annos regni Hungarici, ſed Dalmatici, quum in Dalmatia Dalmatisque hoc diploma dederit, illum numerare, ſcilicet ab anno 1116. quo caeſus eſt Ordelaphus. (*a*)

A. C. 1127. *Steph.* 14. *Ind.* 5. *P.* 3. *A.*

CCVII. Ex Dalmatico Stephani II. diplomate patet, Spalatum et Tragurium in poteſtate Hungarorum hoc tempore fuiſſe. Stephanum autem, e Dalmatia reducem, exercitum in Polonos immiſiſſe, Turotzius ita perhibet: (*b*) *Inde reuerſus, miſſis exercitibus ſuis, fines Polonicos deuaſtauit.* Poſt bellum Ruſſicum itidem expeditionis, in Polonos ſuſceptae, paucis ita meminit: *Poſt haec tertio anno fines Polonicos, miſſis exercitibus, deuaſtauit.* Neutrius expeditionis cauſſam vllus veterum prodidit; vnde Cromerus vtramque reiicit, (*c*) *propterea quod neceſſitudo et affinitas Stephani cum Boleslao nihil hoſtile de ipſis inter ipſos opinari ſinit.* Sed enim

R 2 eam

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 393—403. (*b*) Chron. P. II. cap. 63. (*c*) Libr. V. p. 124.

eam neceſſitudinem et affinitatem nos quoque iam ſupra reiecimus; nihil igitur eſt, cur eas procurſiones, etſi cauſſas earum ignoremus, reiiciamus, ac ex illis potius arguamus, affinitatem illam inter eos non interceſſiſſe. Vberius expeditionem Ruſſicam idem Turotzius narrat, eiusque cauſſam aſſignat, quod, quum Colomanus plures in Dalmatiam expeditiones, rebus Hungaricis admodum vtiles, ſuſceperit, tantumque temporis illi non ſuperfuerit, vt cladem, a Ruſſis acceptam, vindicaret; (*a*) *in morte praecepit filio ſuo et principibus, vt ipſi poſt mortem ſuam ſuper Ruſciam vlciſcerentur iniuriam, quam ipſi fecerant.* Occaſionem id exſequendi Bezen, *Ruthenorum*, non *Teutonicorum*, vt apud Turotzium legitur, (*b*) dux, obtulit, quem Polonici ſcriptores Iaroslaum vocant. Is a Wladimiro, Kiouienſi duce, ditione ſua, Wladimiria, ſpoliatus, ad Stephanum, Hungariae regem, confugit. Hic ille Wladimirus eſſe, cuius fraude Colomanus cladem accepit, videtur. Ea fortaſſe territi Hungari, poſtquam dux, cuius cauſſa bellum hoc ſuſceptum fuit, ab erumpentibus Ruſſis caeſus eſt, pugnam detrectarunt. *Rex itaque*, ſubiicit Turotzius, *quum vidiſſet, ſe ſuorum auxilio iuſte deſtitutum, reuerſus eſt in Hungariam.* Haec indicant, graues inter regem et optimates diſcordias exarſiſſe; quod rex, pro gloria vindictaque porro pugnandum; optimates, ſanguinem popularium non eſſe prodigendum, cenſuerint. Et quia procerum vox haec erat: *Nos autem in Hungariam recedemus, et nobis regem eligemus;* Saulem fortaſſis ad regnum deſtinabant, vt Turotzius paullo poſt his verbis innuit: *Coniurauerat regnum, vt poſt eum filius ſororis eius Sophiae, nomi-*

ne

(*a*) Chron. P. II. cap. 62. (*b*) Ibid. cap. 63.

ne Saul, regnaret. Almus, fortaſſe huius coniurationis conſcius, quum Stephanum in alios ſaeuire comperiſſet, grauiora veritus, matura ſibi fuga conſuluit. *Dux Almus*, inquit ibidem Turotzius, *ſeueritate regis Stephani minoris, mediam capitis ſui diminutionem paſſus fuerat: quamuis fuiſſet obcaecatus; tamen mortem timens, de rege Stephano, fugerat in Graeciam: qui ab imperatore honorifice ſuſceptus, impoſuit ſibi nomen Conſtantinus: — et multi Hungari, atrocitate regis Stephani, fugerant ad ipſum.* (*a*)

A. C. 1128. *Steph.* 15. *Ind.* 6. *P.* 22. *A.*

CCVIII. Bellum quidem Ruſſicum Cromerus ad annum 1124. ad ſequentem Timon et Praius collocant; illud tamen ante 1127. defigi non poſſe, patet ex biographo Conradi, Salisburgenſis archiepiſcopi, qui, quum Hungari Stiriam inferiorem incurſionibus vexaſſent, aſſumtis tribus epiſcopis, in eam marchiam deſcendit, ac terrore ſui nominis effecit, vt Stephanus, nondum e Ruſſico bello reuerſus, per nuncios interpellatus, paci ſubſcripſerit. *Semel*, inquit biographus, (*b*) *eruptione ſolita Vngarorum, — pro hac re nuncius in Vngariam factus, auxilio archiepiſcopi Strigonienſis Feliciani, in tantum profeci, vt, iubente rege, — captiui omnes redderentur. — Quum — vsque Strigonium, quae metropolis regni eſt illius — veniſſem; — reſpondi:* „ non ſic venit dominus meus hoc tempore; ſed „ potius exſpectare eum diſpoſuiſſe, ſi, redditis ca„ ptiuis, foedus initum ſeruare vellent. “ *Hoc reſponſo*

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 403—418. (*b*) Ap. Hanſiz. G. S. T. II. p. 223.

ſponſo audito, nuncius ad regem dirigitur, qui tunc in Marchia Ruthenorum morabatur: et ſub feſtinatione captiui omnes cum vniuerſa praeda terrae ſuae reſtituuntur. Inter ſocios archiepiſcopi Conradi numerat Eckenbertum, Monaſterienſem epiſcopum, qui quum epiſcopatum hunc adierit 28. Febr. 1127. patet, bellum Ruthenicum, quod tunc gerebatur, poſt 28. Febr. 1127. collocandum eſſe; nec tamen illud vltra menſem circiter Maium anni 1128. differri poſſe, rurſus patet ex pia liberalitate Stephani regis, quam in Salisburgenſem baſilicam, 4. Maii huius anni triſtibus flammis hauſtam, expromſit, teſte laudato biographo, *nuncium vsque Salisburgum mittens, oneratum auro et argento et palliis innumeris.* Haec Stephani liberalitas tanto maiorem admirationem meretur, quanto pluribus ad grauiſſimum cum Graecis bellum ſuſtinendum impenſis opus eo tempore habebat. Initium huius belli Turotzius ita paucis exprimit: (*a*) *Deinde miſit exercitum, ſolummodo phalangas aulicorum ſuorum; et partes Bulgariae et Seruiae deuaſtauit.* Nicetas Choniates ſimul loca vaſtata, ſimul belli cauſſam ita deſignat: (*b*) *Sub aeſtatem Hunni, ſuperato Iſtro, et Braniſouam vaſtarunt, et moenibus dirutis, ſaxa Zeugminum transtulerunt, et Sardicam ſpoliarunt, ſpreto et rupto foedere. Huius controuerſiae occulta et vera cauſſa fuit:* „Stephani, Hunnorum principis, fra„trem ad ſe profugum imperator libentiſſime ſuſ„ceperat.“ *Id vero praetexebatur et palam obiiciebatur:* „quod Braniſouani Hunnorum mercatores „ſpoliarent, et peſſime tractarent.“ E ſynchrono hoc ſcriptore habemus veram, habemus praetextam huius belli cauſſam, quam etiam Cinnamus, ſcriptor

(*a*) Chron. P. II. cap. 63. (*b*) Edit. Venet. p. 10.

ptor itidem coaeuus, inſperſis quibusdam genealogicis erroribus, confirmat. (*a*) Errat enim, quum Almum et Stephanum fratres germanos ac eiusdem S. Ladislai filios facit, ac Stephanum Almo ſeniorem fuiſſe credit. Fide tamen digna ſunt, quae de his ita porro ſcribit: *Eapropter ad imperatorem confugit Almus, a quo et viſus libenter, et benigne exceptus; quippe iam uxorem duxerat Ioannes imperator Irenem, Vladislaui filiam.* De hac accipienda ſunt illa Turotzii verba: (*b*) *Interea imperatrix Conſtantinopolitana, filia regis Ladislai, nomine Pirisk, nunciauit regi Stephano, quod imperator ipſe, videlicet maritus ſuus, in eius opprobrium ipſi regi improperaret, dicens:* „regem Hungariae eſſe hominem ſaeuum.“ Mutuis deinde conuiciis pugnatum eſt; dum tandem Stephanus, Almo fruſtra repetito, Belgradum et Braniſouam euertiſſet, ac lapidibus auectis, vt Cinnamus ait, *ex iis Zeugmen* (Zemlinum) *condidiſſet in Sirmio.* (*c*)

A. C. 1129. *Steph.* 16. *Ind.* 7. *P.* 14. *A.*

CCIX. Iactis in hunc modum grauiſſimi belli fundamentis, Stephanus a Bohemis auxilium petiit ac obtinuit. *Sobieslaus*, inquit Pulkaua, (*d*) *Wenceslaum, filium Swatopluk, nepotem ſuum, Stephano, regi Vngariae, miſit in auxilium contra Graecos.* Ipſe vero rex Stephanus, morbo detentus, copiis ſuis *Stephelium*, fortaſſis ex genere *Stephling*, ex quo coniugem habuit, prognatum, praefecit. Ioannes quoque Comnenus, excitis in auxilium Genuenſibus

(*a*) Edit. Ven. p. 4. (*b*) Chron. P. II. cap. 63. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 418—430. (*d*) Ap. Dobner Mon. T. III. p. 157. Ad an. 1129.

ſibus et Perſis, nauibusque per Pontum Euxinum in Iſtrum promotis, ad fluuii ripam aliquantisper adhaeſit; quod Stephanus ad prohibendum eius tranſitum in Temeſienſi prouincia Hungaros excubare iuſſerit. Ad caſtellum *Haram*, Graecis *Chramum*, imperator tranſitum ſimulabat, vt Cinnamus ait; quum interea ſocios Iſtrum inferius traiicere iuſſit, ac *imperatoria triremi* transmiſit, vt Choniates ſcribit. Ab his Hungari, quum imperatorem intentis oculis obſeruaſſent, a tergo repente circumuenti, tantam cladem acceperunt, vt, teſte Turotzio, *riuulus Karaſu humano ſanguine in tantum mixtus fuerit, quod omnino ſanguis eſſe putabatur.* Hungaris ita fuſis fugatisque, facile fuit imperatori Haramo Sirmioque potiri. Sed vix ille ſuum exercitum reduxerat; quum Hungari, clade ſuorum irritati potius, quam territi, diſperſis in vnum collectis, Braniſouam obſederunt, Graecisque partim captis, partim fugatis, incenderunt. Quae res maiorem imperatori ſollicitudinem ac metum incuſſit, ne plura grauioraque Hungari porro deſignent. His igitur obuiam iturus, vt Cinnamus ſcribit, (*a*) *Braniſouam verſus expeditione iterum ſumta, inſtaurari vrbem quantocius curat. — Quod vt comperit Hungariae rex; ſtatuit, Iſtro quam citiſſime ſuperato, inopinantes ac nihil metuentes tale, inuadere.* De hoc edoctus imperator, *quum viribus longe impar, ſigna conferre cum hoſte non auderet; — retro ceſſit: neue cum Hungarorum copiis congredi neceſſe haberet; per loca impedita ac praerupta iter inſtituit. Ibi in nouiſſimi agminis cohortes de improuiſo irruentes Hungari, cetera quidem nihil Romanis nocuerunt, raptisque tantum aulaeorum fragmentis, —* *redie-*

(*a*) Libr. I. Cap. V.

redierunt. Ita quidem Cinnamus cladem ſuorum eleuat; at eam non leuem fuiſſe, colligitur tam ex praecipiti fuga, quam ex pace mox inita, cuius Choniates ita meminit: (a) *Poſt alias dimicationes, pace cum hac gente facta ac vtiliter firmata;* quam non procul a Borouch, forte Bononia, confectam eſſe, Turotzius ita refert: (b) *Poſt haec imperator et rex per fideles nuncios conuenerunt ad colloquendum, nauigantes in inſulam, quae ciuitati Borouch proxima eſt. Ibi vero inter principes ſuos diu ſe excuſantes et incuſantes, tandem pace roborata, redierunt ad propria.* (c)

CCX. Ad hanc pacem facilius componendam non parum contuliſſe videtur obitus Almi, facis huius belli: *quo mortuo*, teſte Turotzio, *corpus eius, praecepto regis, Fulbertus epiſcopus reportauit, et in Albenſi eccleſia ſepeliuit.* Quod indicat, Stephanum illi plene reconciliatum fuiſſe. Hic denique fuit exitus Almi, qui, poſtquam pluribus turbis Hungariam inuoluiſſet; regiam dignitatem, quam ipſe conſequi numquam potuit, in filium et poſteros transmiſit; ac deficientibus aliis Arpadianae ſtirpis ramis, ſuſceptis ex Ingonis, Sueciae regis, filia liberis, regium ſanguinem longiſſime propagauit, 13. Hungariae reges e ſuis poſteris daturus. Stephanus enim, ex occultis diuinae ſapientiae conſiliis, nullum heredem, in quem regni curas ab obitu ſuo deuoluere poſſet, ſuſcepit. Admodum igitur anxius erat, ne regnum ad orbitatem et regiae ſtirpis interitum, Almo iam defuncto, redigeretur, ignarus, Belam adhuc ſuperſtitem eſſe, qui clam a principibus

(a) Cap. V. Edit. Ven. p. 10. (b) Chron. P. II. cap. 63. (c) Hiſt. Cr. T. III. p. 430—439.

cipibus educabatur. Creuit haec ſollicitudo, poſtquam aliqui, quos nulla regii ſanguinis praerogatiua commendauerat, regiam dignitatem ambiuerunt. *Contigit autem*, inquit Turotzius, (*a*) *vt rex incideret in grauem infirmitatem Agriae, ita vt omnes illi mortem imminere viderent. Bors vero comes et Iuan, inani ſpe ducti, a traditoribus in regem electi ſunt. Quum autem, DEO volente, rex conualuiſſet; Iuani caput decollauit; Bors vero comitem turpiter de curia reiecit in Graeciam.* Scenica haec regum electio tunc facta fuerit, quum Ioannes Comnenus Hungaros ad Haramum profligauit. Huic enim praelio Stephanum non interfuiſſe, morbo praepeditum, Cinnamus teſtatur. Neque ſe rex Martius continere potuiſſet, quin, qui Ioanni prius inſultauerat, quod in praelium deſcendere non auderet, exercitum ipſe duxiſſet; niſi morbus obſtitiſſet. Ex quo quamprimum conualuit, cladem, Hungaris illatam, vlturus, ita cum copiis aduerſus Graecos iter accelerauit, vt eos oppreſſurus fuerit; niſi matura ſibi fuga conſuluiſſent. Nunc igitur, et hoſtibus ad pacis conditiones adactis, et ſcenicis regibus digno ſupplicio multatis, deliberare coepit, cui regnum, ſi vel iterum morbo corriperetur, vel inopinata morte defungeretur, committendum eſſet. Proceres, quorum conſcientia Bela clam aſſeruabatur, opportunam hanc occaſionem eius manifeſtandi libenter arripuerunt. Ex diplomate Geiſae II. quod abbatiae Pétsvaradienſi dedit anno 1158. conſtat, illic Belam biennio delituiſſe; quamuis Turotzius illum diutius occultatum et a Stephano dudum pro mortuo habitum eſſe, his verbis innuat: (*b*) *Bela vero, filius eius, in Hungaria occulte tenebatur a principibus*

(*a*) Chron. P. II. cap. 63. (*b*) Chron. P. II. cap. 63.

cipibus propter furorem regis: qui omnes, inito conſilio, regi manifeſtauerunt, quem poſt excaecationem mortuum credebat: quem quum rex veraciter ſciuiſſet viuere a Paullo epiſcopo et Othmare comite, quorum conſcientia retentus erat, gauiſus eſt gaudio magno; quia absque dubio ſciebat, ſe heredem non habere, ſtatimque miſit nuncios in Seruiam; et filiam Vros, comitis magni, in legitimam vxorem Belae traduxerunt: quae non poſt multos dies procreauit Geycham: quo audito, rex gauiſus eſt valde. Diſpoſuerat eum rex viuere in Tulna; et dabantur ei regalia ſtipendia. De ceteris Belae filiis poſtea. (*a*)

A. C. 1131. *Steph.* 18. *Ind.* 9. *P.* 19. *A.*

CCXI. Quum continuis morbis Stephanus vrgeretur, ac ex aluo ſoluta breui moriturus putaretur; Hungari, qui fauores regios, Cumanis, nouem abhinc annis in regnum receptis, praeſtitos, aequis oculis aſpicere non poterant, in eos impetum fecerunt; et, quod a rege, cuius illi fauoribus abutebantur, nihil iam metuerent, plurimos interfecerunt. Auditis eorum querelis, quum vindictam Stephanus, vbi conualuerit, promiſiſſet; (*b*) *extendit manus ſuas in Cunos, qui praecipites irruerunt ad oſculandum manus eius: et prae nimia preſſura defatigauerunt regem: vnde etiam recidiuo dolore correptus, ſublatus eſt de medio. Sed, quum eſſet in articulo mortis; monachalem habitum, relicto regno, ſuſcepit anno regni ſui XVIII. et ſepultus Varadini; migrauit autem ab humanis anno dom. MC XXXI.* Ita Turotzius, non minus in Stephanum, quam

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 439—449. (*b*) Turotz. P. II. cap. 63.

quam in eius patrem Colómanum iniquus, illum cum iniuria popularium Cumanis addictum fuiſſe ſcribit; cuius tamen aequitatem monumenta ſupra laudata; bellicam vero virtutem tot victoriae, de hoſtibus diuerſis relatae; Dalmaticae ciuitates vindicatae; Polonorum, Auſtriacorum, Graecorum iniuriae, feliciter repreſſae, ſatis ſuperque docent. Sicut autem bella nonniſi coactus ſuſcepit; ita pacem datam ſancte ſemper coluit; nec, niſi ritu poenitentis, aſſumta veſte monaſtica, mori; nec alibi, quam ad pedes aui ſui, S. Ladislai, Varadini condi voluit: quae res pietatem eius abunde teſtantur. Decimum octauum principatus annum tertia Februarii huius anni 1131. quo chroniſtae paſſim eum obiiſſe perhibent, inchoaſſe dumtaxat dicendus eſt. Quum mortem imminere ſibi perſenſiſſet; opera pia geminauit, ac primum in Hungaria monaſterium Praemonſtratenſibus, quos S. Norbertus inſtituit anno 1120. ad Magno-Varadinum excitauit anno 1130. Lambertus comes in Bozok, eodem Stephano regnante, coenobium itidem ſacrae huic familiae condere coepit. Sub eius principatu, praefuit metropoli *Strigonienſi* Laurentius anno 1116. Marcellus 1124. Felicianus 1127. *Spalatenſi* Manaſſes 1115. eccleſiae *Batſienſi* Gregorius 1124. eodem *Quinque-eccleſienſi* Simon; *Zagrabienſi* Francita; *Colocenſi* Fulbertus, aliis Tulbertus. E profanis magiſtratibus *palatinus* occurrit Ioannes anno 1116. Incertarum ſedium epiſcopi Geruaſius, Ambroſius, Valterus, Felicianus, Paullus, Belae fautor et altor, de quo iam. (*a*)

§. XVII.

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 452—458.

§. XVII.

BELA II. REX XI.

Coepit A. C. 1131. *deſiit A. C.* 1141.

A. C. 1131. *Bel.* 1. *Ind.* 9. *P.* 19. *A.*

CCXII.

Bela II. cognomento Caecus, patrem Almum, auum Lambertum, proauum Belam I. habuit, a quo non magis, quam Stephanus II. cui ſucceſſit, diſtabat. Eius matrem, Ingonis, Sueciae regis, filiam fuiſſe, Grebnerus, fonte non indicato, perhibet; (*a*) quam anonymus apud Ludewigum Ingelburgem vocat. (*b*) Vt autem vno velut intuitu pateat, quibus maioribus Bela II. ortus fuerit; quomodo ſtirpem Arpadianam, dum tandem in Andrea III. deficeret, per XII. reges, ſuos in Hungaria ſucceſſores, propagauerit, haec arbor genealogica, reſectis ramis minus neceſſariis, oſtendet:

Bela I. Rex Hungariae V.

Geiſa I. R. VII. S. Ladisl. R. VIII. Lambert.

Colomanus R. IX. Almus dux.

Stephanus II. R. X. Bela II. R. XI.

Geiſa II. R. XII. Ladisl. II. R. XIV. Steph. IV. R. XV.

Stephanus III. R. XIII. Bela III. R. XVI.

Emericus R. XVII. Andreas II. R. XIX.

Ladislaus III. R. XVIII. Bela IV. R. XX. Stephan.

Stephan. V. R. XXI. Andr. III. R. XXIII.

Ladisl. IV. R. XXII.

Be-

(*a*) Comp. Hiſt. Vniu. T. II. p. 630. (*b*) Reliqu. MSS. T. IX. p. 635.

Bela Caecus, tantis maioribus ortus, tantis poſteris inclitus, etſi nec patrem, nec auum regia dignitate conſpicuum habuerit, quia tamen vnicus ex Arpadi ſtirpe ſurculus maſculus ſuperfuit; a viuo Stephano heres et ſucceſſor deſtinatus, eodem ſuperſtite, kalendis Martii, moderandum Hungariae regnum accepit. Budenſe chronicon ad Turotzii caput 64. addit: *Et mortuo* Stephano, *coronatur IV. kal. Maii, feria III.* Quia hoc anno littera dominicalis erat D. quartus dies ante kal. Maii, ſeu 28. Aprilis, incidit in feriam III. quae dominicam in Albis conſequebatur. Quum igitur hae notae temporis inter ſe congruant; propter incertum Lucii documentum a certo hoc teſtimonio, quo Bela non ante, ſed poſt mortem Stephani coronatus dicitur, non eſt recedendum. Adminiſtratio tamen regni, quod Stephanus, *monachali habitu ſuſcepto, reliquiſſe* ſcribitur, illi commiſſa videtur kalendis Martiis anni huius, vnde numerati, quos Turotzius Belae tribuit, anni 9. menſes 11. dies 12. deducunt nos ad idus Februarii 1141. quo Belam obiiſſe tradit. (*a*)

A. C. 1132. *Bel.* 2. *Ind.* 10. *P.* 10. *A.*

CCXIII. Duas Bela ſorores habuit; Adelhaidem alteram; Sobieslao Bohemo iam ante 1123. nuptam; alteram Heduigem, Adalberto, S. Leopoldi, marchionis Auſtriae, filio collocatam, vt excerptum Rikardianum his verbis teſtatur; (*b*) *Vxorem habuit Hathuigem, filiam Almi, Vngarorum ducis, ſororem Belae Caeci regis, quam duxit anno* 1132. Nec multo poſt, praeſentem vtriusque, tam noui, quam vete-

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 458—463. (*b*) Ap. Pray Ann. P. I. p. 124.

veteris affinis opem expertus eſt aduerſus Borichium: qui quum ex Predslaua, Colomani coniuge ſecunda, per adulterium natus fuiſſet; pro vero Colomani filio ſe venditabat, ac poſt Stephani mortem ſibi prae Bela ius in Hungariam arrogabat. Quare de Stephani morte certior redditus, quo dignior ſolio haberetur; Calo-Ioannis, Graecorum imperatoris, cognatam matrimonio ſibi iunxit, ac in Poloniam ex Graecia digreſſus, facile Boleslao duci perſuaſit, vt ſociam ad occupandum Hungariae regnum operam iungeret. Tam Otto Friſingenſis, (*a*) quam Turotzius perhibet, (*b*) Borichium a ſeditioſis quibusdam Hungaris euocatum eſſe. His ſubinde detectis ac e medio ſublatis, *rex*, inquit Turotzius, *deſcenderat prope fluuium Seo: et quum ſederet in papilione ſua cum ſuis principibus et militibus; ecce Samſon intrauit, et regi dixit:* „Quid facis, viliſſime „ canis, cum regno? Vtilius eſt domino tuo Borich „ regnum habere: et tu viuas in monaſterio tuo. —" Mox, equo conſcenſo, fidelium vltrices manus effugit. Sperabat nempe homo factioſus, iis contumeliis vel regem ad pugnam prouocandum, quam ille prudenter in hac animorum fluctuatione declinabat; vel proceres ab eius fide defecturos, qui tam deſpectus ac ad regendum ineptus haberetur. Sed ſecus euenit. Proceres enim non tantum fidem, Belae iuratam, integerrime coluerunt, conſtanterque retinuerunt; verum etiam, miſſis ad auxiliarium Borichianorum duces nunciis, ſuam ea de re mentem aperuerunt, eosdemque ſua hac conſtantia remiſſiores ad iuuandum Borichium reddiderunt. *Proceres*, pergit Turotzius, *regni Hungariae miſerunt*

(*a*) Libr. VII. Cap. XXI. p. m. 151. (*b*) Chron. P. II. cap. 64.

runt ad ducem Ruthenorum et Polonorum, qui pro Borichio venerant, dicentes: „non decet vos contra iuſtitiam quaerere regnum homini adulterino. „Nos enim ſcimus, quod de iure regnum habere „debeat Bela: et ipſe regnat cum conſenſu totius „regni.“ *His auditis, duces Ruſſiae et Poloniae deſtiterunt amplius adiuuare Borichium, et reuerſi ſunt ſinguli in ſuas prouincias.* Continuator Coſmae Pragenſis addit: (*a*) *Boleslaus, cum ſuis perterritus, exſpectata nocte, fugam iniit: quem Vngari inſequuti, DEO auxiliante, multos in ipſa fuga interfecerunt.* Sperauerit nempe Boleslaus, Hungaros aduentu ſuo percellendos Belamque deſerturos eſſe. Sed, vbi vidit, illum conſenſu totius regni defendi, crudele ſupplicium de proditoribus ſumi, Borichium a ſaniore procerum parte reiici; iuſto metu correptus, tempori copias retraxit. Cromerus aliam quoque, cur Boleslaus reditum accelerauerit, cauſſam addit, quod ſcilicet Sobieslaum, Bohemiae ducem, in Poloniam, milite vacuam, irrupiſſe comperit. (*b*)

A. C. 1133. *Bel.* 3. *Ind.* 11. *P.* 26. *M.*

CCXIV. In auxilium affinis ſui, Belae regis, Adalbertum Auſtrium, fratrem ſuum, Otto Friſingenſis veniſſe ſcribit; cuius aduentum *aduerſus Borichium* Richardus Neoburgenſis ad annum 1133. deponit. (*c*) Ad hunc igitur annum referenda ſunt, quae ſine certa nota temporis Otto Friſingenſis ita narrat: (*d*) *Bela rex, mox adſcito ſibi Alberto, Leopoldi*

(*a*) Ad annum 1132. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 463—471. (*c*) Ap. Hant. Faſt. Camp. T. I. p. 231. (*d*) Ap. Vrſtiſ. T. I. p. 151.

poldi marchionis filio, qui eius ſororem habuerat, ac quibusdam de regno noſtro nobilibus, Boritio occurrit. Ille vero, audito ſtrepitu ac adhortantium voce, ex linguae idiomate multitudinem Teutonicorum in acie fore cognoſcens, illorum potius, quam Vngarorum terrore perculſus, vna cum Polonorum duce, amiſſis in ſuga multis, terga vertit. Boleslaum hoc anno Hungaricam expeditionem reſumſiſſe, Polonici ſcriptores itidem perhibent; multa tamen de Stephani II. filiis, Buda, Viſegrado fabuloſa miſcent. Turotzius decretoriam hanc cum Borichio pugnam ita deſcribit: (*a*) *Borich autem cum multitudine populorum venit pugnare contra regem. Rex autem, diuino fretus conſilio et auxilio, contriuit omne robur Borichii in praelio: et fugauit illum in gladio: concluſitque exercitum Polonorum in morte, in ipſa feſtiuitate Mariae Magdalenae, accipiens ſpolia eorum; et reuerſus eſt cum magna victoria.* Quamuis ille bellum hoc vna ſerie narret; quia tamen Polonos, audita Hungarorum ad Belam retinendum et defendendum obſtinatione, primum reuerſos, deinde vero cum Bela congreſſos et victos eſſe teſtatur; innuit, geminam hanc et diſtinctam expeditionem fuiſſe, quam plerique hactenus confuderunt. Bello feliciter confecto, cognati principes, Bela Caecus et Sobieslaus, amicum ad Vag colloquium habuerunt, et *tandem*, inquit continuator Cosmae Pragen. (*b*) *perfecto negotio ſuo*, Sobieslaus *ad propria rediit.* (*c*)

A.

(*a*) Chron. P. II. cap. 64. (*b*) Ad annum 1133. (*c*) Hiſt. Crit. T. III. p. 471—477.

A. C. 1134. *Bel.* 4. *Ind.* 12. *P.* 15. *A.*

CCXV. Quale hoc negotium, quod amici principes ſimul pertractarunt, fuerit, etſi nullus memoriae prodiderit; ex iis tamen, quae continuator ille de miſſis ad Lotarium imp. legatis ſubiungit, colligi poteſt. Veritus nempe Bela, ne nouas inquietus Borichius turbas cieat, neue vel Boleslaum Polonum ad expeditionem Hungaricam iterum permoueat, vel ipſum Lotarium in ſuas partes pertrahat; prouido conſilio praeueniendas illius molitiones, ac aures imperatoris occupandas, animumque muneribus ſibi deuinciendum cenſuit. Poſtquam autem laudatus continuator legationem opera Sobieslai ducis optatum effectum ſortitam fuiſſe narraſſet; duas praeterea res eodem anno peractas eſſe refert, quibus amicitia hos inter principes arctius adſtringebatur. Nam et Bela Caecus, vt ille ſcribit, (*a*) *a duce Sobieslao petiuit:* vt infantem eius de fonte ſanctae regenerationis leuaret: — *et dux Sobieslaus leuirum ſuum, regem Vngarorum, rogabat:* „quatenus ſororem coniugis ſuae, videlicet reginae, principi Conrado Znoymenſi in coniugium traderet, „quo percuſſum foedus inuicem, huiusmodi cauſ„ſis corroboratum, firmius perduraret." Vtrumque continuator impetratum ait, miſſumque Megnardum, Pragenſem epiſcopum, in Hungariam *cum infante*, qui *die pentecoſtes* ſacro fonte luſtratus fuerit. Sed quis credat, in Hungariam ex Bohemia miſſum infantem, vt hic ſacro latice tingeretur? Melius igitur Marignolius tradit, (*b*) baptismum non Sobieslai, ſed Belae Caeci filio collatum eſſe. Megnardus, inquit, *in die pentecoſtes baptizauit filium regis, a quo*

(*a*) Ad annum 1134. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 278.

quo rege donis maximis remuneratus, — duci — omnia — reſignauit. (*a*)

A. C. 1135. *Bel.* 5. *Ind.* 13. *P.* 7. *A.*

CCXVI. Bela, compoſitis rebus externis ac bellicis, ad domeſticas ſacrasque curandas conuerſus, inchoatam a Lamberto, S. Ladislai ſororio, viuente Stephano II. praepoſituram Bozokienſem auctoritate regia Vacii confirmauit, ſuoque diplomati iam etiam Ramae regis titulum praefixit, quod ita habet: (*b*) „Bela, D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramae„que rex. — Notum ſit, — qualiter Lampertus „comes, cum vxore ſua Zophia et filio ſuo Nico„lao, ſpe ſupernae remunerationis, et pro remedio „animarum ſuarum, in honorem S. regis Stepha„ni, in praedio ſuo, quod vocatur Bozouk, glo„rioſo Stephano II. regnante; Feliciano vero, ven. „viro, archiepiſcopo Strigon. exſiſtente, coenobium „conſtruxerunt. — — Paztuh, vbi erat regalis „curia, dedit rex Ladislaus C. Lamperto cum ſo„rore ſua, quam dederat ei in vxorem. — Plat„na, quod praefatus S. Stephanus rex C. Lamper„to (*huius auo*) dedit in hereditatem; poſtea vero „nepotes eius, ſcilicet Lampertus, et frater eius „Ypolitus, pactum inierunt, vt terram — non di„midient. — — Anno ab incarn. dom. milleſimo „CXXXV. —" Lamperti huius caedem melius poſt bellum Borichianum a Pethöne differri, colligitur ex hoc diplomate, poſt illud dato, in quo nullum indicium vel eius caedis, vel eius perduellionis apparet. Auctor caedis Hyppolitus, qui hic eius frater dicitur, fuiſſe videtur. Exſtat aliud eiusdem

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 485—492. (*b*) Ex MSS. Batthyan.

Belae diploma, hoc itidem anno confectum, in quo C. Lampertus inter teſtes laudatur, in haec verba: (*a*) „ Anno MCXXXV. ind. XIII. epacta IV. „ concurrente I. regni vero Belae II. anno V. — — „ Exſiſtentibus perſonaliter magnatibus, Feliciano, „ Strigonien. Simone, Colocenſi archiepiſcopis; Ba- „ na, Quinqueeccleſ. Beſtrio Agrien. Petro Geurien. „ item Petro Veſprim. Paullo palatino et C. Baa- „ cien. Bucan, C. curiali et Bihor. Lamperto, C. „ Budrug. Heidrico, C. Sopron. —" Superſtes igitur adhuc Lampertus fuit, quem veriſimilius anno ſequente caeſum ex Pethöne videbimus. (*b*)

A. C. 1136. *Bel.* 6. *Ind.* 14. *P.* 22. *M.*

CCXVII. Etſi Turotzius ſub initia Belae narret, quomodo Helena regina de mariti ſui caecitatis auctoribus vindictam ſumſerit; id tamen non ſtatim ab adito regno factum fuiſſe, vel inde perſpicuum eſt, quod ipſe Helenam reginam ita loquentem inducat, vt iam tunc quatuor ex Bela filios ſuſtulerit: quos ſub initia Belae iam ſuſceptos fuiſſe, nemo ſibi perſuaſerit. Immo ſuam narrationem ita hac de re Turotzius orditur, vt prius illos, qui Borichio contra Belam adhaeſerant, fractos eſſe, huiusque regnum aduerſus inimicos per affinitates et legationes, de quibus ante hunc annum egimus, ſtabilitum innuat. *Confirmatum eſt*, inquit, (*c*) *regnum in manu eius: et inimicos eius dedit dominus in opprobrium vsque in praeſentem diem: genuitque 4 filios, ſcilicet Geyſam, Ladislaum, Stephanum et Almum. Quo regnante, regina Helena, habito conſilio*

(*a*) Ex MSS. Praianis. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 492—500.
(*c*) Chron. P. II. cap. 64.

ſilia regis et baronum, fecit congregationem generalem in regno iuxta Arad. Illa igitur die dictae congregationis, dum rex ſediſſet ſuper ſolium regni ſui; venit regina cum filiis ſuis, et ſedit circa regem: dixit autem ad populum vniuerſum: „— Volo audire, cur dominus noſter rex ſuis oculis ſit „ priuatus; et quorum conſilio hoc ſit actum, mo„ do propalate: et eos fideliter in hoc loco vindi„ cantes, nobis de ipſis finem date. Ecce enim „ DEVS regi veſtro pro duobus oculis dedit filios „ quatuor. “ *Facta igitur hac voce, irruit omnis populus ſuper illos barones, quorum conſilio rex obcaecatus fuerat: et quosdam ex ipſis ligauerunt; quosdam vero detruncauerunt.* Atque huc collocat caedem Lamberti Gregorius Pethö ſuis in chronicis. *Ezek között*, inquit, (*a*) *fök valának Lampert. etc.* de quo, loco non ſuo, Turotzius ita loquitur: *Orta eſt ſeditio; et ibidem ceperunt Lampertum comitem: quem quum extraxiſſent a rege; frater eius germanus* (f. Hyppolitus) *cum ſedili quodam ſcidit per medium caput eius; et cerebrum per ſciſſuram exiuit. Nicolaum comitem, filium eius, ibidem decollauerunt.* Bela II. quatuor filiis, vt vidimus, auctus, Geiſam quidem primogenitum, regni heredem, vt is poſtea de ſe teſtatus eſt, ſibi ſucceſſorem deſtinauit; Ladislao vero, ſecundo genito, Bosnenſem ducatum, Ramae regno connexum attribuit, vt hoc monumentum docet: *Bela rex inclitus in conuentu Strigonienſi, — filio ſuo Ladizlao, communi regni conſilio, Boznenſem ducatum dedit, in inſula abbatiae monialium, vbi eſt eccleſia S. MARIAE.* — (*b*)

(*a*) Philyr. D. col. 8. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 500—510.

A. C. 1137. *Bel.* 7. *Ind.* 15. *P.* 11. *A.*

CCXVIII Magnam inter Belam regem et Sobieslaum ducem amicitiam viguiſſe, liquet iterum ex iis, quae continuator Coſmae Pragenſis ita refert: (*a*) *Dux Sobieslaus in quadrageſima leuirum ſuum, regem Vngariae conuenit. — Egregia ductrix, Adleyta, ardenter cupiens feſto B. Stephani regis et conf. adeſſe, Pannoniam petiit: ſed ibi diutius a fratre retenta eſt, donec patrem ſuum Almum ſepeliuit;* vel potius ſollemniores eidem exſequias habuit, cuius cadauer Stephanum ex Graecia referri iuſſiſſe, ſupra vidimus. Nec enim eſt credibile, ſi tumulatum Almi corpus antea non fuiſſet, tamdiu Belam filium officio ſuo defuturum fuiſſe. Hic DEO, largitori bonorum omnium, ſe gratum praeſtiturus, diploma regium, pietatis ſenſu refertum, coenobio S. Martini dedit, omiſſo iam hic titulo *Ramae* regis, cui ſubſcripti ſunt: *Felicianus archiepiſcopus; Petrus, Beſprimien. epiſcopus; Paulus, Iaurinenſis epiſcopus; Fanzal* (al. Franzel) *palatinus comes. — Acta ſunt haec anno dom. incarn. MCXXXVII. epacta XXVI. concur. IV. celebrato paſcha III. idus Aprilis.* (*b*)

A. C. 1138. *Bel.* 8. *Ind.* 1. *P.* 3. *A.*

CCXIX. Eadem rurſus beneuolentia S. Benedicti filios in monte Pannoniae complexus, iisdem nouo diplomate controuerſam Szalae poſſeſſionem aſſeruit, iisdem ſubſcriptis, *anno dom. inc. MCXXX VIII.* Praepoſituram quoque Demeſienſem, a patre ſuo dudum inchoatam, ſed ad apicem non perductam,

(*a*) Ad annum 1137. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 511—516.

ductam, et perfecit, et nouis fundis auxit, edito diplomate, quod meminit, praeter Felicianum Strigon. Paullum Iaur. Petrum Veſprim. *Marcharii Quinqueeccleſien. Marcellini Vacien. Beskei Tsanadien. Walterii Varad. — Scriptor autem priuilegii huius Aegidius, capellanus Ladislai ducis, fuit.* Tertio huius anni diplomate Spalatenſis eccleſiae iura confirmauit, vſus hic etiam titulo *Ramae* regis. Belam igitur Spalatum poſſediſſe, cum iſtud diploma docet; tum id, quod ſaepius Innocentium II. interpellauerit, vt Gaudio, Spalatenſi metropolitae, pallium concederetur, cui pontifex exprobrauit, quod, *contra veterum conſuetudinem, a Strigonienſi archiepiſcopo conſecrationem ſuſceperit.* (*a*)

A. C. 1139. *Bel.* 9. *Ind.* 2. *P.* 23. *A.*

CCXX. Piae ſollicitudini, quam in Dalmatiam Bela porrexerat, in Hungaria rurſum expromendae cauſſam et occaſionem obtulerunt fugitiui quidam e ſacra praefectura Bozokienſi ſerui, quos rex iterum iterumque priſtinis dominis reſtitui iuſſit, ſubſcriptis regio diplomati, praeter Felicianum archiepiſcopum, epiſcopis *Marcellino Vacienſi, Petro Veſprimienſi, Barano, Vltraſiluano.* Vulgata Belae virtutum fama, Sophiam, eius filiam, Conradus imperator Henrico, filio ſuo, ſponſam anno ſuperiore per legatos expetiit. Hoc anno traditam fuiſſe, continuator Coſmae Pragenſis teſtatur, (*b*) Omnium fuſiſſime biographus S. Ottonis, epiſcopi Bambergenſis, Belae pietatem ac munificentiam deſcribit. In Admontenſi ſanctimonialium coenobio depoſita Sophia, poſtquam ſponſus ante nuptias obiiſſet; nullis

S 4 Gei-

(*a*) Ibid. p. 516—527. (*b*) Ad annum 1139. p. 35.

Geiſae fratris molitionibus inde reuocari potuit, vbi ſoli DEO ſeruitura, conſtantem ſibi ſedem elegit. Cum ea Salomonis vxorem aliqui poſtea confuderunt. (*a*)

A. C. 1140. *Bel.* 10. *Ind.* 3. *P.* 7. *A.*

CCXXI. Dolor, quem ex dimiſſa filia rex acceperat, geminatus eſt; poſtquam et amiciſſimum affinem Sobieslaum 14. Febr. defunctum, et Adelhaidem, ſuam ſororem, 15. Septembris exſtinctam audiuiſſet. Quumque Bohemiam ſibi vindicaſſet Wladislaus, Sobieslai nepos ex fratre Wladislao; filius ipſius Sobieslai ducis, itidem Wladislaus, vt cont. Coſmae Pragenſis ſcribit, (*b*) *anno dom. incarn. mill. CXLI. — habuit feſtum natalis domini in villa, quae vocatur Swohoſt. Ibi puer Wladislaus ipſo feſto die, dum nox occupauerat totum mundum, iniit fugam ad auunculum ſuum, nomine Bela, qui tunc regnabat in Vngaria.* Non alius eſt apud hunc continuatorem feſto natiuitatis, a quo ſolet annum inchoare, annus 1141. quam apud nos 1140. (*c*)

A. C. 1141. *Bel.* 10. *Ind.* 4. *P.* 30. *M.*

CCXXII. Quia nonnulli cenſuerunt, continuatorem illum a kalendis Ianuariis annum inchoare; Belae regis obitum ad annum 1142. retruſerunt; ita ratiocinati: Si puer Wladislaus ad auunculum ſuum effugit feſto natiuitatis anno 1141. Bela Caecus, eius auunculus, ſub initium eiusdem anni 1141. mortuus non fuit. At, oſtenſo iam huius ratiocinationis vitio, fidem adhibere Turotzio poſſumus, qui

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 528—534. (*b*) Ad an. 1141. p. 40. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 534—536.

qui Belae mortem ita conſignauit: (*a*) *Regnauit ipſe Bela Caecus annis IX. menſibus XI. diebus XII. Migrauit autem ad dominum anno dom. MCXLI. idibus Febr. feria V.* Quum hoc anno littera dominicalis fuerit E. idus, ſeu XIII. Febr. cum feria V. concurrit. Hinc retro numerati 9. anni, 11. menſes, 12 dies deducunt nos ad kal. Martias anni 1131. Tunc enim Bela, poſtquam Stephanus monachum induiſſet, adminiſtrationem regni ſuſcepit, poſt Stephani mortem 28. Aprilis coronatus. Temulentiae vitium Belae Turotzius his verbis appingit: *Poſtquam autem regnum confirmatum eſt in manu regis Belae; vtebatur ex vino multum.* Biographus tamen S. Ottonis, quum eius legatos a Bela ſplendide die paſchatis exceptos fuiſſe ſcribit; nullius temulentiae, ſed eximiarum potius Belae virtutum meminit. Oculorum certe defectum vigili cura, flagranti pietate, magnifica liberalitate, mira prouidentia ceterisque virtutibus egregie ſarſit. E monumentis ſupra laudatis eruimus, eo regnante, fuiſſe *Strigonienſem* archiepiſcopum Felicianum annis 1134—1139. *Spalatenſem* Gaudium 1136. 1138. *Colocenſem* Simonem 1135. *Batſienſem* Francicam 1133. ep. *Zagrabienſem* Macellinum 1133. 1136. *Nitrienſem* Nicolaum 1133. *Quinqueeccleſien.* Banam 1135. Macharium 1136. 1138. *Agrienſem* Beſtrium 1135. *Iaurinenſem* Petrum 1135—1138. *Vacien.* Marcellinum; *Tsanadien.* Beskei; *Varadien.* Valterum eodem 1138. incertarum ſedium Saulum, Martinum, Zacchaeum 1136. Comitem *palatinum* Paullum 1135. Fauſal 1137, Comitem *curialem* Bucan 1135. Georgium 1138. Documentum archiepiſcopi Feliciani, quod edidit anno 1133. (*b*) Batſienſem *archiepiſcopum*

(*a*) Chron. P. II. cap. 64. ſecundum Edit. Brun. et Aug.
(*b*) V. Hiſt. Crit. T. III. p. 479.

pum nominat ſub S. Ladislao Fabianum, ſub Bela Francicam; quia tamen Fabianus paullo poſt epiſcopus appellatur; error irrepſiſſe videtur. Si Nicolaus Nitrienſis epiſcopus bene hic expreſſus eſt; Nitrienſis epiſcopatus ante Geiſam II. conditus fuit; non tamen ante Colomanum, qui Nitrienſem praepoſituram Poſonienſi ſimilem in legibus ſuis facit. (*a*)

§. XVIII.

GEISA II. REX XII.

Coepit A. C. 1141. *deſiiit A. C.* 1161.

A. C. 1141. *Geiſ.* 1. *Ind.* 4. *P.* 30. *M.*

CCXXIII.

Bela II. rebus humanis exemto, Geiſa II. eius filius, illico ſucceſſit, coronatus, vt chronicon Budenſe habet, (*b*) *in dominica* Inuocauit me, *transactis duobus diebus poſt mortem patris.* Quum dominica, quam a primis miſſae vocibus *Inuocauit me* dicimus, ſeu I. quadrageſimae, hoc anno 16. Febr. fuerit; inter 13. Febr. qua Bela II. deceſſit, et 16. Febr. qua Geiſa II. coronam ſuſcepit, integri duo dies interceſſerunt. Non igitur *IV. kal.* vt Chr. Bud. habet; ſed *XIV. kal* Martii; nec *in die S. Caeciliae V.* vt Turotzius ait, ſed *S. Iulianae V.* Geiſa coronatus eſt. Vt primum Spalatenſes intellexerunt, Geiſam regno potitum eſſe; ſuum de patris eius obitu dolorem teſtati, feliciaque nouicio regi regni primordia gratulati precatique fuerunt. Geiſa huic eorum humanitati

(*a*) Ibid. p. 536—540. (*b*) Ad Tur. P. II. Cap. 65.

tati humaniſſimis hisce litteris reſpondit: (*a*) „G.
„ DEI gratia Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex,
„ G. (*Gaudio*) ſuo archiepiſcopo, Cernechae co-
„ miti, omnibus vrbis Salonitanae proceribus gra-
„ tiam cum ſalute. Litterarum veſtrarum intelli-
„ gentiam diligenter, vt oportuit, animaduertimus;
„ in quibus et vos noſtro compati dolori pro pa-
„ tris noſtri obitu, et regiae congaudere dignitati,
„ *totaliter nobis adhaerendo fide plena*, aſſeruiſtis. Qua
„ de re grates vobis veſtrisque contribulibus habe-
„ mus et habere volumus non modicas. Laudabi-
„ liter etenim noſtri praedeceſſores vos dilexiſſe
„ comprobantur; quum in fide firma erga nos ha-
„ bita tam vos, quam veſtros conciues perſeuerare
„ videamus. Vnde et potiori gratia vos complecti
„ et volumus, et promittimus. Placuit itaque,
„ vt petitioni veſtrae libentiſſime annueremus.
„ Nam et priuilegium veſtrum, prout voluiſtis,
„ corroboramus antiqua lege patrum noſtrorum,
„ et vos ampliori dilectione, vt diximus, ample-
„ cti volumus et promittimus." (*b*)

A. C. 1142. *Geiſ.* 2. *Ind.* 5. *P.* 19. *A.*

CCXXIV. Quod Geiſa Spalatenſibus ſe facturum promiſit, illorum ſe priuilegia corroboraturum; id, dato hoc anno diplomate, praeſtitit, cuius initium ita habet: (*c*) „Anno dom. inc. MCXLIII. (*MCXLII.*)
„ ind. V. epacta XXII. concurrentibus III. menſis
„ Maii, anno ſecundo regni mei. Ego Geyſa, rex
„ Hung. Croat. atque Dalm. iuro — — Sacramen-
„ tum hoc a rege et archiepiſcopo Muchia confir-
matum

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 174. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 540. 545. (*c*) Ap. Farlat. T. III. p. 174.

„ matum eſt. Ego Bachien. archiepiſcopus, laudo „ et confirmo. Ego Martinus (*al. Martyrius*) Agr. „ epiſc. — Paullus, Veſprim. ep. — Verblen, Za- „ grab. ep. — Zacchaeus, Tauar. (*Iauar.*) ep. Ioan- „ nes, Quinqueeccleſ. ep. — Paullus Tsanad. —" Annum, vt correximus, eſſe reſcribendum, aliae notae temporis indicant. Nam anno 1143. reſpondet ind. 6. epact. 3. concurr. 4. Quia hic *Ramae* titulus, quem Geiſa prius adhibuit ac deinceps adhibebit, omittitur; apparet, regnum quidem non amiſſum; titulum tamen nondum in vſum ita receptum fuiſſe, ſemper vt exprimi debere, vel ſub Dalmatia comprehendi non poſſe cenſeretur. Cuias *Muchia* fuerit archiepiſcopus, an idem cum Machario habendus, incertum eſt. (*a*)

A. C. 1143. *Geiſ.* 3. *Ind.* 6. *P.* 4. *A.*

CCXXV. Hungariae reges Dalmatiae poſſeſſionem continuaſſe, tam illa, quae iam produximus, diplomata docent, quam iſtud, cuius initium hoc eſt: (*b*) „Anno ab incarn. D. N. I. C. MCXLIII. „ Ego Geysha, D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramae rex, confirmo eccleſiae Spalatenſi — —" Vt Geiſa hisce priuilegiis arctius ſibi Dalmatiam adſtrinxit; ita Tranſſiluaniam nouis coloniis eo deductis auxit. Nam, vt templi Braſſouienſis inſcriptio habet: (*c*) 1143. *Geiſa II. auus Andreae regis, Saxones euocauit in Tranſſiluaniam.* Andreas ipſe, Geiſae II. nepos, dum Saxonum priuilegia confirmat, ita loquitur: (*d*) *Accedentes itaque fideles noſtri hoſpi-*

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 545—550. (*b*) Ap. Farlat. T. III. p. 174. (*c*) Ap. Schwandt. T. I. p. 885. (*d*) Ap. Pray Diſſ. VII. p. 164.

hoſpites Teutonici Vltraſiluani, — *ſuppliciter nobis monſtrarunt, quod penitus a ſua libertate, qua vocati fuerant a piiſſimo rege Geiſa, auo noſtro, excidiſſent.* Male Bonfinius ſcribit, Saxones in Daciam a Carolo M. deductos, qui nihil iuris in Daciam habuit. Male Hutterus contendit, Saxones aduerſus Tartaros a Geiſa II. primum euocatos fuiſſe, quum ante Belam IV. Tartari Tranſſiluaniam non euaſtauerint. Fabula quoque Kircheriana de Hamelenſibus pueris, a mago quodam ſubtus terram in Tranſſiluaniam deductis, corruit; quum id factum fingatur anno 1282. ante quem Saxones in Tranſſiluania fuerunt. (*a*)

A. C. 1144. *Geiſ.* 4. *Ind.* 7. *P.* 26. *M.*

CCXXVI. Hungariae proceres, teneri regis curatores, vix vltra pubertatis annos, quos Geiſa iam attigerat, eius nuptias differendas cenſuerint. Eius coniugem Turotzius innuit fuiſſe Ruſſam, Minoslai filiam; quam Innocentius IV. Effroſinam (vulgo iam Eufroſinam) vocat. Incertum quidem eſt tempus harum nuptiarum; certum tamen eſt, eas ante Ludouici, regis Francorum, in Hungariam aduentum, qui contigit anno 1147. celebratas fuiſſe; quum hoc anno, teſte Turotzio, (*b*) Ludouicus, per Hungariam in Palaeſtinam profectus, *compaternitatis vinculo regi Geiſae ſociatus fuerit.* Quum aetatis huius mos fuerit, vt maiores principes de connubiis filiorum ſuorum, licet adhuc tenerorum, mature ſolliciti, deſponſatas illis aliorum principum, quorum opera regno ſalutaris eſſe poterat, filias ante

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 550—559. (*b*) Chron. P. II. cap. 66.

ante nubiles annos traducerent; eamdem prouidentiam Bela Caecus adhibuerit, ac Euphroſinam, Ruſſiae principis filiam, Geiſae deſponderit, ac etiam in Hungariam traduxerit, ne quas e Ruſſia ſuppetias Boritſius, ſi poſt obitum ſuum rurſus turbas aliquas ciere vellet, impetraret. Eadem de cauſſa fortaſſis alteri quoque filio Ladislao Polonam, ne hinc auxilia Boritſius, vt prius, arceſſeret, deſponſauerit. Certe, rebus omnibus diligenter excuſſis, nulli mihi videntur adiuncta, quae Boguphalus de Iudithae, Boleslai III. filiae, matrimonio, cum Hungaro principe contracto, narrat, magis conuenire, quam Ladislao II. Belae II. filio. (*a*)

A. C. 1145. *Geiſ.* 5. *Ind.* 8. *P.* 15. *A.*

CCXXVII. Coniecturae noſtrae de Ruſſis et Polonis, conſilio ſuperſtitis adhuc Belae per nuptias illuſtres conciliatis, inde quoque robur aliquod accipiunt, quod Boritſius, qui ſe Colomani filium ferebat, a neutris vllum ad Hungariam ſibi vindicandam auxilium impetrauerit. Spem igitur, comperta Belae II. morte, regni conſequendi ſibi reuixiſſe ratus, aliorum principum aulas oberrabat, ac, vt Otto Friſingenſis ait, (*b*) *ad hoc adipiſcendum vtrosque principes, Romanorum ſcilicet ac Graecorum, frequenter ſollicitabat.* Adierat ille quidem Ioannem Comnenum, cuius cognatam connubio ſibi iunxerat; at is morte ſua, quam obiit anno 1143. ſpes Borichii ſuccidit. Quum nec a Manuele, Ioannis ſucceſſore, domeſticis ac Turcicis armis impedito, quicquam obtinere potuiſſet; homo turbulentus

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 559—569. (*b*) De Geſt. Frid. cap. 30.

tus in occidentem rediit, ac pertracto ſuas in partes Wladislao, Bohemiae duce, cum eodem Ratisbonae Conradum imperatorem ſupplex acceſſit. (*a*) Geiſa, quo Conradum a Borichii iuuandi conſilio dimoueret; Guelfonem, Henrici Superbi, Bauariae ducis, fratrem, qui contra Henricum Auſtrium Bauariam pro Henrico Leone, nepote ſuo, vindicare volebat, aduerſus illum concitauit. (*b*)

A. C. 1146. *Geiſ.* 6. *Ind.* 9. *P.* 31. *M.*

CCXXVIII. Quum Boritſius a Conrado, Guelfonis armis aliorſum auocato, praeter ſpem auxilii, propediem adfuturi, nihil obtinuiſſet; impatiens omnis morae, quibusdam Auſtriae nobilibus pretio conductis, Ratiboldo duce, Poſonium per inſidias intercepit. *Rapolt*, inquit Turotzius, (*c*) *miles Alamanus, caſtrum Poſon ex induſtria et probitate Iuliani comitis ceperat.* Quum id aegre tuliſſent Hungari, rex ipſe, tantam iniuriam minime diſſimulandam ratus, duxit exercitum 70. millium in ſuos hoſtes, quibus Henricus Auſtrius Saxones et Bauaros adiunxit. *Rex autem*, ſubiicit Turotzius, *accinctus eſt gladio;* quod etiam a S. Stephano factum vidimus, ac Otto Friſingenſis ita confirmat: (*d*) *Altera die rex in praedicto campo ad quamdam ligneam eccleſiam accedit; ibique ab epiſcopis* (*nam eo vsque in puerilibus annis poſitus, nondum militem induerat*) *accepta ſacerdotali benedictione, ad hoc inſtituta, armis accingitur.* Vterque ſcriptor primum Germanos, deinde Hungaros victores facit. Turotzius infeli-

(*a*) Otto Friſing. L. VII. cap. 34. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 569—571. (*c*) Chron. P. II. cap. 65. (*d*) Ap. Vrſtiſ. T. I. p. 424.

ſelicis initii cauſſam in Biſſenos et Siculos, qui primi fugam arripuerint, reiicit; reſtitutam vero rem adſcribit Belae, regis auunculo, qui *glorioſus in millibus ſuis, irruens ſuper agmina Teutonicorum, percuſſit eos ex aduerſo grauiter, et magnam ſtragem fecit in illis. Sed et electi milites regis impetum fecerunt in hoſtes; — et corruerunt in ore gladii plusquam 7000. bellatorum; reſidui vero fugerunt.* Otto ſui fratris Henrici fugam ita deſcribit: *Dux tunc demum terga hoſti dare compellitur; ac tam pugnacis dexterae, quam pulueris — beneficio, belli periculis exemtus, in vicinum oppidum Viennis — declinauit. Vngari, usque ad praedictum tantum fluuium Viſchaha hoſtes perſequentes, ad propria redeunt.* De hac igitur victoria, quam hoſtis ipſe fatetur, dubitari non poteſt. (*a*)

A. C. 1147. *Geiſ.* 7. *Ind.* 10. *P.* 20. *A.*]

CCXXIX. Arma ſubinde tam Hungaris, quam Germanis excuſſa ſunt ad praedicationem S. Bernardi, qui tam efficaciter expeditionem ſacram in Europa promouebat, vt, quemadmodum Otto Friſingenſis ait, (*b*) *non ſolum bella mouere, ſed et arma quempiam in publico portare, nefas haberetur.* Poſtquam igitur Conradus caeſar, auctore S. Bernardo, crucem aſſumſiſſet; ſocios expeditionis ſacrae Henricum Auſtrium, Ottonem hiſtoricum, Fridericum Sueuum, imperatorem futurum, Wladislaum Bohemum, cum multis principibus et epiſcopis, adſciuit; nauibusque poſt paſcha Ratisbonae conſcenſis, ſecundo Danubio cum 200. peditum, 70. millibus equi-

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 572—587. (*b*) Ap. Vrſtiſ. T. I. p. 431.

equitum in Hungariam defluxit. Admodum grauem Hungaris hunc Conradi tranſitum fuiſſe, Turotzius ita queritur: (*a*) *Circa etiam eadem tempora Conradus caeſar iter fecit Hieroſolymam per Hungariam. Hungariae vero non Chriſti peregrinus apparuit: in qua non pacem, ſed potius iram tyranni et praedonis exercuit. Nam petitionis ſimulatione inuenta pro aditu, a regno Hungariae pecuniam non modicam extorſit.* Ludouicus VII. Franciae rex, non multo poſt eum ſequutus, pacatum et modeſtum iter habuit, vt porro Turotzius in haec verba refert: *Cuius caeſaris praeceſſum egregius rex Francorum venerabiliter, et vt decet Chriſti peregrinum, ſubſequutus, a rege Geiſa honorabiliter ſuſceptus eſt: apud quem aliquamdiu commoratus, compaternitatis vinculo regi Geiſae ſociatur: et tali dilectionis nodo internexo, multis muneribus a rege Geiſa honeſte conducitur: et praeter omnem regni moleſtiam per Hungariae fines cum ſuo exercitu in Graeciam penetrauit.* Geiſa, ſerius edoctus, in eius comitatu Borichium eſſe, per legatos eumdem repetiit. Borichius, intellecto periculo, noctu Ludouici regis equo conſcenſo, tunc quidem in Graeciam euaſit; ſed Hungariam iterum, vt videbimus, turbabit. (*b*)

A. C. 1148. *Geiſ.* 8. *Ind.* 11. *P.* 11. *A.*

CCXXX. Geiſa, transmiſſis per Hungariam non ſine maxima moleſtia tot cruce ſignatorum agminibus, ad domeſticas res curandas conuerſus, quum intel-

(*a*) Chron. P. II. cap. 66. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 586—591.

intellexiſſet, eccleſiae Vetero-Budenſis iura nonnihil imminuta fuiſſe; non tantum ea nouo diplomate firmauit, ſed nouis etiam acceſſionibus locupletauit, ſcilicet *tributo de Peſt*, quod non Geiſa I. vt Turotzius ſcribit, (*a*) ſed Geiſa II. praepoſiturae contulit, vt ex regiis hisce litteris apparet: (*b*) — „Ego „ Geiſa ſecundus, ſecundi Belae regis filius, diuina „ diſpoſitione, ſceptra paterni regni iure hereditario obtinens, reditus, quos praedeceſſor meus, „ rex Ladislaus, ad vſum fratrum Budenſis eccleſiae, ſcilicet 360. penſas ſingulis annis, de ſua „ camera ordinauerat, — pro his omnibus — pro „ petitione Miska (*al. Miko*) eiusdem loci praepoſiti, tributum fori Geizae, et tributum Peſt et „ Kerpes — condonare curaui. — — Anno dom. „ inc. MCXLVIII. glorioſo Geiſa rege in anno regni ſui VIII. — " (*c*)

A. C. 1149. *Geiſ.* 9. *Ind.* 12. *P.* 3. *A.*

CCXXXI. Si verum eſt, quod Schmitthius ex MSS. Heveneſianis innuit: (*d*) *in viuis* Felicianum *fuiſſe anno* 1149. *teſtatum facit diploma regium, quod impetrauit ſuo capitulo Miko, Colocenſis antiſtes, nuper Budenſis praepoſitus;* verum etiam erit, Mikonem cum Muchia male confundi, qui quum archiepiſcopus Baachienſis fuerit anno 1142. Miko, quem anno ſuperiore praepoſitum vidimus, poſt eum in ſerie ſeu Colocenſium, ſeu Baachienſium archiepiſcoporum collocandus erit. Timon item ad hunc annum male confundit Henricum cum Micislao, quum ita ſcribit: (*e*) *MCXLIX. Henricus, ſeu Miecislaus,*

(*a*) Chron. P. II. cap. 53. (*b*) Ex MSS. Batthyan. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 591—596. (*d*) Arch. Strigon. p. m. 62. (*e*) Epit. Chron. p. 17.

ciſlaus, dux Poloniae, ducit Gertrudem, Geiſae regis ſororem; cum qua et vitam coelibem. Henricum enim a Miciſlao Polonici ſcriptores diſſerte ſecernunt; et Henricum quidem coelibem vitam duxiſſe, Cromerus ait; Miciſlao contra tres vxores tribuit, (*a*) quarum ſecunda Gertrudis, ſoror Geiſae regis, duos filios, Ottonem et Stephanum, peperit. Fortaſſis idem auctor non tantum Henricum cum Miciſlao, ſed etiam Gertrudem cum Cunegunde, Boleslai coniuge, confudit, quae non Belae II. ſed Belae IV. filia fuit, ac matrimonio iuncta, virgo permanſit. (*b*)

A. C. 1150. *Geiſ.* 10. *Ind.* 13. *P.* 16. *A.*

CCXXXII. Aliam eiusdem Belae II. filiam, nomine Sophiam, male Turotzium quoque confudiſſe cum Salomonis regis vxore, iam alias innuimus. Haec enim, non Salomonis vxor, in Admontenſi clauſtro relicta fuit. Nec enim Admontenſe ſacrarum virginum coenobium illo, quo Salomon periclitabatur, ſed ſequenti primum ſeculo, ſurrexit (*c*) Henrico, Conradi caeſaris filio, priusquam nuptiae perficerentur, e viuis erepto, Geiſa ſororem Sophiam ex Admontenſi virginum coenobio, in quo, dum nuptiis tam illa, quam Henricus matureſcerent, aſſeruabatur, ſemel, iterum ac tertio nequicquam reuocauit; quod illa, ſanctioribus ſtudiis acta, perpetuam inter coenobii virgines caſtitatem obſeruare decreuerit. Ita tunc Hungarica ſanctitas de fluxis mundi rebus triumphauit! (*d*)

(*a*) Libr. VI. p. 145. 148. (*b*) Hiſt. Cr. T. III. p. 596—601. (*c*) Hiſt. Crit. T. II. p. 526. (*d*) Hiſt. Cr. T. III. p. 601—608.

A. C. 1151. *Geiſ.* 11. *Ind.* 14. *P.* 8. *A.*

CCXXXIII. Antequam bellum Graecanicum erupiſſet; Geiſa, more ſuorum deceſſorum, in Dalmatiam profectus, vetus Tragurinorum priuilegium ita confirmauit: (*a*) „Anno dom. inc. MCLI. in anno „regni mei II. (*XI.*) Ego Geiſa II. rex, ſecundi „Belae regis filius, ſceptra paterni regni, ſcilicet „Hung. Dalm. Croat. Ramaeque, iure hereditario „obtinens, iuro ſuper S. Crucem vobis Tragurinis, „fidelibus meis ciuibus, firmam pacem. —" Eodem forte tempore, quo Geiſa Dalmatiam ordinabat, Bacchinus, magnus Seruiae, quam Cinnamus Dalmatiam vocat, iupanus, ab affine Beluſe, ſeu Bela, Geiſae regis auunculo, perſuaſus, Manuelis imperio reiecto, Hungarorum potius dominatui ſubeſſe, quam faſtum Graecorum vltra perſerre conſtituit. Auxiliis igitur a Geiſa promiſſis, quum Manuel Comnenus in bellum Siculum intentus eſſet; eius iugum excuſſurus, arma corripuit. Sed Comnenus, de Bacchini molitionibus edoctus, omiſſis Siculis, aduerſus illum arma vertit. Neque Turotzius in chronicis Hungarorum, neque Diocleates in regno Slauorum, belli huius meminerunt. Quare, Latinis auctoribus deſtituti, Graecos Cinnamum, Graecorum ſuorum, cum iniuria Hungarorum, aperte ſtudioſum, et Nicetam Choniaten, illum ſeculi XII. hunc XIII. ſcriptorem, illo moderatiorem, audire cogimur: quorum vterque Bacchinum, a Manuele preſſum, in montes ſe recepiſſe narrat. (*b*)

A.

(*a*) Ap. Farlat. T. IV. p. 330. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 611—622.

A. C. 1152. *Geiſ.* 12. *Ind.* 15. *P.* 30. *M.*

CCXXXIV. Manuel, copiis propter aſperitatem hiemis anno ſuperiore reductis, easdem in Italiam, appetente vere, duce Michaele Palaeologo, mittere coactus, nonniſi vergente iam aeſtate, bellum in Seruios reſumſit, Bacchinumque tamdiu preſſit, donec eum in ſuam poteſtatem redegiſſet, ac ad officium reduxiſſet. *Ipſe vero imperator*, ſcribit Nicetas Choniates, (*a*) *cognitis Seruiae principis iniuriis maioribus, quam ſuperiores fuerant, et conſpiratione cum finitimis Paeonibus* (Pannonibus) *contra Romanos inita, illos, vt minime pares, per contemtum aggreditur. Illi vero, praeter opinionem reſiſtentes, bellum non reformidarunt, maximis Hunnorum auxiliis adſcitis. — Ipſe quoque imperator cum archizupano Bacchino, ſingulari certamine congreditur: — qui quum faciem imperatoris percuſſiſſet; — ipſe viciſſim, manu, enſe traiecta, debilitatus, viuus in imperatoris poteſtatem venit.* Haec quantulacumque clades, quam Cinnamus, ſuorum laudator non parcus, 40. dumtaxat hoſtium captorum iactura definit, (*b*) ad Hungaros quoque pertinuit; quod vterque ſcriptor, auxiliares eorum copias Bacchinum accepiſſe, teſtetur. Aberat Geiſa, dum haec agerentur, in Ruſſia, bellumque pro ſocero Minoslao contra Lodomerium geſſit. Huc enim, indicio Graecorum ſcriptorum, referenda ſunt illa Turotzii: (*c*) *Poſt haec autem rex Geiſa dedit ducales expenſas fratribus ſuis, Ladislao et Stephano; duxitque exercitum in Ruſciam ſuper Lodomerium ducem, vt vindicaret iniuriam ſoceri ſui Minoslai: pro quo etiam iam*

T 3 *pridem*

(*a*) Edit. Ven. p. 48. (*b*) Edit. Ven. p. 50. (*c*) Chron. P. II. cap. 66.

pridem miſerat exercitum. Quando primum miſerit, non conſtat. Nunc eius abſentia Manuel in rem ſuam vſus, bellum Hungaris, a Seruiorum ſocietate iam auulſis, intulit, annisque pluribus vario Marte geſſit. *Hungaris*, inquit Nicetas, (*a*) *miſſa Seruiis auxilia cauſſatus, ſuperioris praelii puluere nondum deterſo; ſed calido adhuc ſudore manans, captata defenſoris abſentia, bellum infert.* Eius in Sirmienſem prouinciam incurſionem Cinnamus, partium manifeſtus, ad taedium vsque, minuta prorſus diligentia pertexit; quam vbi Manuel, latrocinantium more, furtim eraſiſſet, triumphum, iactantiae plenum, Conſtantinopoli celebrauit. (*b*)

A. C. 1153. *Geiſ.* 13. *Ind.* 1. *P.* 19. *A.*

CCXXXV. Vanus ille triumphus hoc anno videtur a Manuele, qui pugnando ſuperiorem extraxerat, celebratus. Nemo tamen dignam triumpho materiam toto hoc bello collectam vel apud Graecos reperiet. Nam apud aequos rerum aeſtimatores non magnam inde laudem Manuel conſequutus eſt, quod prouinciam milite vacuam euaſtauerit. Praeter paucos enim, qui cuſtodiendis limitibus relicti fuerant, ceteri cum Geiſa contra Lodomerium aberant. Vel inuitus tamen Cinnamus Hungaros laudat; quum eos aduerſus integras imperatoris copias Zeugminum ſeu Zemlinum diu propugnaſſe narrat. Geiſa, de ſuorum periculo certior factus, victis in Galicia ſoceri hoſtibus, iter accelerauit; ſed generoſus ille Manuel ſuas illico copias retraxit. *Quum nunciatur*, ait idem Cinnamus, (*c*) *Pannonum*

(*a*) Edit. Ven. p. 48. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 622—645.
(*c*) Edit. Ven. p. 51.

num regem cum ingentibus illic adeſſe copiis, ſummo animi ardore cum Romanis pugnare geſtientem, rebus iam in Galitza — praeclare feliciterque peractis; — — omnis illius imperatoris audacia huc tandem, eodem teſte, deſiit, vt, *ordinata acie, retroceſſerit. Vt vero conſtitit, non ipſum adeſſe regem, ſed Beloſim;* — audacior quidem viſus, ſed eum aggredi non auſus, ſub praetextu Hungaros praeueniendi, Braniſouam ſe retraxit. Ne tamen nihil non ageret; ad vaſtandos Temeſienſes agros Boritſium, e Francorum caſtris ad Graecos profugum, cum exercitu miſit. Hic de paucis Hungarorum manipulis victoriam noctu ſuffuratus, *praelucentibus facibus*, ad Manuelem rediit. Atque has ille velitationes et depopulationes dignas duxit triumpho, cuius vanitatem ita Nicetas exhibet: (*a*) *Triumpho quam maxime extento, ſplendidiſſimam pompam per vrbis circuitus duxit; cuius elegantiam Hungarorum et Seruiorum captiui illuſtrarunt, veſtibus ſplendidioribus, quam pro ſua conditione, ab ipſo exornati; vt ea quoque re victoria glorioſior et ciuibus atque exteris admirabilior eſſet; quippe captis viris eo bello nobilibus et ſpectatu dignis. Illud etiam pompae eius admirationem auxit, quod captiui non omnes vna ibant; ſed in claſſes diſtributi atque interuallis diſtincti, vt ſpectantium oculi decepti, maiorem eſſe numerum arbitrarentur.* Quid opus erat hac oculorum illuſione; ſi verum illud Cinnami fuit: *numero maiorem captiuorum adducentes multitudinem, quam eſſet exercitus?* Ita licet nullum Latinum; Graecum tamen Graeco Thraſoni ſcriptorem opponere poſſumus. Eadem ille fide pacem a Geiſa ſaepius petitam et violatam fuiſſe refert. *Miſſis*, inquit, (*b*) *legatis, petiit,*

(*a*) Edit. Ven. p. 49. (*b*) Edit. Ven. p. 53.

tiit, vt decem, non amplius, millibus Hungarorum multatis, reliquam captiuorum multitudinem reciperet. Vsque ſibi vanus adulator conſtat. Ergone Geiſa, pugna nequidem tentata, 10. millia ſuorum in poteſtate hoſtium deſtituit? Illane 10. millia, cum reliqua captiuorum multitudine, tantilla Manueli viſa ſunt, vt interuallis eos diſtinguere debuerit, quum triumphum, Caligulae de Germanis aemulum, adornaret, quo *ſpectantium oculi decepti, maiorem eſſe numerum arbitrarentur?* (*a*)

A. C. 1154. *Geiſ.* 14. *Ind.* 2. *P.* 4. *A.*

CCXXXVI. Tertio demum, attritis clade Siculica Graecis, *imperator*, pergit idem, (*b*) *vt accepit rurſum nouare Hungarorum regem; — iter denuo verſus Iſtrum capeſſit. Sed ille, audito principis aduentu, de pace rurſum per legatos agit; ſolutoque tandem bello, pacis apparuit ſerenitas. Nec multo poſt, cauſſam praebente Andronico, principis patruele, bellum iterum aduerſus Romanos conciuit.* Nunc tandem, adductus auctoritate Nicetae potius, quam Cinnami, pacem ſancitam credo: quam Geiſa numquam violaturus erat; niſi nouam bello facem Andronicus ambitione ſua ſubdidiſſet. Hic, vt idem Cinnamus ait, (*c*) *ducatum adeptus Naiſi et Braniſouae — per litteras Hungarorum regi pollicitus eſt; ſi ad inuadendam tyrannidem ſibi adeſſe vellet; tum demum, quum imperium eſſet adeptus; Braniſouam et Naiſum continuo ſe ei ceſſurum.* Has litteras Geiſae ſuffuratus aliquis, veroſimiliter Stephanus frater, qui cum quibusdam ad Manuelem transfugit, imperatori

(*a*) Hiſt. Crit. T. III. p. 645—647. (*b*) Edit. Ven. p. 54.
(*c*) Edit. Ven. p. 56.

peratori tradidit. Andronicus igitur, ſe purgaturus, *ſignificauit principi:* „ iam ſibi quosdam e magna„ tibus Hungaricis conciliaſſe, iſtiusmodi circum„ uentos dolo, in ſua poteſtate haud difficulter ſe„ ſe habiturum." Sed imperator plus fidei tam luculentis perfidiae teſtimoniis, quam futilibus illis commentis, habuit; eumque, nouarum inſidiarum reum, palatio clauſit. (*a*)

A. C. 1155. *Geiſ.* 15. *Ind.* 3. *P.* 27. *M.*

CCXXXVII. Geiſa, Manuelem, quem in perniciem Hungarorum multa tentaſſe, hactenus expertus fuerat, principatu deiecturus, ac Andronicum, quem Hungaris beneuolentiorem vicinum fore ſperauerat, ad ſolium adipiſcendum armis adiuturus, maximum non ex Hungaris tantum, ſed e Bohemis etiam ac Saxonibus exercitum conſcripſit; ac ignarus, Andronicum iam cuſtodiae mancipatum eſſe; Braniſouam oppugnare coepit. Haec aliaque Cinnamus minutim iterum, panegyriſta potius, quam hiſtoricus, de Manuele narrat, clademque, Graecis illatam, miris modis eleuat. At Nicetas victoriam, ab Hungaris relatam, *illuſtrem* vocare non dubitat, quam Cinnamo breuius ita perſtringit: (*b*) *Hunnorum princeps, bello Romanis ſtatim illato, Braniſouam obſidet.* — Baſilius, a Manuele copiis praefectus, *quum ſe inuictum exercitum habere putaret; Hungaros adortus, victoriam non diuturnam eſt adeptus. Nam hoſtes, in Romanos temere perſequentes conuerſi, acceptam cladem illuſtriore victoria penſarunt.* Cinnamus praecipuam cladis cauſſam in Stephanum, Geiſae fratrem, ita refundit: (*c*) *Magna vtrim-*

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 650—654. (*b*) Edit. Ven. p. 54.
(*c*) Edit. Ven. p. 58.

vtrimque facta eſt caedes; donec Hungari, qui cum Stephano, Geiſae filio (fratre) *Romanis militabant, primi fugam ceperè. — Hungari, qui cum Stephano erant, fere omnes; ex Romanis vero multi cecidere.* — Innuit etiam *Borizem, Boſſinae — principem, auxilio veniſſe Hungariae regi.* Qui quidem Boritſius ab eo, qui ſe Colomano rege natum gloriabatur, diſtinguendus eſt. Nam ille pro Geiſa; hic contra Geiſam arma ſumſit; de quo haec Otto Friſing. ſcribit: (*a*) *Graecorum princeps, cum Boritio contra Hungaros copias mittens, magnum ſui detrimentum accepit exercitus, in tantum, vt et Boritius a quodam, qui ſecum venerat, Cumano — ſagitta transfixus, necaretur.* Ita Boritſius Hungariam, quam ſaepius et Polonieis, et Auſtriacis, et Graecanicis auxiliis ſuccinctus, turbauerat, magno metu liberauit: quo ſublato, facilius inter Hungaros et Graecos pax coaleſcere potuit. (*b*)

A. C. 1156. *Geiſ.* 16. *Ind.* 4. *P.* 15. *A.*

CCXXXVIII. Pacem tamen adhuc altera belli fax, Stephanus, tantiſper ſufflaminabat, quo fortaſſis auctore, Manuel primo vere bellum reſumſit. Sed mox, vt Nicetas perhibet, (*c*) *iis conditionibus bello compoſito, quas tempus ferebat, Braniſouae et Belgradae rebus conſtitutis, domum rediit.* Inter eas conditiones fuiſſe videtur, ne Manuel Stephani partes dehinc tueretur; nec enim vllum Manueli bellum deinceps cum Geiſa fuit. Bello pace compoſito, res ſacras profanasque melius conſtituendi maius otium fuit. Martirius, Strigonien. archiepiſcopus,

(*a*) De Frid. L. II, Cap. 32. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 654—660. (*c*) Edit. Ven. p. 54.

pus, quo ſuos canonicos amplioribus fortunae bonis cumularet, iisdem 70. villarum decimas iure perpetuo tranſcripſit. Munificam hanc eius voluntatem Geiſa publico diplomate ratam habuit, cui ſacri profanique magiſtratus ita ſubſcripti ſunt: (*a*) *Martirius*, *archiep. Strigonienſis*; *Miko*, *archiep. Colocen. Antimius*, *Quinqueeccleſ. Hyppolitus*, *Vacien. Gualterus*, *Vltraſiluanus*; *Lucas*, *Agrien. electus*; *Stephanus*, *Tsanadien. el. Michael*, *Varad. el. Gotſchaldus*, *Zagrab. epiſcopi*; *Belus*, *palatinus*; *Henricus*, *curialis comes*; — Belus, antea tantum banus, nunc etiam palatinus, licet natione Hungarus non fuerit, optime tamen de Hungaria meritus, eo ſe munere dignum praeſtitit. (*b*)

A. C. 1157. *Geiſ.* 17. *Ind.* 5. *P.* 31. *M.*

CCXXXIX. Inter reſtitutae pacis fructus id quoque numerandum eſt, quod nouum hoc anno ſacrae S. Benedicti familiae domicilium in monte Giſſing, alias Német-Ujvár, ſurrexerit, edito hoc diplomate: (*c*) „Victorioſiſſimo Geiſa rege regna Pannoniorum „ ſtrenue et glorioſe gubernante, quando Strigo- „ nien. archiepiſcopus ven. Martinus (*ſ. Martirius*) „ fuit; Mico Colocen. archiep. Lucas Agrien. ele- „ ctus; Belus banus et C. palatinus erat; — ego „ Walferus, — ex gratia — ſupra dicti regis, — „ nec non ex voluntate et auxilio Heruaſii, Geu- „ rien. epiſcopi parochiani, — monaſterium aedifi- „ caui, quod — monaſterio S. Martini in ſacro „ monte Pannoniae, ob reuerentiam et ſanctitatem „ ipſius loci, et propter B. Martini patrocinium,

„ *cuius*

(*a*) Ap. Schmitth. Str. Arch. p. 64. (*b*) Hiſt. Crit. T. III. p. 661—665. (*c*) Ap. Agam. Pallad. p. 26.

„ *cuius natiuitate, in eodem loco habita, Pannonia* „ *gloriatur*, — in obedientiam tradidi. — Anno „ dom. inc. MCLVII.“ Qui hic Martinus, Martirius legitur in eo diplomate, quo Geiſa *ſales tributarios de Nana et de Kokat*, eccleſiae S. Adalberti contulit. Idem etiam eccleſiam Nitrienſem non tam condidit, quam fundis auxit. (*a*)

A. C. 1158. *Geiſ.* 18. *Inn.* 6. *P.* 20. *A.*

CCXL. Singulare Geiſae ſtudium erga res ſacras, quod per omnem vitam retinuit, elucet etiam ex eo diplomate, quo Petsvaradienſis coenobii, foedo nuper incendio hauſti, vetera priuilegia confirmauit. *Non ſolum*, inquit, *priuilegium renouauimus; ſed etiam eccleſiaſtica ornamenta — debita patroni condolentia reſtauramus. Anno dom. inc. MC LVIII.* Iam alias in eccleſiam quoque Spalatenſem beneficus, nunc iterum eiusdem iura partim vetera confirmauit, partim noua deſcripſit; *in praeſentia Lucae archiepiſcopi et Arpae bani et aliorum principum, anno incarn. MCLVIII.* Praefixus huic diplomati hic titulus: *Geiſa, D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque dux*, crucem nonnullis figit, qui cenſent, non ipſum regem, ſed eius filium cognominem, has litteras dediſſe. Sed enim, etiamſi cognominem illi filium daremus, etiamſi Dalmatiam, Croatiam, Ramam gubernandam illum accepiſſe concederemus; Hungariam certe, cuius tamen titulum itidem vſurpat, non ille, ſed pater gubernauit. Quum igitur *regalis imago, auctoritas regia*, cancellarius *aulae regiae*, hoc in diplomate compareat; incautus ſcriba vocem *dux* pro *rex* ſubſtituerit. Non eſſe

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 665—674.

eſſe vanam hanc meam coniecturam, oſtendit aliud huius anni diploma, quod eidem eccleſiae, non *ducis*, ſed *regis* axiomate praeiecto, datum eſt iterum *in praeſentia Lucae archiepiſcopi et Arpae bani.* Quis enim ſibi perſuadeat, alterum eodem anno diploma *ducem*, alterum vero *regem*, eidem eccleſiae, cum iisdem teſtibus, dediſſe? Lucas *archiepiſcopus* in vtroque dicitur, qui tantum Agrienſis epiſcopus anno ſuperiore legebatur, ac etiam anno hoc in diplomate coenobii Petsvaradienſis inter epiſcopos recenſetur. Inter illud igitur et iſtud ad metropolim Strigonienſem euectus eſt. (*a*)

CCXLI. Pia haec Geiſae ſtudia turbauit iterum eiusdem frater Stephanus, qui bello Graecanico male multatus et a Manuele deſtitutus, ad Fridericum I. occidentis imperatorem, confugit, *quod*, vt Radeuicus refert, (*b*) *Romanum imperium totius orbis eſſet aſylum;* vnde quidam imperite prorſus arguunt, Hungariam imperio Romano iure fiduciario ſubiectam fuiſſe. Quis enim dicat, quum *totius orbis aſylum* dicatur, totum orbem illi iure fiduciario ſubiectum eſſe? Cur precibus apud Geiſam, ſi ſubiectum ſibi credidit, vſus eſt? *Fridericus*, inquit Radeuicus, *miſſis in Vngariam legatis, de reſtitutione iuuenis cogitabat, imperialem* PRECIBVS *adiungens dignitatem et auctoritatem.* Si ſubiectiorem indicat alterius principis auxilii ſollicitatio; pari iure Hungaria Graecis ſubiecta fuit, a quibus idem Stephanus auxilia petiit. Geiſa, Friderici *precibus* auditis, ne Stephani criminationibus fidem adhiberet; ad eas diluendas duos ſpectatae virtutis et eloquentiae viros, epiſcopum Geruaſium et comitem Heidenricum;

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 683—703. (*b*) Lib. I. cap. XII.

cum, Ratisbonam miſit; *per quos*, inquit Radeuicus, *et obiecta diluere, et de fratris eiectione inuidiam in eum, qui paſſus erat, retorquere ſatageret, proſequens iniurias et peccata plurima, in ſe admiſſa:* „ regni conſortio ſecum illum participaſſe: ſolo nomine ſe illo priorem tantum fuiſſe: — bellum vltro inferentem, poſtquam ſuperatus ſit, queri, quod iniuriam facere nequiuiſſet: fugam ipſam ſimulaſſe: in regno manere licuiſſe. —" *Imperator, partibus auditis, — conferens in corde ſuo plurium negotiorum occupationes, ad opportuniora tempora deciſionem huius litis placuit protelandam. Itaque rogatus ab adoleſcente, per Venetias illum transmittit in Graeciam.* Vbi nempe iam antea Mariam, Iſaaci Comneni filiam, vxorem duxit. Vrgebatur tunc Fridericus bello Mediolanenſi, ad quod Geiſa, teſte Radeuico, *Hungarorum ferme 600. ſagittarios electos* miſit. (*a*)

A. C. 1159. *Geiſ.* 19. *Ind.* 7. *P.* 12. *A.*

CCXLII. Mediolanenſes, Hungarorum auxilio ſubacti, quum Fridericus menſe Ianuario per duos legatos iisdem nouos et peregrinos magiſtratus imponere vellet, auitae libertatis tenaciores, ad eiiciendos ex vrbe legatos magno cum tumultu concurrerunt. Geiſa, de nouo hoc tumultu certior redditus, nuncios ad Fridericum deſtinauit, vt idem Radeuicus perhibet, (*b*) *ſuos denuo auxiliarios plures, quam prius, ſponte ſua principi promittens.* An tamen eos miſerit, merito dubitari poteſt. Mediolanenſes enim, interea veri pontificis Alexandri III. partes

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 674—683. (*b*) Ap. Murat. T. VI. col. 804.

partes amplexi, confoederatis ſibi pluribus eius prouinciae ciuitatibus, aduerſus ſchismaticos Fridericianos decertabant. Quum igitur certum ſit, Geiſam itidem Alexandri III. partes ſequutum fuiſſe; vix eſt credibile, ſuppetias illum hoſti legitimi papae miſiſſe. Fridericus, ſpecie quidem abolendi ſchismatis, reuera Victoris IV. prius Octauiani dicti, pſeudopontificis, aduerſus Alexandrum tuendi cauſſa, conuentum Papiam indixit, ad quem, praeter alios, etiam Hungariae regis epiſcopos inuitauit. (*a*)

A. C. 1160. *Geiſ.* 20. *Ind.* 8. *P.* 27. *M.*

CCXLIII. Alexander III. cum ſuis cardinalibus, iudicium profanum recuſantibus, nec ignorantibus, quo res eſſet euaſura, ſapienter conciliabulo Papienſi ſe ſubduxit. Ne tamen eccleſiae DEI cauſſam deſtitueret; ad diuerſas orbis Chriſtiani prouincias, ac etiam in Hungariam, vt codex Vaticanus teſtatur, (*b*) legatos a latere miſit, ac inter alios etiam Hungariae regem ſuis partibus addictum reperit. Teſte Willelmo Neubrigenſi, ſcriptore ſynchrono, (*c*) praeter Italos et Germanos epiſcopos, ad conciliabulum illud alii non comparuerunt. Actis tamen illius etiam eos, qui praeſentes non erant, ſubſcripſiſſe, ſchismatici ſine fronte commenti ſunt, ad fucum abſentibus faciendum, quo maior in Victorem antipapam conſenſus appareret. Eadem fraude ſcribitur *rex Hungarorum per litteras et legatos ſuos conſenſiſſe.* (*d*)

A.

(*a*) Hiſt. Cr. T. III. p. 708—713. (*b*) Ap. Baron. ad an. 1159. n. 63. (*c*) Ibid. ad an. 1160. n. 1. (*d*) Hiſt. Cr. T. III. p. 713—723.

A. C. 1161. *Geiſ.* 21. *Ind.* 9. *P.* 16. *A.*

CCXLIV. Commenticiis conciliabuli Mediolanenſis actis Morenaeque ſchismatico poſſemus opponere Hiacynthum ſynchronum (*a*) aliosque; ſed iuuat ipſum potius Geiſam audire, qui non tantum Eberhardo Salisburgenſi ſuam aduerſus Fridericum opem promiſit, (*b*) ſed etiam ad Ludouicum VII. Galliae regem, ita hac de re ſcripſit: (*c*) „ Scitis, „ quia imperator Alemannorum, orto in eccleſia „ ſchismate, proprium papam ſibi elegit. — Ego „ vero, timens DEVM, et non hominem, velut „ catholicae fidei cultor, Alexandrum, quem vni- „ uerſalis eccleſia et veſtrae regiae dignitatis aucto- „ ritas confirmauit et confirmatum recepit, — con- „ firmaui, recepi, et ab hoc nullo modo diſſentire „ propoſui. —“ Lucas Banfius, Strigonienſis archiepiſcopus, datis ad Eberhardum, Salisburgenſem metropolitam litteris,„idem confirmat, dum ſcribit, (*d*) *ſe apud regem precibus obtinuiſſe, vt Alexander verus papa in toto regno ſit agnitus et receptus.* Eidem rex ipſe ſcripſit, et aduerſus Fridericum opem obtulit. Gratias egit Eberhardus Geiſae, *quod ſe amicitia ſua rex dignetur; maxime, quum in negotiis eccleſiae et fide S. Petri papaeque Alexandri confirmatione regem patronum ſciat.* Qui poſt tot teſtimonia Geiſam ſchismaticis accenſuerit; eum ego vel fronte, vel mente, vel vtraque deſtitutum pronunciauero. (*e*)

CCXLV. Geiſa, ſchismatis nota liberatus, immo fortiſſimos inter eccleſiae filios omni iure numerandus,

(*a*) Bern. Pez. Cod. dipl. T. VI. col. 564. (*b*) Ap. Hanſiz. G. S. T. II. p. 272. (*c*) Ap. Du Chesn. T. IV. p. 578. (*d*) Ap. Hanſ. G. S. T. II. p. 272. (*e*) Hiſt. Cr. T. III. p. 724—736.

randus, praematuro fato, ſi ſpectemus eius aetatem; non item, ſi merita, deceſſit. Vix enim natus ante A. C. 1130. alterum et triceſimum aetatis annum agebat, quum obiit anno 1161. ad quem tam chronicon Neoburgenſe, quam Turotzius eius obitum ita deponit: (a) *Regnauit autem annis* 20. *menſibus* 3. *diebus* 15. *Migrauit autem ad dominum anno dom.* 1161. *pridie kal. Iunii, feria* 4. *cuius corpus Albae quieſcit.* Omnia haec rite congruunt. Quum enim anno hoc littera dominicalis fuerit A. feria 4. cum 31. Maii concurrit: quumque patri Belae ſucceſſerit 13. Febr. 1131. mortuus 31. Maii 1161. compleuit annos regni 20. menſes 3. dies 15. Hoc temporis interuallo fuit archiepiſcopus *Strigonien.* Macharius 1142. Martirius 1156. Lucas 1158. *Batſien.* Muchia 1142. *Colocen.* Miko 1156. *Spaluten.* Gaudius 1158. Abſolon 1159. Epiſcopus *Agrien.* Martirius 1142. Lucas 1156. *Veſprimien.* Paullus 1142. Peta 1156. *Zagrab.* Verblenus 1142. Gotſchaldus 1156. *Iaurin.* Zacchaeus 1142. Geruaſius 1156. *Quinqueeccl.* Ioannes 1142. Antimius 1148. *Tſanad.* Paullus 1142. Stephanus 1156. *Vacien.* Hippolytus 1156. *Varad.* Michael 1156. Belus, regis auunculus, cum titulo ducis occurrit 1142. bani 1146. 1148. *palatini* 1156. 1157. Arpa *banus* 1158. Henricus *curialis* comes 1156. 1157. Geiſa, his magiſtratibus praecipuis vſus, de regno toto praeclare meritus, tria cum exteris bella tam proſpere confecit, vt nihil de limitibus Hungariae decerpi paſſus fuerit. Nam inprimis Auſtriaco bello non tantum Poſonium, dolo captum, recuperauit; ſed etiam iniuriam hanc, ingenti clade hoſtibus illata, ſic vindi-

(a) Chron. P. II. cap. 66.

vindicauit, vt hac parte pacem deinceps inconcuſſam regno conciliauerit. Bellum Ruſſicum, Minoslai ſoceri cauſſa ſuſceptum, quam proſpere terminauerit, ex illis Cinnami verbis patet: *Rebus iam in Galitza praeclare feliciterque peractis.* Bellum Graecanicum, vario Marte geſtum, ita confecit, vt Manuel lubens et pacem admiſerit, et ad obitum vsque Geiſae cuſtodiuerit. Auxit etiam ditiones ſuas nouis Saxonum coloniis et Miſnenſibus dynaſtis, cum 60. *dextrariis phaleratis in Pannoniam receptis.* (*a*) Euerſum Hieroſolymis coenobium, ne pia S. Stephani liberalitas intercideret, ſuis ſuorumque ſumtibus inſtaurauit, vtque primi conditoris memoria perennis exſtaret; ſimul B. V. MARIAE, Hungarorum dominae, ſimul S. Stephani honoribus dicauit. (*b*) Ex Euphroſyna coniuge ſuſtulit *Stephanum III.* et *Belam III.* vtrumque poſt ſe regnaturum; filias *Helenam*, quam Leopoldus Auſtr. *Eliſabetham et Hulicham*, quas Fridericus et Suatoplucus Bohemi, connubio ſibi iunxerunt. (*c*)

§. XIX.

STEPHANVS III. REX XIII.

Coepit A. C. 1161. *deſiit A. C.* 1173.

A. C. 1161. *Steph.* 1. *Ind.* 9. *P.* 16. *A.*

CCXLVI.

Stephanus III. a morte patris, 16. circiter annos natus, Hungariae regnum adiit; cuius ieiunam hiſtoriam

(*a*) Turotz. Chron. P. II. cap. 20. (*b*) Pray Diſſ. de Prior. Aur. p. 114. (*c*) Hiſt. Cr. T. III. p. 736—750.

ſtoriam Bonfinius ampliorem redditurus, pauca haec Turotzii verba: (*a*) *Loco eius coronatur Stephanus, filius eius*, ita dilatat, vt non tam quid factum fuerit, quam quid fieri potuerit, cogitarit. Quamquam id, quod de teſtamenti tabulis, in medium adductis, quibus Stephanus a patre Geiſa rex declarabatur, habet, a conſuetudine Hungarorum, quibus rex teſtamento conſtitui numquam ſolebat, diſcrepet. Nec illud, quod *triennii regnum immunitate donarit*, in vetuſtiorum ſilentio, tuto credi poteſt. Sed nec *ad regnandum haudquaquam intempeſtiuus* recte dicitur, cuius nec ipſum patrem vltra 32. aetatis annum vitam produxiſſe nouimus. Denique nec illud verum, Stephanum regem *otium et quietem pro viribus ab initio retinuiſſe*; quum e Byzantinis ſcriptoribus, qui poſt Bonfinium in lucem producti ſunt, conſtet, Stephani quietem mox initio turbatam fuiſſe. Sequutus nempe Bonfinius eſt corruptos chronicorum Turotzianorum fontes, quae patruorum Stephani III. motus ad poſtremos eius annos remouent. Sed enim, licet alia deeſſent, credibile non foret, Stephanum IV. qui, ſuperſtite Geiſa II. ſeniore fratre ſuo, regno iam inhiabat, ipſos 10. annos quietum vixiſſe. Certe tam Cinnamus, audita Geiſae morte, Manuelem Sardicam iuiſſe, deque Hungaria ſibi vindicanda cogitaſſe, ſcribit; quam Nicetas Choniates, poſtquam Geiſae defuncto Stephanum filium ſucceſſiſſe retuliſſet, addit: (*b*) *Legati* STATIM *ad Hunnos mittuntur, qui cum eis de regno ad Stephanum* (Belae II. filium) *transferendo agerent. Paullo poſt ipſe Sardicam venit.* Vnde Stephanus III. a morte patris ad patrui ſui Ladislai principatum, armis extortum, non vl-

(*a*) Chron. P. II. cap. 67. (*b*) Edit. Venet. p. 67.

tra ſeſqui menſem regnauit. Quae cauſſa fuit, cur quidam auctores Geiſae II. Ladislaum II. ſucceſſiſſe ſcribant; quod ſcilicet Stephani III. principatus ante Ladislaum II. admodum breuis ac ſtatim turbatus fuerit. (*a*)

CCXLVII. Etſi ſcriptores Graeci, Nicetas Choniates ac praecipue Cinnamus, etiam cum iactura veritatis Manueli ſuo ſaueant; neuter tamen diſſimulat, quid imperator ille, ſub obtentu Stephani IV. Hungariae reſtituendi, ſpectarit. Nempe, quod Cinnamus aperte ſcribit, animo voluebat, (*b*) *quo pacto Hungariae regnum ſibi aſſereret;* ſperabatque, Stephano reſtituto, quod Nicetas aſſerit, (*c*) *Romano imperio forſitan aliquid tributi acceſſurum; Zeugmino certe et Francochorio citra controuerſiam potiturum.* Vt igitur aliquem pietatis et iuſtitiae colorem vafris hisce conſiliis ac deſtinationibus ſuis induceret; nouam Hungaris legem, quam illi numquam antea nouerant, affinxit, ſecundum quam regnum non ad filium, ſed ad fratrem defuncti regis deuolui deberet. Affinem igitur ſuum, Stephanum IV. Belae II. filium, quem regno per nefas excluſum eſſe fingebat, armis, ex pietate ſumtis, ſuo iuri ſe velle reſtituere praeferebat. Ab hoc enim, quem affinitate pluribusque beneficiis ſibi deuinxerat, vel regnum integrum, vel aliquam regni portionem ad ſe transferendam eſſe, vel ex aliquo pacto, vel ex eius ingenio, dudum ſibi cognito, non dubitabat. Euolutus ille quidem hac ſpe ſemel ac iterum ab Hungaris, has molitiones ſagaciter odoratis, erat; *Hungariam* tamen, vt idem Cinnamus ait,

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 1—8. (*b*) Edit. Ven. p. 92. (*c*) Edit. Ven. p. 66.

ait, (*a*) *in medio occidentalium nationum poſitam, ſibi comparare totis viribus ſatagebat;* nouasque rurſum rationes ad id perficiendum inibat. Haec ex ipſis Graecis ſcriptoribus, putidis alias Manuelis laudatoribus, praemittere libuit, vt vanos illos titulos, quos bello Hungarico Graeci praetexuerunt, facilius excutere, criminationesque, quibus illi Hungaros obruere conantur, ſubinde ſolidius refellere poſſimus. Certe, ſi lex illa, qua ſucceſſio fratri prae filio deberi praetenditur, apud Hungaros obtinuit; non Stephano, ſed Ladislao, ſeniori Geiſae filio, regnum deferendum erat. Atque hunc omnino praeferendum Stephano Hungari cenſuerunt, quod ille Graecam vxorem, Manuelis ex Iſaacio fratre neptem, duxerit; Ladislaus vero, teſte Niceta, (*b*) licet *vxorem, quam vellet, vel ex imperatoria ſtirpe, ducere ei licuiſſet; coniugio abſtinuerit, ne illius blanditiis irretitus, neglecto reditu in patriam, rebus ſuis minus conſuleret.* (*c*)

§. XX.

LADISLAVS II. REX XIV.

Coepit A. C. 1161. *deſiit A. C.* 1162.

A. C. 1161. *Lad.* 1. *Ind.* 9. *P.* 16. *A.*

CCXLVIII.

Profuit Ladislao reiecta coniux Graeca; quam quod Stephanus admiſerit; ea potiſſimum de cauſſa reiectus ab Hungaris fuit. *Hunni*, ſcribit Nicetas, (*d*)

(*a*) Edit. Venet. p. 97. (*b*) Edit. Ven. p. 66. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 8—15. (*d*) Edit. Ven p. 66.

ad primum auditum a Stephano abhorruerunt, et nomen eius aegre tulerunt: „ eum ſe cum ob alia re„ pudiare, *aſſerentes*, tum quod Romanam vxorem „ duxiſſet: minime enim e re ſua eſſe, virum ad„ mittere, Romanorum imperatori affinitate iun„ ctum: vereri ſe, ne Hunni ſuo regi; rex vero „ imperatori Romanorum pareret.“ Ita ſagaces Hungari callidum imperatoris Graeci conſilium coniectura feliciter aſſequuti ſunt. *His de cauſſis nec Stephano, illuc profecto, ſtuduerunt, et legatos imperatoris rebus infectis dimiſerunt. Vnde Stephano maioribus viribus opitulandum ratus, Sardica ad Iſtri ripas, Braniſouam et Belegradum, proficiſcitur; et nepotem Alexium Contoſtephanum cum copiis adiungit Stephano: qui quum Chramum* (Haramum) *tenuiſſent; pro virili egerunt ea, quae ad regnum obtinendum pertinebant. Quamuis autem Pannonum proceres et largitionibus ac adulationibus corrumperent, et maximis pollicitationibus inflarent; nihil tamen proficiebant: niſi vt Hunni Vladislauo, Stephani fratri, principatum deferrent.* Quum igitur armatas Manuelis preces Hungari reformidarent, quod copiis eius ad bellum accinctis pares opponere tam cito non poſſent, Ladislaum prae Stephano, propter connubium Graecum ſuſpecto, regem admiſerunt; Stephano vero dignitatem *Vrumi* conceſſerunt. Ea voce Cinnamus, ex *Vram* Hungarico detorta, regni heredem, quem Graeci *Kyrion*, ſeu dominum, appellabant, denotat. (*a*)

A. C. 1162. *Lad.* 1. *Ind.* 10. *P.* 8. *A.*

CCXLIX. Hungaria tres eodem anno 1161. reges, Geiſam II. Stephanum III. et Ladislaum II. vidit,

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 15—19.

dit, vt chronicon Clauſtro-Neoburgenſe his verbis tradit: (*a*) *MCLXI. Geiſa, rex Vngariae, obiit; cui ſucceſſit filius eius Stephanus, qui non multo poſt regno priuatur: et Lazlaus, frater defuncti, regnum inuadit.* Cuius obitum mox ad annum ſequentem ita defigit: *MCLXII. Lazlaus obiit.* Vnde corrigendus eſt Turotzius, qui breuem quidem ſex menſium principatum Ladislao tribuit; eius tamen obitum retrudit ad annum 1172. *Dux Ladislaus*, inquit, (*b*) *filius regis Belae Caeci, vſurpauit ſibi coronam dimidio anno; migrauit autem ad dominum anno dom. MCLXXII. kalendis Febr. feria prima.* Hunc non tam chronicorum, quam librariorum errorem eſſe, patet ex codice Bruckenthaliano, 1431. deſcripto, qui decennio Turotzianam chronotaxim ita retrahit: *Migrauit autem ad dominum anno dom. milleſimo CLXII. kl. Februarii, feria prima.* Neutro tamen anno kalendae Februarii cum feria prima concurrerunt; quae 1172. in feriam tertiam; 1162. in feriam quintam inciderunt. In antiquis illis chronicis aliquid ante *kalendas Febr.* detritum fuiſſe, Budenſe chronicon indicat, vbi numerus IX kalendis praeiicitur. Sed neque *IX. kal. Febr.* anno 1162. cum feria prima, ſed quarta concurrit. Videtur igitur ex illo numero plus detritum fuiſſe, cui ſi praeterea decenarium numerum adiiciamus, omnesque notas chronologicas ita reſcribamus: *Anno dom. MCLXII. XIX. kal. Febr. feria prima*; deinceps omnia rite congruent. Hac igitur adhibita correctione, Ladislai principatum ab idibus Iuliis auſpicati, 14. Ianuarii finiemus. Iſtinc autem numerati *menſes* 5. *dies* 5. qui Stephano IV tribuuntur, ſiſtent nos 19. Iunii, qua Stephanum IV. re-

 gnum

(*a*) Ap. Pez. T. I. col. 446. (*b*) Chron. P. II. cap. 67.

gnum amiſiſſe, poſtea videbimus. Nec ſine cauſſa Ladislai principatum ab idibus Iuliis auſpicandum cenſemus. Nam ſi rationem tot legatorum, primum quidem de morte Geiſae II. Conſtantinopolim nunciata; deinde de Hungaria Stephano IV. concedenda; demum de hac petitione reiecta, habeamus; facile ſeſqui menſem effluxiſſe concedemus; donec Ladislaus II. inuitis Hungaris armata manu rex imponeretur. Hoc admiſſo, quod adiuncta rerum ſuadent, *dimidium annum*, quem Ladislao Turotzius aſſignat, inter 14. Iulii ac 14. Ianuarii comprehendemus. Graeci quidem innuunt, coelibem illum fuiſſe; habuiſſe tamen vxorem inde colligitur, quod Stephanus III. Dandulo teſte, (*a*) *Nicolao*, Michaelis Vitalis, Venetorum ducis, filio, *et Arbe comiti*, *Mariam*, *filiam Ladislai*, *de ſtirpe regali*, *in vxorem dedit*. Iam alias innuimus, Iuditham, Boleslai III. filiam, cuius meminit Boguphalus, (*b*) vxorem illi veriſimiliter tribui poſſe. (*c*)

§. XXI.

STEPHANVS IV. REX XV.

Coepit et deſiit A. C. 1162.

A. C. 1162. *Steph. IV.* 1. *Ind.* 10. *P.* 8. *A.*

CCL.

Ladislao II. praecoci morte ſublato, Hungari, ne Manuelis arma prouocarent, in eius fratrem Stephanum IV. ſecundum pacta conſenſerunt. Multis tamen

(*a*) Cap. XV. P. XV. (*b*) Ap. Sommersb. T. II. p. 48.
(*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 19—23.

men Stephano III. conſtanter adhaerentibus, eius inauguratio nonniſi poſt menſem, a morte fratris elapſum, peragi potuit. *Poſt hunc autem*, inquit Turotzius, (*a*) *Stephanus*, *frater eius*, *vſurpauit ſibi coronam*, *menſibus* 5. (*et diebus* 5.) *Coronatus eſt autem tertio idus Febr. in dominica EXSVRGE.* Hae duae temporis notae rurſus noſtram chronologiam confirmant, et ad hunc annum 1162. non ad 1172. Stephani IV. principatum eſſe defigendum indicant. Hoc enim anno, quo paſcha fuit 8. Aprilis, littera vero dominicalis G. *dominica Exſurge*, ſeu Sexageſimae, cum *III. id. Febr.* concurrit. Contra vero, ſi Ladislaus II. anno 1172. mortuus, vt Turotzius habet, ſucceſſorem eodem anno Stephanum fratrem accepiſſet; *dominica exſurge* non in *III. id. Febr.* ſed in *X. kal. Martias* incidiſſet. Quamuis autem Stephanus IV. a potiore Hungarorum parte iam receptus et coronatus fuerit; quia tamen Turotzius vt Ladislaum II. ita Stephanum IV. non reges, ſed vſurpatores coronae vocat; apparet, vtrumque Hungaris inuitis obtruſum fuiſſe; ſuosque fautores Stephanum III. ad quem regnum hereditatis et electionis iure iam pertinebat, habuiſſe; neque, licet etiam patrui coronati, tituloque hoc inter reges numerandi ſint, regem eſſe deſiiſſe. Hoc igitur magis enitendum erat Stephano IV. vt Hungarorum animos ſibi lucraretur, quo potentiorum pluriumque procerum fauore ſubnixum aemulum in regno habebat. Ille tamen, qui Graecanicis moribus Hungaros regere voluit; grauiſſimum eorum odium non multo poſt incurrit. *Stephanus autem*, inquit Cinnamus, (*b*) *defuncto Vladislauo*, *principatum* [illegible] *adeptus*, *grauis moleſtusque adeo ſubiectis* *eſſe*

(*a*) Chron. P. II. cap. 68. (*b*) Edit. Ven. p. 96.

eſſe coepit, vt paſſim illum probris inſectarentur Hungari, et regno viderentur ſtatim depulſuri. (*a*)

CCLI. Stephanus, tanto diſcrimine perculſus, per celeres nuncios Manuelis opem implorauit. Quum ille nihil cunctatus, magnas in Hungaros copias ſub exitum Martii promouiſſet; hi, quum viderent, ſciſſis in partes ceteris popularibus, pares ſe vires ad reſiſtendum non habere, ne regnum populationibus exponerent, viſi ſunt Stephano reconciliari. Ne hic igitur exulceratos alioqui ſuorum animos nouis odiorum cauſſis exaſperaret; diligentem operam dedit, vt Graecorum exercitum ex Hungaria reflecteret. Vt tamen Manueli, ſuo defenſori, ſe gratum exhiberet; Francochorium, ſeu Sirmienſem agrum, maximis popularium ingratiis, Graecorum ditioni ſubdidit. Atque hoc illud eſt, quod aegerrime Hungari tulerunt, ac in faciem Stephano IV. qui ditionem Hungaricam ita diminueret, ac libidini Graecorum exponeret, exprobrarunt, vt Cinnamus his verbis innuit: (*b*) *Mox in Stephanum rurſum inſurgentes Hungari, tum alia ei multa, tum et ſub illo perditas eſſe Hungarorum res exprobrarunt.* Hac igitur regni iactura vehementius commoti, mox in Stephanum IV. arma corripiunt, eumque, praelio ſuperatum, ad regnum Stephano III. relinquendum adigunt. Tempus et exitum cruenti certaminis ita Turotzius adnotauit: (*c*) *Deuictus eſt autem in feſto ſanctorum Geruaſii et Protaſii, feria tertia; vbi nobiles Hungariae corruerunt.* Funeſta haec vtrique parti clades erat, aliis huic, aliis illi fauentibus, ac iisdem armis, eadem diſciplina dimicantibus, dum

tan-

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 24—27. (*b*) Edit. Ven. p. 96. (*c*) Chron. P. II. cap. 68.

tandem melior pars vinceret, ac Stephanum IV. regno depelleret. Nam dehinc, etſi pro rege ſe venditauerit, ſibique nonnullos adhaerentes habuerit; potior tamen regni pars Stephanum III. pro rege legitimo conſtanter coluit. Vere proinde Turotzius ſcripſit, Stephanum IV. *vſurpaſſe coronam menſibus* 5. Bud. chronicon addit: *et diebus* 5. quot a 14. Ian. ad 19. Iun. defluxerunt. Haec autem 19. Iunii, ſeu *feſtum SS. Geruaſii et Protaſii* hoc anno, quo dominicam littera G. ſignabat, *in feriam tertiam* incidit, quod anno 1172. non *in feriam tertiam*, ſed ſecundam incidiſſet. (*a*)

§. XXII.

STEPHANVS III. REX XIII.

Reſtitutus A. C. 1162. *deſiit A. C.* 1173.

A. C. 1162. *Steph.* 2. *Ind.* 10. *P.* 8. *A.*

CCLII.

Stephanus III. eiecto Stephano IV. non ſtatim ſecure regnare potuit. Hic enim, vt ereptum ſibi regnum recuperaret, ad ſuum aſylum ac defenſorem, Graecorum imperatorem, ſe contulit; a quo pecuniis et copiis adiutus, nihil operae praetermiſit, quo Hungariam rurſum ſibi vindicaret. (*b*) Poſtquam Manuel, praemiſſo cum aliis copiis Stephano, cum exercitu ſuo Belgradum aduenifſet, admotoque propius armorum terrore, Hungaros ad recipiendum Stephanum IV. nullis terriculamentis impelli poſſe com-

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 27—31. (*b*) Cinnam. Ed. Ven. p. 96.

comperiſſet; deiectus ea ſpe, qua non tantum Sirmienſem plagam, ſed reliquam etiam Hungariam eius conniuentia ſe ſuis iuribus aſſerturum confidebat, alias occupandae Hungariae vias inire conſtituit. Nec enim pudet ipſum Cinnamum confiteri, Manuelem totis viribus id egiſſe, vt Hungariam, ad quam nullum ius arrogare ſibi poterat, modis iniquiſſimis ſibi compararet. *Quum igitur*, inquit, (*a*) *eo perueniſſet imperator, fierique haud poſſe agnouiſſet, vt Stephanus Hungariae regnum adipiſceretur* (*Stephanum quippe, Geiſae filium, iterum reſtituerant Hungari*) *alio ſe conuertit. Hungariam enim, vt dictum eſt, in medio occidentalium nationum poſitam, ſibi comparare totis viribus ſatagebat. Quapropter Belam, qui poſt Stephanum Geiſae filius erat, Mariae, filiae ſuae, matrimonio iungere conſtituit.* Huc igitur omnia vafri hominis conſilia, huc omnes expeditiones ſpectabant, vt Hungariam ſibi ſubiiceret. Hoc fine iam antea Stephani IV. partes aduerſus Geiſam II. nunc aduerſus Stephanum III. fouendas ſuſcepit. Quumque his conatibus parum profeciſſet; nouo conſilio Belam III. fratrem Stephani III. generum adſciſcere, ſucceſſoremque conſtituere non tam voluit, quam, ad occupandam eius hereditatem, velle ſe ſimulauit. Nam reuera numquam matrimonium illud coaluit; nec Manuel Dalmatiam, titulo hereditatis occupatam, etiam Bela reſtituto, reſtituit. Quisquis igitur non plane caecutit; facile videt, quam vanus fucus ac praetextus fuerit, quicquid Manuel cauſſa Belae hereditatis egit. Quo magis miror Cinnamum, qui Manuelis cupiditatem occupandi Hungariae regni ſemel ac iterum fateri non erubeſcit; Hungaros tamen, quod ambitioſis eius

(a) Edit. Ven. p. 97.

eius conatibus identidem obuiam iuerint, iniuſtitiae fractique foederis redarguit. Sed nos hoc crimine Hungaros ſuis locis liberabimus. (*a*)

CCLIII. Hungari, bona fide Manuelem agere rati, quum Belae tam ſplendidum connubium ac imperium obtulit, ocius eumdem Byzantium transmiſerunt, cui Manuel *Alexii nomen indidit, eumque deſpotae dignitate donauit.* Ita Cinnamus; qui paullo poſt Stephanum III. hunc in modum accuſat: (*b*) *Nouus Hungariae rex hereditarias Belae poſſeſſiones iterum inuaſit.* Ex iis, quae praemiſimus, vnicuique merito ſuſpecta haec Graeci ſcriptoris accuſatio videri poteſt, vbi Manueli, qui Hungariae palam inhiabat, parcitur, quaſi nihil ad id obtinendum, quod *ſibi comparare totis viribus ſatagebat*, vltra pacta molitus fuiſſet. Contra vero Stephanus, qui, tam turbatis Hungariae rebus, hoſtem adeo potentem irritare ſine iuſta cauſſa numquam auſus fuiſſet, tam cito pacta reſcidiſſe fingitur. Nempe, licet initio Manuel fucum Hungaris fecerit; eius tamen fraudes paullo poſt innotuerunt. Senſim enim praetextu hereditatis, quam Belae deberi fingebat, plus e ditione Hungarica decerpere conabatur. Hungari, mature dolos Graecanicos ſubodorati, mature machinationibus eius obuiam iuerunt; nec a Manuele quicquam ex ditione Hungarica titulo Belianae hereditatis adminiſtrari decerpique permiſerunt. Quum igitur ille Hungaros adeo ſagaces et cautos eſſe vidiſſet, vt callidum illud per ambages occupandi regni conſilium iis iam ſuboluerit; primum illud conſilium, per Stephanum IV. Hungaria potiundi, reſumſit, eumque copiis et pecuniis ad recuperandum Hun-

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 31—37. (*b*) Edit. Ven. p. 98.

CCLV. Accurrit ad ſuum clientem iuuandum Manuel imperator, vt ibidem Cinnamus perhibet, *Sauoque transmiſſo, caſtra poſuit ad Titelium* (e regione Titelii) *tum vt Belae paternam hereditatem reciperet, tum vt Stephanum praeſenti eriperet diſcrimine; quippe iam illius imminutae erant vires, ſummisque premebatur anguſtiis, Hungaris, qui cum eo erant, ad regem* (Stephanum III.) *vndique deficientibus. — Stephanus* (III.) *quum viribus longe impar, cum imperatore congredi non auderet; primum quidem cum iis, quae aderant, copiis in vltimos Hungariae fines conceſſit: atque ibi nouis coactis auxiliis, acie cum Romanis decertare ſtatuit. Imperator vero, vt ad locum quemdam peruenit, quem Petricum* (Petro-Varadinum) *vocant, caſtra ibi poſuit, — et hunc in modum Stephano* (III.) *reſcripſit:* „Non ad inferendum Hungariae bellum, fili mi, venimus; ſed, vt Belae, fratri tuo, poſſeſſionem reſtituamus; quam a dominatione tua minime abſtulimus; ſed quam tu ipſe, paterque veſter, iam pridem conceſſiſtis: atque adeo etiam, vt patruum tuum, Stephanum, maieſtatis noſtrae affinem, periculo eximamus.“ — Niſi iam e Cinnamo ſciremus, quantam Manuel occupandae Hungariae cupiditatem prae ſe tulerit; hunc paene iuſtum, Stephanum iniquum iudicare poſſemus. Sed enim fruſtra his ille blanditiis et verborum inuolucris adoleſcentem regem circumuenire voluit. Sagaciores erant Hungariae proceres, quorum conſiliis Stephanus III. nitebatur, quam vt fucatis eiusmodi verbis caperentur. (*a*)

CCLVI. Sapienti conſilio Stephanus III. quum pares Manueli copias nondum habuiſſet, in vlteriores

(*a*) Ibid. p. 48—54.

res Hungariae partes ſe recepit, vt noua contra Graecos auxilia cogeret. *Ille autem*, pergit Cinnamus, (*a*) *alias auxiliares copias, ex Alemanis et Taurum accolentibus Scythis* (Ruſſis) *conflatas, adduxit. Tzechorum praeterea ſibi adiunxit nationem, quorum princeps ad eum venit cum vniuerſo exercitu.* Wladislaus ille fuit, cuius duo filii, Fridericus et Suatoplugus, duas Stephani III. ſorores, Eliſabetham et Hulicham, connubio ſibi iunxerant. Erectis Bohemorum aduentu Hungaris, quum exercitus, ex vtrisque conflatus, verſus Graecos promotus fuiſſet; ipſe quoque Manuel, Danubio transmiſſo, cum copiis ad Batſium conſtitit. (*b*) Sed aduentu Bohemorum territus, poſtquam Wladislaum fruſtra per oratorem ab armis reuocare conatus eſt; vt impendentem ſibi perniciem declinaret, noctu fugam capeſſiuit. Eam quidem Cinnamus ſtudioſe diſſimulat, ſuaeque tantum gentis maieſtatem arroganter crepat; at Vincentius, ſcriptor ſynchronus, eius ita meminit: (*c*) *Imperator Graecus, — in medio noctis ſilentio, — vltra Danubium, quem tranſierat, cum paucis exercitibus reuertitur. Reliquos exercitus ibi cum Stephano* (IV.) *cui in auxilium venerat, dimittit. Stephanus autem, plenus timore, vacuus fortitudine, nulla praelia faciebat in Hungaria; ſed tantae fortitudini Boemorum reſiſtere non valens, fugam cum ſuis iniit.* Nihil Cinnamus de hac fuga, qui ſuum potius Manuelem adeo magnum facit, vt ad ſolum eius nuncium Wladislaus contremuerit. Cur ergo tam magnus ac potens imperator nullum cum hoſte prae-

(*a*) Edit. Ven. p. 99. (*b*), Cinnam. Ed. Ven. p. 100. (*c*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 74.

prælium commiſit? cur in pacem tam facile conſenſit? *Rege Boemiae mediante et conſulente*, pergit Vincentius, *quaedam pars Hungariae fratri regis Hungariae datur: pax componitur: et iuramenta ex vtraque parte confirmantur.* Hoc teſtimonio perſuaſi, facilius iam Cinnamo fidem adhibemus, quum ita ſcribit: (*a*) *Paullo poſt et Stephanus, miſſis ad imperatorem legatis, regionem reſtituit; ſimulque deprecatus eſt:* „ne vmquam Stephanum patruum bel„lo Hungariam infeſtare permitteret." *His acceptis conditionibus, princeps, bello diremto, in Romanos prope rediit fines.* (*b*)

CCLVII. Quum Stephanus III. aliquam Hungaricae ditionis portionem Belae fratri ceſſerat; prouide hanc conditionem adiecit, ne Manuel Stephanum IV. quem in ſua poteſtate habebat, *bello Hungariam infeſtare permitteret.* Haec enim praecipua pacis antea turbatae cauſſa fuit. Nunc quoque, ſi hanc conditionem Manuel non impleuerit; fruſtra petet, vt Stephanus III. promiſſis, ſub hac conditione factis, ſtare velit: fruſtra violati foederis illum arguet; ſi prior ipſe foederis illam partem violauerit. Exploremus igitur, vter primus ſancitae pacis conditiones transgreſſus fuerit. Simulauerat quidem Manuel, ſe nolle Stephanum armis ad *Hungariam infeſtandam* adiuuare; hortatus illum, (*c*) *vt et ipſe ab Hungaria excederet.* „Ego quidem, *inquit*, „nunc recedo; Bela quippe in integrum reſtitu„to, nulla mihi amplius belli, niſi iniuſti, ratio re„linquitur. —" *Nicephorum* tamen *Caluphem ibi cum exercitu reliquit, vt Stephano adeſſet.* Eſtne hoc

(*a*) Edit. Ven. p. 102. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 54—74. (*c*) Cinnam. L. V. p. 102.

hoc conditionem pacis implere? An, qui copias ad iuuandum Stephanum, cuius conſilia Hungariam inuadendi cognita habuit, reliquit; eumdem *bello Hungariam infeſtare non permiſit?* An, qui paullo prius agnouit, *Bela iam in integrum reſtituto, nullam ſibi amplius belli, niſi iniuſti, rationem relinqui*, tam cito iuſtum ex iniuſto bellum facere potuit? Et tamen Manuel, qui pacta tam cito violauerat, innocens et iuſtus; Stephanus autem paullo poſt Cinnamo foedifragus erit. Hic igitur, quum Graeca fide ſecum agere Manuelem intellexit; ipſe quoque pactis initis ſe ſolutum ratus, primum quidem Stephanum patruum Hungaria depellere; deinde Sirmienſem prouinciam, quam antea Manueli nomine Belae regendam obtinendamque ceſſerat, ex eius manibus eripere conſtituit. Arma quidem ſua Manuel oppoſuit, quae tamen impedire non potuerunt, quominus Hungari Sirmium occuparent. *Quapropter*, inquit Cinnamus, (*a*) *ad bellum illi inferendum totus incubuit imperator: et quod prius noluerat; Stephanum patruum iterum in regnum reſtituere decreuit.* Ingentem poſt haec ad futurum bellum Manuelis apparatum; legationes, in Ruſſiam ad auxilia corroganda miſſas; ſuppetias, a Germanis, Scythis, Seruiis, Turcis, Venetis vel promiſſas, vel ſperatas, Cinnamus fuſe deſcribit. Eximia profecto Hungarorum virtus eſſe debuit, qui contra tot hoſtes, ad ſubiugandum orbem pares, regnum ſuum tutari potuerint. (*b*)

CCLVIII. Hungari, Sirmienſi prouincia potiti, Zemlinum, cui ſe Stephanus IV. incluſerat, obſidione cinxerunt. Manuel, priusquam auxilia maiora, miſſis

(*a*) Edit. Ven. p. 105. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 74—84.

miſſis in omnem partem legatis, conuenirent; nouas copias, e Graecis conſcriptas, vt periclitanti Zemlino Stephanoque ſuccurrerent, properare iuſſit; quae tamen impedire non potuerunt, quominus Hungari Zemlino quoque, reliquis Sirmienſis prouinciae locis iam recuperatis, potirentur. Byzantini quidem ſcriptores, ad tegendum ſuum dedecus, id non virtute, ſed veneficio Hungarorum effectum eſſe tradunt. *Nonnullos*, inquit Cinnamus, (*a*) *ex ſuâ gente, qui Stephano* (IV.) *famulabantur, pecuniis corrumpunt; iisque perſuadent, vt, propinato veneno, hominem necarent. Ita et vrbs capta eſt, et totum Sirmium in ius venit Hungarorum.* Nicetas veneficio quidem, ſed alio modo ſublatum eſſe Stephanum ſcribit, opera ſcilicet miniſtri cuiusdam Thomae, qui (*b*) *quum forte Stephanus venam inciſiſſet; veneno ictum inunxit, quod in totum corpus diffuſum, correptis vitalibus, hominem celeriter confecit.* Ipſa haec variatio ſuſpectam hanc narrationem facit, quam Graeculi, Hungaris inuidiam conflaturi, confinxerint. Certe nec exteri, nec domeſtici ſcriptores, quum Stephani IV. mortem narrant, veneni meminerunt. Sed nempe, quoties princeps aliquis praematura morte decedit; ſuſpicio veneni rarius abeſſe ſolet, quae pari iure Geiſae Ladislaique fratrum obitum aſpergere debuiſſet. Nam et hi praematuro fato rapti ſunt: et ſicut natiuitate, ſic etiam morte mutuo ſe hi tres fratres exceperunt, elati continuatis funeribus, Geiſa II. anno 1161. Ladislaus II. an. 1162. Stephanus IV. 1163. vix igitur plures annos nati, quam 32. quot neque Stephanus III. complebit, adeoque nec ille veneni ſuſpicionem euitabit. Multum ſcilicet in tra-

duce

(*a*) Edit. Ven. p. 108. (*b*) Edit. Ven. p. 67.

duce ſanguine ſementis ad breuem vel longaeuam vitam ineſſe ſolet. Errarunt etiam Graeci ſcriptores in loco ſepulturae Stephani, quem Albae ſepultum fuiſſe, Turotzius ita perhibet: (*a*) *Obiit in caſtro Zemlen, anno dom. MCLXXIII. tertio idus Aprilis, feria V. cuius corpus Albae quieſcit.* Sicut in Ladislao II. ſic in Stephano IV. ſexageſimum pro ſeptuageſimo reſcribendum eſſe, adiectae temporis aliae notae docent. Quum enim anno 1173. littera dominicalis fuerit G. *III. id. Ap.* non in *feriam V.* ſed IV. incidiſſet; bene vero 1163. quo littera dominicalis erat F. Stephanus III. hoc aemulo liberatus, ad res Dalmatiae conſtituendas iter ſuſcepit, ac iura Spalatenſis eccleſiae confirmauit, praemiſſo hoc titulo: (*b*) „Ego Stephanus, domini regis Geizae filius, D. g. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex, vna cum domina regina, matre mea, et principibus meis, confirmo B. Domnio et tibi Petro archiepiſcopo — — ſecundo anno regni noſtri, anno inc. Chriſti MCLXIII." Quum kalendis Iunii tertium annum regni ſui Stephanus hic auſpicatus fuerit; ante menſem Iunium hoc diploma dari debuit. (*c*)

A. C. 1164. *Steph.* 4. *Ind.* 12. *P.* 12. *A.*

CCLIX. Stephanus, Dalmatis aduerſus Manuelis dolos, quem totis viribus in nouum bellum incumbere non ignorauit, communitis, Zemlinum quoque, cui potiſſimum is imminebat, tantis munimentis firmauit, vt illud capi non poſſe ſperauerit. Et vero difficilem Graecis obſidionem vrbis huius

(*a*) Chron. P. II. cap. 68. (*b*) Ap. Farlat. T. III. p. 184. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 84—92.

ius fuiſſe, Cinnamus, qui ſuis oculis pertinaces obſidentium et obſeſſorum conatus ſpectauerat, non diffitetur. Tum vero poſt minutam et prolixam rerum illic actarum deſcriptionem, *Stephanus autem rex*, inquit, (*a*) *fiſus ingenio et fortitudini ciuitatis, — ſibi id perſuadere minime poterat, ita a Romanis poſſe expugnari. — Tum vero certo edoctus, quae Zeugmae vrbi accidiſſent, legatos ad imperatorem miſit:* „Sirmiumque ſe Romanis, inſuper etiam totam „Dalmatiam, reſtituturum“ *pollicitus eſt.* Id ſolum reſtitui poteſt, quod in illius, cui reſtitutio fit, poteſtate prius erat. Quando vero Manuel in ſua poteſtate Dalmatiam ante hoc tempus habuit? Nihil ſane Nicetas de hac legatione meminit. Cinnamus vnicus, merito ſuo ſuſpectus, ideo videtur haec commentus, vt, ſi iam nunc Manuel Dalmatiam obtinuiſſe, ſuoque iuri Stephanus ceſſiſſe credatur; iniquum eius ad Dalmatiam recuperandam bellum appareat. Non igitur vltro dedita; ſed vi Hungaris erepta Dalmatia fuit, Nicephoro Chalupha cum copiis ad eam occupandam miſſo. (*b*)

A. C. 1165. *Steph.* 5. *Ind.* 13. *P.* 4. *A.*

CCLX. Vt autem Manuel aliquem iuſtitiae colorem induceret iniquitati ſuae, qua Dalmatiam Hungaris eripuit; praetexuit, quum Nicephorum ad eam occupandam miſit, (*c*) *quod hanc ſcilicet prouinciam iam antea Belae in hereditatis ſortem aſſignaſſent Hungari.* Quicquid hi Belae in ſortem hereditatis aſſignarunt; id, adnitente Bohemiae rege, poſt pacem concluſam illico Belae reſignarunt,

vt

(*a*) Edit. Ven. p. 111. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 93—121. (*c*) Cinnam. Ed. Ven. p. 113.

vt ex his ipſius Manuelis ad Stephanum verbis apparet: (*a*) *Bela in integrum reſtituto, nulla mihi amplius belli, niſi iniuſti, ratio relinquitur.* Si proinde Dalmatia Belae tunc reſignata non fuit; nec eidem in hereditatis ſortem aſſignata fuit. Atqui poſt eam pacem Dalmatia Belae reſignata non fuit, vt tam diploma Stephani III. datum eccleſiae Spalatenſi, quod poſt initam pacem illam exhibuimus, quam monumentum illud oſtendit, cuius initium ita habet: (*b*) „Anno D. N. I. C. 1164. Ind. 12.
„ temporibus itaque D. Stephani, regis Hungariae,
„ filii Geiſae regis, et Ampudii, eius bani, nos
„ denique Petrus, D. gr. Salonitanae eccleſiae ar-
„ chiepiſcopus —" Ergo Dalmatia Hungarici iuris erat tam anno 1163. quam 1164. quare, quum poſt illam pacem Belae reſignata non fuerit; nec eidem in hereditatis ſortem aſſignata fuit. Vt tamen Manuel iuſtus, occupata Dalmatia, videri poſſit; iusiurandum a ſuis exegit, (*c*) vt Belae, quem Alexium appellauit, poſt mortem ſuam imperium deferrent. Recuſarunt id plurimi, non ſatis mentem imperatoris aſſequuti, qui hoc fuco Hungariam imperio ſuo ſubiicere voluit. Stephanus igitur nouis viribus comparatis, nihil cunctatus, vt immenſae Manuelis cupiditati, qui, praetexta Belae hereditate, nouam iterum prouinciam occupauerat, frenum iniiceret, copias ad Sirmium recuperandum miſit. Rupti quidem foederis eum Graeci ſcriptores accuſant; ſed potiore iure Manuelem ſuum accuſare poſſent, qui quam vane Belae hereditatem occupatae Dalmatiae praetexuerit, et iam vidimus, et porro videbimus. Nec enim, Bela Hungariae

 reſti-

(*a*) Ibid. p. 102. (*b*) Ap. Farlat. T. III. p. 185. (*c*) Nicet. Ed. Ven. p. 73.

reſtituto, Dalmatiam ille reſtituit; ſed ad obitum vsque ſuum in ſua poteſtate retinuit. Quum igitur euentus docuerit, ſuam illum cupiditatem, non Belae hereditatem, in occupandis ditionibus Hungaricis ſpectaſſe; fruſtra Graeci ſcriptores eum iuſtum, fruſtra Stephanum, quum ſua recuperare voluit, iniuſtum facere conantur. Non adeo Hungari caecutiebant, vt ſubdolas has Graecorum artes videre non potuerint. (*a*)

CCLXI. Dionyſius, cum exercitu Hungarico contra Graecos profectus, tantam illis ſtragem ad Zemlinum intulit, vt in vnum collectis interemtorum cadaueribus, iniecta humo, tumulum ingentem eduxerit. Cinnamus quidem hanc Hungarorum victoriam, quam penitus negare non poteſt, eleuare conatur; (*b*) at Nicetas ingenue fatetur, (*c*) Hungaros, fuſis fugatisque Graecis, *praedam ingentem abegiſſe.* Manuel, intellecta hac ſuorum clade, rurſus in Hungaros ipſe profectus, alios per alias et inſuetas vias in Hungariam irrumpere iuſſit. Hi, vicis pluribus incenſis, multisque hominibus caeſis, vt Cinnamus ſcribit, (*d*) *confectam ex aere crucem iſtic loci ſtatuunt, cum huiusmodi inſcriptione:* „Pan„ nonicae quondam numeroſa hic germina ſtirpis „ Mars et dura manus ſuſtulit Auſonium.“ Hoc illi monumento dolorem, ex Dionyſii trophaeo hauſtum, vlciſci volebant; quaſi perinde fuerit, homines inermes latronum more iugulare, ac hoſtem iuſto praelio profligare. His populationibus et Chriſtianorum caedibus finis tandem impoſitus eſt, quum Henricus Auſtrius, ad Manuelem a Friderico caeſare

ſare

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 12[illegible]—124. (*b*) Edit. Ven. p. 117. (*c*) Edit. Ven. p. 69. (*d*) Edit. Ven. p. 108.

ſare miſſus, *inducias pro Hungaris* impetrauit, vt idem Cinnamus ait, (*a*) *at Stephano perſuaſit, vt, remiſſa ac pulſa Tauroſcythica puella, filiam ſuam in matrimonium duceret.* Henrici filiam, Agnetem dictam, hoc anno Hungariae regi collocatam fuiſſe, chronicon Clauſtro-Neoburgenſe teſtatur. (*b*) Tauroſcythica vero puella, Hieroslai, Haliciae principis, filia, deſponſa dumtaxat Stephano fuit, vt illa Manuelis ad Hieroslaum verba ſignificant: (*c*) *Neque filiam tuam ducet Stephanus;* nondum ergo tunc duxit, facileque, repetente Hieroslao, ſponſalibus diſſolutis, ante nubiles annos in Hungariam adductam remiſit. Schierius tamen Ruſſam illam non tantum Stephano deſponſam, ſed etiam nuptam fuiſſe credit, perſuaſus hoc diplomate Stephani III. (*d*) —
„ Ego Stephanus, D. gr. rex Hungariae, — vt in-
„ ter proceres eiusdem caſtri, proceres filii, ſcilicet
„ Stephani regis, exſiſtant. — Praeſentia meorum
„ nobilium, Lucae archiepiſcopi; Niconis archie-
„ piſcopi; Ompud, palatini comitis; Laurentii, cu-
„ rialis comitis; — anno dom. inc. MCLXV. —"
Vix ex obſcuris illis verbis inferri certo poteſt, Stephanum hoc anno filium iam habuiſſe, cui proceres pater aſſignauerit. Nam etiamſi Ruſſa Stephano nupta fuiſſet anno 1163. filius, poſtea natus, vti hoc anno proceribus nondum potuit. Ad futurum autem vſum peraeque filio, quem ex Agnete naſciturum ſperabat, proceres aſſignare poterat. (*e*)

A.

(*a*) Edit. Ven. p. 119. (*b*) Ap. H. Pez. T. I. col. 446. (*c*) Cinn. Ed. Ven. p. 106. (*d*) Ap. Bel. N. H. T. I, p. 114, T. III. p. 545. (*e*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 124—144.

A. C. 1166. *Steph.* 6. *Ind.* 14. *P.* 24. *A.*

CCLXII. Schierius laudatus ex Hieroslai filia natum eſſe Stephano *Meriſam* filium cenſet, (*a*) cuius hoc diploma meminit: (*b*) — „Ego Stephanus, „ D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex, filius „ victorioſiſſimi regis Geiche, Vidoni, filio Dobica, „ ſua et multorum meorum nobilium petitione con„ ceſſi, quod fratribus Hieroſolymitanis, pro re„ medio animae meae atque ſuae, hoc daret do„ num. — Coram multis mei regni primaribus, „ ſcilicet Vilcina, Vltraſiluano epiſcopo; Chemna, „ Agrienſi; Machario, Quinqueeccleſienſi; Stepha„ no, Chanadienſi; et Ampudino, palatino comi„ te; Laurentio comite — Nono kal. Nouembris, „ anno dom. inc. MCLXVI. Alia tria praedia, „ quamdiu vixero, ad vſum vitae meae tenere vo„ lo; poſt deceſſum vero meum de his tribus prae„ diis filio meo Meriſae do duo. —“ Sed enim, licet hunc Meriſam Stephano regi filium daremus; is ex Agnete, iam anno ſuperiore nupta, hoc anno potuit ante 24. Octobris naſci. Verum hic Meriſa Vidonis, cuius donationem Stephanus rex ratam habet, filius fuiſſe videtur; cuius, de tribus praediis diſponentis, non regis confirmantis, illa verba ſunt; indigna certe rege tam potente, qui tam egenus vtique non fuit, vt tribus praediis ad vitam ſuſtentandam opus habuerit. Ante hanc confirmationem Stephanus Dalmatiam, a Manuele nullo iure regno Hungariae per vim ereptam, recuperauit. Quod eo facilius praeſtare potuit; quo magis ipſi Dalmatae, iugi Graecanici, quod inuiti ſubiuerant,

(*a*) Reg. Hung. p. 119. (*b*) Ap. Schmitth Agr. Ep. T. I. p. 91.

fuerant, impatientes, ad Hungaros, veteres dominos, redire deſiderabant. Quum Petrus, Spalatenſis archiepiſcopus, Stephani regis opem interpellaturus, in Hungariam hoc anno veniſſet; letali morbo correptus, pie ſanĉteque deceſſit, ac Albae Regiae honorificum tumulum accepit. (*a*) Cinnamus quidem ſcribit, (*b*) *Hungaros occupare iterum Dalmatiam ſtatuiſſe; — ſed, — ſolo capto Caluphe, rediiſſe.* Numquam tamen prudenti lectori perſuadebit, Hungaros id, cuius gratia hoc bellum ſuſceperant, vt ſcilicet *occuparent iterum Dalmatiam*, capto duce, neglexiſſe. Dalmatiam certe hoc anno iuris Hungarici fuiſſe, patet ex diplomate, quod de libertate monaſterii SS. Cosmae et Damiani Stephanus in haec verba dedit: (*c*) — „Anno incarn. „ MCLXVI. Ego Stephanus, Geycae regis filius, „ D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex. — — „ Praeſenti Sarna, Agrienſi epiſcopo; et Stephano, „ — ſedis electo; Ampudino, palatino comite.—" Quum inſula Pasmania, in qua coenobium illud erat, ad Dalmatiae regnum pertineat, ius in Dalmatiam Stephanus, hoc priuilegium dando, habuit. Stephanus autem eo facilius in inſulam Pasmaniam dominatum obtinuit, quod eodem tempore Iadrenſes etiam ad illum defecerint. Sed hos Veneti non multo poſt in ordinem redegerunt. (*d*)

A. C. 1167. *Steph.* 7. *Ind.* 15. *P.* 9. *A.*

CCLXIII. Manuel quoque, poſtquam non tantum Caluphem ab Hungaris interceptum, ſed etiam Dal-

---

(*a*) Thom. ap. Schw. T. III. p. 560. (*b*) Edit. Ven. p. 119. (*c*) Ap. Farlat. T. IV. p. 7. (*d*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 144—160.

Dalmatiam recuperatam eſſe didicit; quantas potuit maximas copias, quibus amiſſa reciperet, conſcripſit. Qua fortuna bellum hoc Graeci cum Hungaris geſſerint; nullus, quod ſciam, Latinorum memoriae prodidit. Graecorum igitur, Nicetae Cinnamique, teſtimonio nituntur omnia, quae de hoc bello dici poſſunt. Et illi quidem, variatis quibusdam adiunctis, ambo Hungaris cladem illatam fuiſſe tradunt; in exitu tamen praelii deſcribendo non omnino conſentiunt. Praefuit copiis Hungaricis, e 15. millibus conflatis, iterum Dionyſius, qui, ſi Cinnamo credimus, (a) *vbi aduentare Romanos audiuit; fiducia quadam praetumidus, cum multa irriſione vinum ebibere Hungaros iuſſit, et vt pocula ad Romanorum ſanitatem et incolumitatem propinarent.* Et ille quidem initio Hungaros viciſſe; deinde, victoria Graecorum nimis exaggerata, profligatos ſe clam ſubduxiſſe ſcribit. At Nicetas, Graecos victores, fama venturorum Hungaris auxiliorum perterritos, inde diſceſſiſſe perhibet, ipſamque pugnam ita refert: (b) *Vbi ad manus ventum eſt; primo haſtis rem gerunt: vrgent, vrgentur aliquamdiu. Haſtis fractis, et, tamquam ſepes, in medio exaggerati, praelongos enſes ſtrinxerunt, ac denuo congreſſi, pugnauerunt: quibus hebetatis, — Pannonii aeſtuabant; quippe qui Romanos ſuum impetum minime toleraturos putarant. Romani ferreis clauis — Pannoniorum capita et facies opportune caedebant. Vnde multi, oborta caligine, equis deuoluebantur; multi ſanguinis profluuio exanimabantur. — Veſperi receptui canebatur. — Fama enim, per Romana caſtra vagata, Pannonios poſtridie auxilia firma exſpectare,* ducem

(a) Edit. Ven. p. 123. (b) Edit. Ven. p. 82.

ducem ſollicitum reddebat. Ob eam igitur famam, — poſt felicem pugnae euentum, inde diſceſſit Andronicus. Atque hoc vltimum Manuelis cum Stephano III. bellum erat. (*a*)

A. C. 1169. *Steph.* 9. *Ind.* 2. *P.* 20. *A.*

CCLXIV. Quum Dandulus, poſt Iadram a Venetis recuperatam, referat, (*b*) *Emmanueli Spalatum, Tragurium et Raguſium, ac paene totam Dalmatiam ſubiugatam eſſe*; haec prouincia, poſt cladem Hungaris nuper illatam, Graecanici iuris euaſit. Hungaris enim et hoc praelio fractis, et diuturno bello iam exhauſtis, *Spalatenſes*, inquit Thomas archidiaconus, (*c*) *et tota paene Dalmatia, ſubiecerunt ſe Conſtantinopolitano imperio.* Sub idem tempus Alexander III. Albertum de Mora cardinalem legatum in Hungariam miſit. Chriſtianam et eccleſiaſticam diſciplinam, ad quam reſtituendam Albertus iſtuc legatus erat, in Hungaria his temporibus collapſam fuiſſe, mirum illi non videbitur, qui bella Stephani III. cum patruis et Graecis in memoriam reuocauerit. Quae mala horum bellorum occaſione Hungaricam eccleſiam corripuerint; quam efficacem iis medicinam legatus apoſt. ſedis applicuerit; ex iſto regis diplomate non obſcure colligitur: (*d*) „H. DEI gratia, rex Hung. Dalm. Croat. „ Ramaeque, L. (*Lucae*) ead. gr. Strigonienſi; C. „ (*Coſmae*) Colocenſi archiepiſcopis, atque omni„ bus eorum ſuffraganeis. — — Saluberrimis ex„ hortationibus M. ven. S. R. E. cardinalis propen-

„ ſius

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 160—175. (*b*) Libr. IX. Cap. XV. Part. XIX. (*c*) Hiſt. Sal. Cap. XX. p. m. 561. (*d*) Ap. Baron. ad an. 1169. n. XL.

A. C. 1172. *Steph.* 12. *Ind.* 5. *P.* 16. *A.*

CCLXVI. Tertius iam annus ab Alexio nato decurrebat; quum Manuel, in fingendis et refingendis pactionibus non tam fidem, quam ſuam vtilitatem ſpectare ſolitus, promiſſa ſua, quae Belae Hungaro, genero deſtinato, de tradendo Graecorum imperio fecerat, reſcidit, ſuumque filium non tantum ſucceſſorem deſignauit, ſed etiam praemature hoc anno coronandum curauit. *Quum puer aetate procederet*, inquit Nicetas, (*a*) — *aliud conſilium capit imperator; et iusiurandum de imperii ſucceſſione a Maria filia et eius marito, Alexio Pannonio, in filium transferre inſtituit. Proinde cum filio et ciuibus in ampliſſimo templo genitricis DEI conuenit, et per iusiurandum imperii ſucceſſione in filium, vt putabat, translata, paullo poſt filiam ab Alexio* (Bela) *ſeiungit; eique vxoris ſuae ſororem, recens cum Balduino fratre Antiochia profectam, deſpondet.* Haec Latinis Agnes, Anna Graecis dicta, Raimundi, Pictauienſis comitis et Antiocheni principis, filia fuit. (*b*)

A. C. 1173. *Steph.* 12. *Ind.* 6. *P.* 8. *A.*

CCLXVII. Non multo poſt, quam Bela III. iſto connubio iunctus, ſpeque conſequendi Graecorum imperii deiectus fuiſſet; aliam illi viam regnum adipiſcendi ſubita mors Stephani III. fratris aperuit. Huius obitum ad illum annum, quo Henricus Leo, Saxoniae dux, in Palaeſtinam iturus, in Hungariam venit, Arnoldus Lubecenſis ita narrat: (*c*) *Dux autem cum magna gloria profectus eſt de Brunswich poſt octauam epiphaniae. — Dux etiam orientalis Auſtriae*

(*a*) Edit. Ven. p. 89. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 203 — 210.
(*c*) Ap. Leibn. Brunſ. T. II. p. 631.

ſtriae (Henricus, Henrici Leonis vitricus, Stephani regis ſocer) *inſtaurata claſſe, proſequutus eſt ducem Saxoniae. — Cum magna ergo commoditate ad ciuitatem, quae Merſenburg* (Moſonium) *dicitur, peruenerunt; — vbi legatus regis Vngarorum, Florentius dictus, paratus fuit ad excipiendum ducem vna cum duce orientalis Auſtriae. — Et ita procedentes cum ſumma tranquillitate, applicuerunt ad vrbem quamdam* (hodie Párkány) *quae naturaliter eſt munitiſſima. Nam ex vno latere cingitur Danubio; ex alio, alueo profundiſſimo, qui Grana dicitur, a quo arx et ciuitas, quae in altera ripa eſt,* (Iſtrogranum, ſeu Strigonium) *nomen accepit. Grauis autem moeſtitia ducem illic perculit. Nam ipſa nocte rex veneno interiit, appotiatus, vt dicitur, a fratre ſuo, quem de terra eiecerat. — —* Henricus Auſtrius *affligebatur de tam ſubito regis interitu; eo quod inteſtatus obiiſſet, et ſororem* (filiam) *ſuam, viduam, praegnantem tamen, quaſi exſortem regni, ſine herede reliquiſſet. Conſilio autem habito, miſſi ſunt ad archiepiſcopum, qui tunc in ciuitate conſtitutus erat, regii funeris exſequiis occupatus, — vt ipſius ordinatione dux Saxoniae ducem itineris habere poſſet.* Hoc Henrici Leonis iter in Palaeſtinam Godefridus monachus, Robertus de Monte, cum aliis defigunt ad annum 1173. Quum igitur apud Arnoldum titulo capitis III. quo haec ſacra peregrinatio deſcribitur, annus additur 1171. vel alter hunc annum adiecit, vel Arnoldus intelligendus eſt de praeparationibus, quas ad tantum iter iam anno 1171. Henricus facere coeperit. Certe Stephani III. mortem tot notis chronologicis, inter ſe mire congruentibus, Turotzius conſignauit, vt eam tuto defigere poſſimus ad annum 1173. *Rex Stephanus,* in-

quit, (*a*) *filius Geiſae, migrauit ad dominum anno dom. MCLXXIII. quarto nonas Martii, feria prima; cuius corpus Strigonii quieſcit.* Quarto nonas Martii hoc anno, quo littera dominicalis erat G in feriam I. ſeu dominicam incidit. Congruunt et anni, menſes, dies regni, quos idem Turotzius his verbis expreſſit: (*b*) *Regnauit annis XI. menſibus IX. diebus tribus;* nam ab anno 1161. pridie kal. Iun. quo Geiſam obiiſſe Turotzius ſcribit, ad nonas Martias anni 1173. quo Stephanus III. obiit, tantum omnino temporis defluxit; extremis tamen diebus non computatis, quibus tam Geiſa pater, quam Stephanus filius ex hac vita migrauit. Quia Stephanus e coniecturis veriſimilibus in lucem editus eſt anno 1147. quum e viuis exceſſit; circiter 26. aetatis annum agebat. Vnde ſuſpicio veneni, quam Arnoldus inſinuat, orta fuiſſe videtur. (*c*)

CCLXVIII. Regem ita iuuenem, toties a Manuele laceſſitum, adeo fortiter ei reſtitiſſe, vt, etſi quasdam ad meridiem ditiones titulo hereditatis fratri ceſſerit; ex ipſa tamen Hungaria nihil auelli paſſus fuerit, mirum profecto videri debet. Nitebatur nempe conſilio tam Euphroſinae matris, quam praeſtantiſſimorum optimatum, e quibus hi dumtaxat e paucis eorum temporum monumentis, nobis innotuerunt: Archiepiſcop. *Strigonien.* Lucas an. 1165. 1169. *Coloc.* Nico 1165. Cosmas 1169. *Batſien.* Micho 1163. *Spalat.* Petrus 1163. epiſcop. *Agrien.* Chemna, Sarna 1166. *Quinqueeccleſ.* Macarius 1163. 1166. *Zagrab.* Bernaldus 1163. *Varad.* Nicolaus 1163. *Tsanad.* Stephanus 1163. 1166. *Tranſſiluan.* Vlcina

(*a*) Chron. P. II. cap. 68. (*b*) Ibid. cap. 67. (*c*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 210—215.

Vlcina 1166. *Vacien.* Ded 1169. C. *palatinus* erat Ampudinus 1165. 1166. Iisdem *curialis* comes Laurentius. (*a*)

§. XXIII.

BELA III. REX XVI.

Coepit A. C. 1173. *deſiit A. C.* 1196.

A. C. 1173. *Bel.* 1. *Ind.* 6. *P.* 8. *A.*

CCLXIX.

Bela III. Geiſae II. filius, quum annos circiter 15. natus fuiſſet, in Graeciam a Manuele traductus, denos illic annos exegit. Nam, vt vidimus, Manuel, opera Stephani IV. fruſtra ſibi Hungariam aſſerere conatus, aliam viam ad id obtinendum ingreſſus, Belam filiae ſuae connubio iungere volebat, vt, ſi Stephanus III. ſine herede, quod nunc reipſa factum eſt, exſtingueretur, Bela, rerum potitus, Hungariam ad Graecorum imperium adiungeret. Et Hungari quidem, conſiliorum Manuelis ignari, libentibus animis Belam Conſtantinopolim transmiſerunt, vbi caeſaris et deſpotae dignitate ſtatim ornatus, Alexius dici coepit. At, vbi Hungari Manuelis artes penitius explorarunt; nihil non egerunt, quo Belae hereditatem apud ſe retinerent, ac a ſuis ditionibus ſuſpectos Graecos arcerent. Hinc ea bella, quorum ſub Stephano III. meminimus, ortum habuerunt. Non ſincera mente Manuelem egiſſe, ſatis inde poſtea patuit, quod, Alexio filio

Y 2 ſuſce-

(*a*) Ibid. 215—218.

ſuſcepto, pacta reſciderit. *Bela iſte*, ſcribit Cinnamus, (*a*) *in generum imperatoris primo delectus*, — *poſtea cognationis lege obſtante, ſororem auguſtae duxerat.* Ea cognatio partim ab Irene S. Ladislai filia, Calo-Ioanni, Manuelis patri, nupta; partim a Stephani IV. coniuge, Manuelis ex Iſacio fratre nepte, deriuari poterat. Mirum ſane, hanc cognationis legem a Graecis non prius animaduerſam fuiſſe, quam Alexius Manueli naſceretur. Apparet igitur, vanum hunc ad ſponſalia diſſoluenda praetextum fuiſſe; quum ab iis primum initis nulla noua cognatio vel affinitas inter Belam et Mariam interceſſerit. Haec autem Maria diu poſtea domi triſtis adhaeſit, octauo poſt anno marchionis Montisferrati filio nupta, 30. iam annos nata. Poſtquam ex Henrico Leone, qui menſe Martio per Hungariam transiuerat, Stephanum III. obiiſſe Manuel intellexit; Belam ad regnum capeſſendum adiuturus, Sardicam cum exercitu conceſſit. *Illic morantem*, vt idem Cinnamus ibidem ait, *conuenere Hungarorum legati, Belam ſibi mitti in regem poſtulantes. — Regem igitur illum renuncians, cum vxore in Hungariam miſit; quum iureiurando prius eum obſtrinxiſſet:* „quae imperatori et Romanis profutura eſſent; per omnem ſe vitam ſeruaturum.“ Rem hanc Manuelem non diſtuliſſe, Nicetas quoque his verbis teſtatur: (*b*) *Vt autem ſub id tempus Hungariae rex obiit; Manuel, eius mortem peropportunam ratus, Alexium ſtatim cum ſplendido comitatu et maximo apparatu regio ad Pannoniae dominatum accipiendum ablegat.* (*c*)

CCLXX. Etſi Hungari Belam per legatos ad regiam dignitatem obtinendam a Manuele repetierint; nec

(*a*) Edit. Ven. p. 130. (*b*) Edit. Ven. p. 89. (*c*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 218—222.

neç is vllam in eo remittendo moram interpoſuerit; non tamen iſto, ſed ſequente dumtaxat anno coronam eidem impoſitam fuiſſe, certum eſt. Quum enim Manuel Belam iureiurando prius, quam in Hungariam eum remiſiſſet, obſtrinxerit, *quae imperatori et Romanis profutura eſſent, per omnem ſe vitam ſervaturum*; merito Hungari vereri poterant, quod olim, quum Stephanus IV. a Manuele rex iis obtrudebatur, veritos eosdem fuiſſe Nicetas notauit, (*a*) *ne Hungari ſuo regi; rex vero imperatori Romanorum pareret.* Haec ſuſpicio maius inde robur ſumſit, quod Bela Dalmatiam, licet nullum iam titulum ad eam retinendam Manuel habuerit, in eius tamen poteſtate reliquerit. Haec vbi Hungaris innotuerunt; etiam illi, qui prius in Belam conſenſerunt, eumque per legatos a Manuele repetierunt, non poterant non aegerrime ferre. Quum autem ex Arnoldo Lubecenſi ſupra viderimus, Stephanum vxorem grauidam reliquiſſe; proceres, qui Graecis infenſiores erant, exſpectandum viduae partum cenſuerunt. Ex his archiepiſcopum Strigonienſem fuiſſe, liquet ex Innocentii III. litteris, ſerius ad Emericum regem ita datis: (*b*) „Specialiter tamen clarae memoriae patrem tuum apoſtolica „ſedes toto conamine promouere curauit; ita quod, „quum propter quasdam cauſſas, ſicut credimus, „tibi notas, regalem non poſſet obtinere coronam; fel. record. Alexander PP. praedeceſſor noſter, poſt multas exhortationes, praeceptiones et „commonitiones, Strigonienſi archiepiſcopo factas, „vt ei regium diadema conferret; quum ipſe non „poſſet ad hoc aliquatenus inclinari; tandem Colocenſi archiepiſcopo diſtricte praecepit, vt ipſe

 „il-

(*a*) Edit. Ven. p. 67. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 721.

„ illum, absque praeiudicio Strigonienſis eccleſiae, „ coronaret in regem; et ſic ad mandatum apoſto- „ licae ſedis obtinuit coronari. “ Quidam a Belae fratribus impeditam fuiſſe coronationem cenſent, de quibus nihil certi ſtatui poteſt. (*a*)

A. C. 1174. *Bel.* 2. *Ind.* 7. *P.* 24. *M.*

CCLXXI. Si rex Stephanus, anno ſuperiore 4. Martii defunctus, Agnetem reipſa praegnantem reliquit; ea, iam ante huius anni principium vel partu ſoluta, vel abortum paſſa, ſuſpenſos Hungarorum animos vltra tenere non potuit. Nulla certe prolis eius mentio dehinc occurrit. Quare nihil vltra cunctandum rati Hungariae ſtatus et ordines, Belam *coronandum idibus Ianuarii*, *feria prima*, curarunt, vt Turotzius paucis innuit. (*b*) Hae notae temporis cum anno 1174. quo littera dominicalis erat F. bene congruunt. Cur inauguratio haec non a Strigonienſi, ſed a Colocenſi metropolita fuerit peracta; fragmentum Innocentii III. litterarum, nunc excitatarum, oſtendit. Quam hac in re cautionem Alexander III. exegerit; idem Innocentius III. alibi plenius ad Ioannem, archiep. Strigonienſem, ita perſcribit: (*c*) „ Inſpecto regeſto fel. record. Alexan- „ dri papae, praedeceſſoris noſtri, in eo perſpexi- „ mus contineri, quod, quum principes et baro- „ nes Hungarici regni ab eodem praedeceſſore no- „ ſtro cum multa precum inſtantia poſtularint, vt, „ ſi bonae memoriae Laurentius (*Lucas*) praede- „ ceſſor tuus, iuxta mandatum ipſius, inclitae re- „ cord. Belam, tunc in regem Hungarorum ele-

„ ctum,

(*a*) Ibid. p. 222—226. (*b*) Chron. P. II. cap. 69. (*c*) Bullar. Vol. III. p. 133.

„ ctum, contradiceret coronare; ipſi per alium imponi regni faceret diadema, ne regno et eccleſiae Hungaricae grauia poſſent pericula prouenire; ſi dictus Bela celeriter vnctionem non reciperet et coronam: idem praedeceſſor noſter praefato praedeceſſori tuo per apoſtolica ſcripta mandauit, — vt ſupra dictum electum in regem — coronaret: aut, ſi per ſe ipſum eum forte pro debilitate corporis coronare non poſſet; bonae mem. Colocenſi archiepiſcopo intimaret, vt eum, absque praeiudicio honoris et dignitatis ipſius ac Strigonien. eccleſiae, congregatis epiſcopis regni, in loco, vbi reges coronari conſueuerunt, in regem inungeret, et ſibi coronam imponere non differret, recepto prius ab eodem electo in regem ſcripto, de conſilio et aſſenſu ipſorum et principum regni, aperto ſuo ſigillo bullato, quod ex hoc nullum ei, vel Strigonienſi eccleſiae praeiudicium fieret, quominus Hungarici reges ab archiepiſcopis eiusdem eccleſiae ſemper debeant coronari; praefato Colocenſi dans nihilominus in praeceptis, vt, ſi praedictus praedeceſſor tuus coronare nollet eumdem; ne in hac parte ipſi committere vices ſuas idem, auctoritate apoſtolica fretus, — absque praeiudicio illius et Strigonien. eccleſiae, non poſtponeret coronare: ita quidem, quod idem electus in regem ante coronationem ſuam eccleſiae ſaepe fatae ſcriptum faceret ſupra dictum; quod idem ipſe fecit poſtmodum in haec verba:“ *Ego Bela, D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex, diuina diſponente clementia, ſuſcipio coronam de manu Coloc. archiepiſcopi; ſed non in praeiudicium Strigonien. eccleſiae, quominus Hungarici reges ab eiusdem eccleſiae archiepiſcopis ſemper debeant in poſterum coronari.* Coronatus igitur

eſt Bela 13. Ianuarii, poſt 10. menſes totidemque dies a morte Stephani III. transactos. (*a*)

A. C. 1175. *Bel.* 3. *Ind.* 8. *P.* 13. *A.*

CCLXXII. Regem tamen, cui tot initio difficultates Hungari quidem obmouerant, admodum vtilem regnoque ſalutarem poſtea ſunt experti. Praecipuam ei laudem iuſtitiae Turotzius his verbis tribuit: (*b*) *Poſtea regnauit Bela, frater eius, qui fures et latrones perſequutus eſt; et petitionibus loqui traxit originem, vt Romana habet curia et imperii.* Nempe fures et latrones, occaſione bellorum inteſtinorum, deinde cum Graecis plures annos continuatorum, magis inualuerant, quam vt a Stephano III. ſecuritas regno praeſtari potuerit. Haec igitur princeps Belae, regnum auſpicati, cura fuit, vt iis patriam purgaret. Alterum, quod pro commodo regni conſtituit, erat, vt per *petitionem* et precum formulas, ſeu ſupplices libellos, id regi proponeretur, quod prius ab indocta multitudine neque diſtincte, neque pro regia dignitate ſatis grauiter enunciabatur. Belam adminiſtrandae iuſtitiae ſtudioſum indicat etiam eccleſiae Zagrabienſi datum hoc diploma: (*c*) „ Ego Bela III. ſecundi Geiſae regis „ filius, D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex. „ Quum Albae S. Stephani regis ſollemnes agerem „ dies; Zagrabienſes canonici cum Vgrino, tunc „ temporis Zagrab. electo, — deuotas porrexerunt „ preces. — (*Confirmat ea, quae Prodanus epiſco-* „ *pus canonicis Zagrabienſibus contulit*) — Anno „ dom. incarn. MCLXXV. regnante glorioſiſſimo

„ rege

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 226—231. (*b*) Chron. P. II. cap. 69. (*c*) Ap. Kerch. H. E. Zagr. p. 78.

„ rege Bela III. — Iob, Strigonienſi archiepiſcopo „ exſiſtente; Paullo, Colocen. archiep. exſiſtente; „ Notario Adriano; Farcaſio, palatino comite; Su- „ bano bano. —“ Prodanus ille de Nadasdia ſtirpe fuit. (*a*)

A. C. 1176. *Bel.* 4. *Ind.* 9. *P.* 4. *A.*

CCLXXIII. Kertselitſius, qui Prodanum laudatum Zagrabienſis capituli conditorem facit, alicuius monumenti, hoc anno Iaurini confecti, meminit, (*b*) cui nomina ſunt adſcripta *Andreae*, *Colocenſis epiſcopi; Miculini*, *Guerinenſis electi; Prodani*, *Zagrabienſis electi.* Quum igitur in diplomate ſuperioris anni *Prodanus condam epiſcopus Zagrabienſis* dicatur, adeoque iam tunc mortuus innuatur; vel annus in alterutro documento male notatus, vel hic Prodanus ab illo diſtinguendus eſt. Certius eſt, a Bela Manueli, cui pluribus nominibus obſtrictus erat, aduerſus Turcas auxiliares copias hoc anno fuiſſe miſſas, quarum praecipue virtuti Manuel debuit, quod errore viarum in inſidias praecipitatus, capitis diſcrimen euaſerit. (*c*)

A. C. 1177. *Bel.* 5. *Ind.* 10. *P.* 24. *A.*

CCLXXIV. Plures auctores ſcribunt, Manuelem adeo cruentam in Iconienſi bello cladem accepiſſe, vt, vehementi dolore perturbatus, numquam deinceps corporis ſoſpitate fruitus fuerit. Ad hunc tamen annum Praius refert id, quod Dandulus ita perhibet: (*d*) *Imperator Emmanuel nepoti ſuo*, *Iſaaco*,

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 235—243. (*b*) Hiſt. Eccl. Zagr. p. 54. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 247—257. (*d*) Lib. X. Cap. II. Part. III.

co, regis Hungariae filiam in coniugem ſumſit. Incertus quidem annus eſt huius deſponſationis; certum tamen, Belam nondum filiam nuptiis maturam habuiſſe. (*a*)

A. C. 1179. *Bel.* 7. *Ind.* 12. *P.* 1. *A.*

CCLXXV. Andreas ille, quem ad annum 1176. Colocenſem epiſcopum vidimus, hoc anno concilio Lateranenſi III. ſubſcriptus ita legitur: (*b*) *De Vngria Andreas, Bahasnenſis archiepiſcopus.* Nullum eſt dubium, ſicut per *Vngriam* Hungariam, ita per *Bahasnenſem* Baachienſem intelligi. Sicut autem Miconem promiſcue iam Bachienſis, iam Colocenſis archiepiſcopi titulum vſurpaſſe vidimus; ita qui hic Batſienſis, ſupra Colocenſis, ſed per errorem epiſcopus, ſcribitur. In eo concilio Valdenſes haeretici, qui ceteros inter errores res malas a diabolo creatas credebant, damnati, dehinc induſtriam ac vigilantiam praecipue Colocenſium archiepiſcoporum exercuerunt, qui Bosniam, metropolitis hisce ſubiectam, paullo poſt inundarunt; vnde multis pontificum regumque noſtrorum decretis aegre tandem depelli poterant. Immo nonnullas etiam Hungariae partes idem virus afflauit, ac triſte veſtigium in exſecranda blaſphemis vocibus laceſſendi DEVM creatorem conſuetudine reliquit. (*c*)

A. C. 1180. *Bel.* 8. *Ind.* 13. *P.* 20. *A.*

CCLXXVI. Plura huius anni monumenta docent, Dalmatiam et Croatiam maritimam maiore huius

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 268—270. (*b*) Ap. Colet. Coll. Conc. T. XIII. col. 416. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 270—272.

huius anni parte Graecanici iuris adhuc fuiſſe. Poſtquam autem eodem hoc anno 24. Septembris Manuel e viuis exceſſiſſet; Bela prouincias illas, ſacrae regni coronae hereditarias, ſine bello, vel ex pacto, cum Manuele prius inito, vel voluntaria Dalmatarum et Croatarum deditione, tandem recepit. *Poſt mortem Emmanuelis imperatoris*, inquit archidiaconus, (*a*) *quum rediiſſent Spalatenſes ad dominium Vngarorum* cet. Quamuis autem veriſimile ſit, id ſtatim a morte Manuelis factum eſſe; certum tamen teſtimonium, quo doceri hoc poſſit, nondum vidi. (*b*)

A. C. 1181. *Bel.* 9. *Ind.* 14. *P.* 5. *A.*

CCLXXVII. Poſtquam S. Raynerius, Spalatenſis archiepiſcopus, a Chacitis anno ſuperiore lapidibus obrutus fuiſſet; Bela, non multo poſt Dalmatia potitus, auctoritate regia non alium, quam gente Hungarum archiepiſcopum a Spalatenſibus eligi permiſit, quo facilius in fide, ſi regi ſubiectum et obſequentem antiſtitem haberent, continerentur. Et licet ab Alexandro III. hac de re commonitus fuerit; ſui tamen iuris adeo tenax erat, vt ſedem Spalatenſem tamdiu vacare permiſerit, donec ei Petrus, natione Hungarus, praeficeretur. (*c*)

CCLXXVIII. Spalatenſibus ceteriſque Dalmatis poſt obitum Manuelis ad Hungaros, veteres dominos, reuerſis, Iadrenſes quoque, dudum in omnem occaſionem intenti, qua Venetorum iugum excutere poſſent, iiſdem Hungaris, iam ſibi vicinis adhaeſerunt, vt colligitur ex hoc monumento: (*d*) „A. „C.

(*a*) Hiſt. Salon. cap. 23. p. 566. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 272—276. (*c*) Ibid. p. 276—280. (*d*) Ap. Luc. L. III. c. XII p. 224.

„ C. MCLXXXI. menſe Februario, Iaderae regnante „ D. Bela, D. G. rege Hung. Dalm. Croatiae, ſen„ tentia D. Mauri, DEI et regis gratia comitis, et „ totius maritimae prouinciae ſtudioſi exercitatoris, „ quum caſtra metatus eſſet. —" Ex hoc tempore nouum *maritimae prouinciae* nomen emerſit, quo ciuitates litorales tam Dalmaticae, quam Croaticae, ſine diſcrimine comprehendi coeperunt. Michael, Scardonenſis epiſcopus, ita ſcribit ad hunc annum: (*a*) *Audito, quod apud Iadram Farcaſius, palatinus comes domini mei regis Vngariae, — eſſet; ad illum pergere ſtudui.* — Quod indicat, et Iadram, et Scardonam Hungarici iuris tunc fuiſſe. (*b*)

A. C. 1182. *Bel.* 10. *Ind.* 15. *P.* 28. *M.*

CCLXXIX. Veneti, de noua Iadrenſium defectione certiores redditi, confeſtim ad claſſem comparandam exercitumque contrahendum, quo vel inuitos ad officium et imperium ſuum reuocarent, animum applicuerunt. Inſtructa claſſe, Iadrae quidem obſidionem admouerunt; ſed, quod vrbs validiſſimo Hungarorum praeſidio defenſa fuerit; re hic infecta, Pagum aliasque Iadrenſium litoribus adiacentes inſulas, quibus praeſidia Hungarorum impoſita non erant, vel receperunt, vel in fide retinuerunt. Haec teſtimonio Danduli nituntur; (*c*) Belam vero, Dalmatis in ſua poteſtate retentis, in ipſam Bulgariam ditionem ſuam propagaſſe, chronicon Auſtriacum ita teſtatur: (*d*) *MCLXXXII. — Rex Vngariae, Bela, Graecorum caſtra et ciuitates in Bulgaria obtinuit.* (*e*)

A.

(*a*) Ap. Farlat. T. V. p. 11. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 280—282. (*c*) Libr. X. Cap. II. P. XIV. XV. (*d*) Ap. Hier. Pez T. I. col. 563. (*e*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 283. 284.

A. C. 1183. *Bel.* 11. *Ind.* 1. *P.* 17. *A.*

CCLXXX. Laudatum chronicon Auſtriacum hoc etiam anno Belam vaſtitatem per Graecorum ditionem circumtuliſſe, his verbis affirmat: (*a*) *MCLXXXIII. Rex Vngariae, Bela, terram Graecorum valida manu vaſtat.* Conſentit Nicetas, qui, poſtquam narraſſet, Andronicum Comnenum tyrannidem arripuiſſe; ſubiicit, eumdem proditionis crimen in Mariam imperatricem, quaſi Belam ad vaſtandam Graeciam euocaſſet, contuliſſe, comminiſcendo, (*b*) *eam ad Belam, Hungariae regem, ſororis maritum, crebras dediſſe litteras, et magnis pollicitationibus eum impuliſſe, vt Braniſouam et Belgradum vaſtaret.* Et infra: (*c*) *Vt autem Andronici deſignatio — legionum ducibus, qui ad Niſum et Braniſouam Hungariae regi, Belae, reſiſtebant, loca illa omnia ferro et igni vaſtanti, ſignificata eſt;* — Nullum igitur dubium eſt, Belam vsque Niſſam populationem circumtuliſſe; ſiue precibus imperatricis Mariae, cuius ſororem Annam ante decennium vxorem acceperat, id dederit; ſiue caedem alterius Mariae, ſibi quondam a Manuele deſponſáe, quam Andronicus veneno ſuſtulit, vlciſci voluerit. Andronicus, poſtquam vtramque Mariam, ſuae tyrannidis et ambitionis obicem, e medio ſuſtuliſſet; ipſum etiam Alexium, 15. annos natum, cuius cauſſa Manuel ſua pacta reſciderat, noctu crudeliter ſtrangulandum curauit. Ita Manuelis, qui toties iniuſto bello Hungaros vexauerat, filia, filius, vxor, Andronici tyranni victimae, tertio poſt eius obitum anno, ceciderunt.(*d*)

CCLXXXI.

(*a*) Ap. H. Pez. T. I. col. 564. (*b*) Edit. Ven. p. 141.
(*c*) Ibid. p. 146. (*d*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 285. 286.

CCLXXXI. Non ita Bela bellicis expeditionibus ſuas curas addixit, vt earum partem ad ſacra ſtabilienda non conuerteret. Iam anno ſuperiore, teſte Schmitth, (*a*) *ordini cruciferorum villam Signye — dono dedit. — Eodem anno abbatiam Bakonienſem condidit, eamque in ordinem Ciſtercienſium transſcripſit.* Cuius autem beneficio hoc anno condita ſit abbatia de S. Gothardo, Ciſtercienſis itidem ordinis, mihi non conſtat. Ceterum Belam ordini huic addictiſſimum fuiſſe, docet illud diploma, quo praerogatiuas easdem, quibus in Gallia hic ordo gaudebat, eidem contulit, *anno ab inc. dom. MCLXXXIII.* Reditus item eccleſiae Nitrienſis hisce litteris auxit: (*b*) „Ego Bela III. D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex, notum facio cunctis, — quod pater meus, rex Geyſa, de tributo fori Nitrien. 200. penſas annuatim perſoluendas contulerit; poſtmodum ego, paternae deuotionis — imitator, paupertati eccleſiae Nitrienſis pie compatiens, tertiam partem eiusdem tributi — eidem eccleſiae ex integro conceſſi. — — Anno inc. dom. milleſimo C. octuageſimo tertio." Quum tam tenues epiſcopatus Nitrienſis reditus initio fuerint; apparet, eius conditorem S. Stephanum, qui teſte Carthuitio, *regaliter diſpoſuit* epiſcopatus a ſe conditos, ſeu regia liberalitate dotauit, dici non poſſe. (*c*)

A. C. 1185. *Bel.* 13. *Ind.* 3. *P.* 21. *A.*

CCLXXXII. Quum Bela Spalatenſibus non alium, quam natione Hungarum, archiepiſcopum eligendum permiſiſſet; obſtinatione ſua tandem vicit eosque permo-

(*a*) Agr. Ep. T. I. p. 94. 95. (*b*) Ap. Pray Diatrib. p. 43.
(*c*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 287—290.

permouit, vt Petrum, Chitileni filium, apud Hungaros nobiliſſima ſtirpe prognatum, ad B. Domnii ſedem euexerint. (*a*) Hic, quam egregie munus ſuum obierit, celebrata ſtatim ſynodo prouinciali, luculente docuit. Nihil vero maiori commendatione dignum iſtic peregerat, quam quod archiepiſcopales prouentus imminuere non dubitauerit, vt nouam Corbauiae ſedem epiſcopalem erigeret. Haec anno 1460. Modruſam translata; demum eius procuratio ſub annum 1600. epiſcopo Segnienſi commendata fuit, qui nunc eſt virtute doctrinaque clarus Ill. ac RR. D. Ioannes Ieſſich. (*b*)

CCLXXXIII. Ignoraſſemus, Emericum, Belae III. filium, iam nunc regem coronatum eſſe; niſi laudatus Petrus, Spalatenſis archiepiſcopus, in ſuis litteris affirmaret, quas his verbis exorſus eſt: (*c*)
„ Anno ab inc. dom. MCLXXXV. ind. III. D. Lu-
„ cio PP. III. apoſt. ſedi praeſidente, ac D. Bela
„ III. Hungariae regnum gubernante, et domino H.
„ (*Hemerico*) filio eius, eo viuente, coronato. —"
Filiorum alter, Andreas, a cuius ingenio feruidiore timeri regno poterat, in Haliciam a Bela hoc eodem tempore deſtinabatur, ſi Cromero credimus, qui Halicienſem arcem ab illo, loco Volodimiri, per fraudem occupatam ait. (*d*)

A. C. 1186. *Bel.* 14. *Ind.* 4. *P.* 13. *A.*

CCLXXXIV. Poſtquam Bela hunc in modum vtrique filio, quos ex Anna, coniuge prima, ſuſtulerat,

---

(*a*) Thom. Archid. p. 566. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 295—299. (*c*) Ap. Farlat. T. III. p. 213. (*d*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 299—309.

lerat, prouidiſſet; Margaritam, coniugem ſecundam, in Hungariam ex Gallia traduxit. Erat haec Margarita magnorum ſanguis regum, Philippi, Galliae regis, ſoror, quam Henricus II. Angliae rex, cognomini filio ſuo deſpondit anno 1158. Poſtquam eius maritus anno 1183. deceſſiſſet, ac eodem fere tempore Bela quoque coniugem Annam amiſiſſet; hic viduus eam viduam connubio ſibi iunxit. Patrem ea Ludouicum VII. Galliae regem; matrem vero Conſtantiam, Alphonſi, Hiſpaniae regis, filiam, habuit. Vnde Turotzius hanc Margaritam, materno genere Hiſpanam, intellexiſſe videtur; quum illam Belae I. coniugem his verbis tribuit: (*a*) *Kyquini quidem et Renoldi origo eſt de Hiſpania, cum regina Margarita, coniuge Belae regis*; filii Zaar Ladislai, *Pannoniam adeuntium.* Videtur Turotzius ad Belam regem, quem primum fuiſſe putauit, adieciſſe: *filii Zaar Ladislai.* Videtur etiam in eo monumento, quod Belius ita refert; (*b*) *Interceſſerat litis quidpiam Iacobo, archiepiſcopo Strigonienſi*, nomen archiepiſcopi per I. litteram expreſſum fuiſſe, quam librarius in *Iacobum*, quum in *Iobum* debuiſſet, vertit. Tabulis illis, hoc anno confectis, ſubſcripti ſunt *Makarius, Quinqueeccleſienſis; Ioannes, Veſprimien. Mikuuini* (ſ. Miculini) *Iaurien. epiſcopi; Thomas, palatinus comes; Mok, curialis comes.* — (*c*)

A. C. 1188. *Bel.* 16. *Ind.* 6. *P.* 17. *A.*

CCLXXXV. Non Iacobum, ſed Iobum eccleſiae Strigonienſi his annis praefuiſſe, tam ex iis, quae iam alias produximus, quam ex Belae litteris, Strigonien-

(*a*) Chron. P. II. cap. 15. (*b*) Not. Hung. T. II. p. 285.
(*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 309—315.

gonienſium canonicorum collegio datis, apparet, quarum epilogus ita habet: (*a*) „Anno ab inc. dom.
„ MCLXXXVIII. Iob, Strigonienſi archiepiſcopo;
„ Paullo, Colocen. electo; Petro, Agrien. Boleslao,
„ Vacien. epiſcopis; Vngrino, Geurien. Ioanne,
„ Bezprimien. electis; Mogy, palatino comite; Do-
„ minico, curiali comite; — Saul, Cenadienſis
„ electus, hanc chartam annotauit.“ Ex aliis huius anni documentis diſcimus, Belam etiam hoc anno Dalmatiam poſſediſſe. Veneti iam octauum in annum acerrimum cum eo bellum geſſerunt: quumque tanto tempore, pluribus acceptis cladibus, nihil profeciſſent; ad pacis tractationem animum tandem adiecerunt, vtiliusque vires ſuas ad Saracenos oppugnandos conuertendas cenſuerunt. (*b*) Nam in Palaeſtina Saladinus et Guidonem regem, et ſanctam crucem, et ipſam Hieroſolymorum vrbem, cum multis aliis terrae ſanctae locis, in ſuam poteſtatem anno ſuperiore redegit. Fama tam funeſtae iacturae per orbem Chriſtianum didita, multi crucem aſſumſerunt, ac ad amiſſa recuperanda magnis animis ire conſtituerunt. Ob communem hunc Chriſtianorum in ſacram expeditionem conſenſum, Hungari quoque cum Venetis, licet non pacem, inducias tamen, biennio duraturas, confecerunt. Ad auxilium periclitanti Palaeſtinae ferendum iturus Henricus, Angliae rex, cuius nurum Margaritam Bela duxerat, tutum ac prouiſum per Hungariam tranſitum ab eo per litteras petiit. Reſpondit ei Bela III. in haec verba: (*b*) „— Certiſſimum habeatis, quod
„ regiae magnificentiae propoſitum collaudamus et
„ appro-

(*a*) Ex MSS. Otrokotſianis. (*b*) Dandul. L. X. C. II. P. XX. p. 212. (*c*) Ap. Radulf. col. 639.

„ approbamus; quoniam diſcretionis veſtrae et pro-
„ bitatis diligentia et ſollicitudinis interuentu, ſicut
„ credimus et confidimus, eccleſia DEI et terra
„ ſancta deſolata ſolatium percipiet et laudabile ſub-
„ ſidium, ad honorem DEI et gloriae veſtrae per-
„ petuum incrementum. Nos itaque gaudio ma-
„ gno gaudentes, quod de proximo ſperamus et
„ exſpectamus opportunitatem vobis ſeruiendi et vos
„ honorandi, regiae veſtrae magnificentiae vires et
„ opes regni noſtri exponimus; veſtramque petitio-
„ nem obuiis manibus et hilari mente excipientes,
„ mercatum victualium et copiam, prout regionis
„ vbertas, per DEI miſericordiam prouentura, pot-
„ erit ſuſtinere, benigne et deuote concedimus et
„ promittimus.“ Quominus Bela quoque cruce ſignatis ſe iungeret; impedimento fuere turbae, quas Poloni Haliciae cauſſa ſuſcitauerant. Valodomirus enim, ſeu Ladimirus, e carcere, corruptis cuſtodibus, elapſus, Caſimiri ducis auxilio Haliciam recuperauit. Pace ſubinde compoſita, Belam ius in Haliciam ſeu Galitziam retinuiſſe, hic illi titulus anno ſequenti datus oſtendit: (*a*) *Rex Hung. Dalmatiae, Croat. Ramaeque et Galaciae.* — — Quo tempore praepoſituram quoque Scepuſienſem excitaſſe putatur. (*b*)

A. C. 1189. *Bel.* 17. *Ind.* 7. *P.* 9. *A.*

CCLXXXVI. Henricus, Angliae rex, ea Belae munificentia, quam ei per litteras obtulerat, vti non potuit, expeditioni ſacrae hoc anno pridie non. Iulii praemortuus. Eius loco Fridericus imperator Hunga-

(*a*) Ap. Farlat. T. IV. p. 12. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 328 —348.

Hungarorum liberalitatem et magnificentiam expertus ac demiratus eſt. Poſtquam hic, iactura Hieroſolymorum vehementius commotus, anno ſuperiore crucem aſſumſiſſet; Conradum, archiepiſcopum Moguntinum, in Hungariam praemiſit, vt itineris, pabulationis et rerum venalium rationes iniret. Teſte Godefrido Colonienſi, (*a*) pretium quatuor boum praeſtantium vna marca fuit conſtituta, quae, ſi grauioris ponderis erat, quatuor; ſi leuioris, vnum florenum efficiebat. Rebus ad expeditionem ſacram rite comparatis, Fridericus, Poſonium appulſus, feſto pentecoſtes, vt idem Godefridus ſcribit, (*b*) *conuentum habuit: et iurata eſt pax ab omnibus: et lex male factorum lata eſt: et de proceſſu itineris actum eſt. Feria IV. inde mouerunt, et in octaua pentecoſtes* (4. Iunii) *occurrit eis rex Vngariae cum regina, obtulitque imperatori tentorium op roſum, quod portare vix poterant tria plauſtra, et alia inſignia. Filiam quoque ſuam filio imperatoris Friderico deſponſauit.* Fuerit haec eadem Conſtantia, quae, poſtquam ſponſus in expeditione ſacra mortuus fuiſſet, Ottocaro Bohemo nupſit. *Venientibus — eis ad ciuitatem S. Georgii, praeparari iuſſerat* Bela *domum, plenam farina, et pabulum, ex quibus quisque pro libitu accepit.* Arnoldus Lubecenſis id factum ait ad caſtrum, *quod Gran*, ſeu Strigonium, *dicitur:* qua quidem in re Godefrido minime contradicit; quum caſtro Gran adiaceat oppidum S. Georgii, vbi felicioribus temporibus *praepoſitura, S. Georgii de viridi campo dicta*, floruit, quam hodie RR. D. Ioſephus Vilt, ſingularis ſtudiorum meorum fautor et ſtator, obtinet. *Quum*, inquit Arnoldus, (*c*)

(*a*) Ap. Freh. E. Str. T. I. p. 349. (*b*) Ibid. p. 352. (*c*) Ap. Caniſ. T. III. P. II. p. 506.

D. imperator in ciuitatem veniſſet, quae Gran dicitur, quae Vngarorum eſt metropolis; rex ei in propria perſona, cum mille militum comitatu, ſollemniter occurrit, omnique deuotione ſe non ſolum hoſpitalem, ſed etiam officioſum exhibuit. Imperatore autem quatuor diebus ibi moram faciente, — regina dedit D. imperatori tentorium optimum. — Exinde rex imperatorem in caſtrum, quod Gran dicitur, recepit, tranſito flumine eiusdem nominis; — ibique dedit rex imperatori duas domos, plenas farinae puriſſimae. — Inde D. imperator 4. diebus venationi operam dedit. — Poſt haec venerunt ad fluuium, qui Sowa dicitur, vbi multitudo exercitus dinumerata eſt; et inuenta ſunt 50. millia militum et 100. millia armatorum. — Profecti autem inde, venerunt ad fluuium, qui Marowa dicitur, vbi rex D. imperatori plauſtra miſit multa, farina onerata. — In eodem loco rex, imperatori valedicens, diſceſſit; dans ei 4. camelos, pretioſis muneribus oneratos, quae ad 5000. marcarum (al. florenorum) *computata ſunt. D. autem imperator, multas regi gratias agens, dedit ei omnes naues, quae eum de Ratisbona fuerant ſequutae. — Igitur in natiuitate B. Ioannis Bapt. exiuerunt Vngariam et intrauerunt Bulgariam.* Tantus igitur exercitus, integro menſe, regni huius beneficiis alebatur. (*a*)

A. C. 1190. *Bel.* 18. *Ind.* 8. *P.* 25. *M.*

CCLXXXVII. Quae cauſſa fuerit, cur Bela Hungaros, qui ſe cruce ſignatis iunxerant, ex itinere reuocarit, nec anonymus ille ſynchronus, qui hoc refert,

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 350—361.

refert, (a) nec alii memoriae prodiderunt. Fortaſſe, quod, inimicitiis inter duos imperatores exortis, ſuos aduerſus Iſaacium Angelum, generum ſuum, pugnare noluerit; fortaſſe, iam tunc expeditionem ſacram vouit, ad quam ſuos reſeruatos voluerit; fortaſſe, quod, exactis induciarum duobus annis, bellum cum Venetis recruduerit, ad quod, maioribus viribus gerendum, iis opus habuerit. Praelium ad promontorium, cui Trani nomen, erat commiſſum, cladem que Venetis illatam eſſe, docet hoc monumentum: (b) *MCXC. Madii, poſt bellum, cum Venetis habitum, et poſt victoriam de caſtello in promontorio Trani, — S. Griſogono gratias effundentes, de occaſione maximi periculi et collatione victoriae — retuliſſemus, electo noſtro Petro in Vngaria perſiſtente, etc.* Bellum hoc, vix inchoatum, nouis induciis compoſitum eſſe, his Danduli verbis innuitur: (c) *Inter regem Hungariae et Venetos completae treugae vsque ad biennium renouantur.* Iadram iterum in poteſtate Hungarorum manſiſſe, docet hoc monumentum: (d) *Anno dom. inc. MCXC. die SS. Ioannis et Paulli, ind. 8. Iadrae, temporibus domini noſtri Belae, D. gr. inuictiſſimi regis Vng. Dalm. Croat. Ramae, nec non Galatiae, et Petri, Iadertinae ſedis ven. archielecti.* — Hic Petrus, natione Hungarus, quod primatem Gradenſem agnoſcere noluerit, pallium impetrare non potuit, ac in Hungaria ſemper commoratus, ab epiſcopo Pharenſi ſuppleri debuit. (e)

 CCLXXXVIII.

(a) Ap. Caniſ. E. Baſn. T. III. P. II. p. 506. (b) Ap. Luc. L. III. C. XII. p. 226. (c) Libr. X. C. II. P. 28. p. m. 314. (d) Farlat. T. V. p. 64. (e) Hiſt. Crit. T. IV. p. 362—371.

CCLXXXVIII. Bela, compoſitis iterum ac in biennium prorogatis induciis, ad curandas res ſacras conuerſus, priuilegia Quinqueeccleſienſis epiſcopatus, prolixo diplomate confirmauit, cuius poſtrema verba ſunt: (*a*) „ — In memoriam omnium „ poſterorum, noſtrae regalis aulae bulla aurea fe„ cimus perennari, anno dom. incarn. MCXC. Iob „ Strigonienſem cathedram feliciter obtinente; Pe„ tro Colocenſi archiepiſcopo exſiſtente; Calano, „ praefato epiſcopo Quinqueeccleſienſi et totam „ Dalmatiam atque Croatiam nobiliter procurante; „ Vgrino (*al. Verino*) Iaurienſi; Saulo Chanadienſi; „ Adriano Tranſſiluan. epiſcopis exſiſtentibus; Mogh „ (*al. Moege*) palatino comite; Dominico maiori „ (*comite*) curiali exſiſtentibus. — “ Male hanc confirmationem Andreae Kerchelichius tribuit, deceptus hoc titulo: (*b*) *Andreas, D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ramae, Seruiae, Galitiae Lodomeriaeque rex.* Nam hi tituli, quibus nullus adhuc regum vſus eſt, non ad hanc, ſed ad illam confirmationem, quam Andreas II. anno 1235. fecit, pertinent. Hic primum *aureae bullae* mentio Hungaricis in diplomatibus occurrit, quem morem Bela III. ex aula Byzantina videtur in Hungariam induxiſſe. Male quidam Petro Colocenſi Paullum ſufficiendum putant. (*c*)

A. C. 1192. *Bel.* 20. *Ind.* 10. *P.* 5. *A.*

CCLXXXIX. Pacatis vndique rebus, Bela flagrantibus a Caeleſtino III. precibus flagitauit, vt, quum pluribus in dies prodigiis S. Ladislaus inclareſceret, caeleſtes illi honores primo quoque tempore

(*a*) Ap. Schmitth. E. Agr. T. I. p. 98. (*b*) Hiſt. E. Zagr. p. 324. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 371—378.

pore decernerentur. Tempus actae rei chronicon ſynchronum exeuntis ſeculi XII. ſic adnotauit: (*a*) *MCXCII. Eleuacio S. Ladyzl. IIII. non. Februarii.* Hoc igitur teſte, ſecunda Februarii, non, vt aliqui volunt, 27. Iunii, S. Ladislai corpus eleuatum eſt. Auctor quoque ſynchronus Corſendonkani codicis eumdem ita conſignauit: (*b*) *Noſtris quoque temporibus DEVS multis mirabilibus ſanctum confeſſorem ſuum Ladislaum glorificauit; nam anno dom. MCXCII. ſanctum corpus eius canonizatum eſt;* ſeu poſt canonizationis decretum, eleuatum eſt. Tum inter patrata meritis ſancti regis prodigia caecos, mutos, claudos, paralyticos curatos recenſet. Duobus his ſcriptoribus ſynchronis in anno 1192. conſentientibus, erraſſe dicendus eſt Thomas archidiaconus, quum id factum eſſe refert ab Innocentio III. qui, mortuo iam Bela, ſedere coepit anno 1198. Indidem etiam error Bonfinii fluxerit, qui ſcribit, (*c*) *anno centeſimo tertio poſt mortem* S. Ladislai hanc apotheoſim peractam eſſe. Nam, ſi credidit, eam Innocentium III. peregiſſe; inter mortem S. Ladislai, quae contigit anno 1095. et electionem Innocentii III. quae facta fuit anno 1198. tres ſupra centum annos interceſſerunt. Quamuis autem multis in dies miraculis S. Ladislaus inclaruerit; Gregorius tamen cardinalis de virtutibus eius maturum ac ſeuerum examen inſtituit. Omnibus rite discuſſis, geminus S. Ladislai cultui dies conſecratus erat, 27. Iunii, qua prius a laboribus feriatio per regnum erat, et 29. Iulii, qua S. Ladislaum obiiſſe, iam alias oſtendimus. Ita Hungari, poſtquam piis Belae III. ſtudiis S. Ladislaus aris admotus eſt, alterum

(*a*) Ap. Pray Diſſ. de S. Lad. p. 8. (*b*) Act. SS. Iun. T. V. p. 319. (*c*) Dec. II. L. IV. p. m. 261.

iam regem, raro felicitatis exemplo, ſanctorum faſtis adſcriptum venerabantur. (*a*)

A. C. 1193. *Bel.* 21. *Ind.* 11. *P.* 28. *M.*

CCXC. Primus ille ſanctus rex eiusdem ſancti regis, cui nunc iſte honor obtigit, ardenti pietate caelitibus adnumeratus, pluribus aris, templis, coenobiis in illius honorem excitatis, per vniuerſum regnum ab Hungaris iam vltra ſeculum colebatur, Martirius, Strigonienſis archiepiſcopus, Albae regiae grandem eccleſiam eius venerationi ponere coeperat, quam, morte praeuentus anno 1161. Geiſae coniugi continuandam reliquit, vt ex eius filii, Belae III. diplomate liquet, cuius hic eſt epilogus: (*b*) „ Anno ab inc. dom. MCXCIII. ven. Iob Strigon. „ archiep. exſiſtente; ven. Saule Coloc. archiep. ex- „ ſiſtente; Petro Agrien. ep. Calano Quinqueeccleſ. „ ep. et eodem totius Dalm. atque Croat. guber- natore; Boleslao, Vacien. ep. (*ap. Schmitth addi-* „ *tur:* Ioanne Beſprim. ep. Adriano Tranſſiluano „ ep.) Dominico Zagr. epiſcopo; Mogh palatino „ comite et eodem Baachienſi; Dominico curiali „ comite et eod. Bodrogienſi. —“ Calanum vicaria poteſtate Dalmatiam et Croatiam adminiſtraſſe, patet etiam ex illo diplomate, quo decimas eccleſiae Zagrabien. ſtabiliuit, hoc initio: (*c*) „ Calanus, „ D. gr. Quinqueeccleſien. ep. *Paleatus*, et totius „ Dalmatiae atque Croatiae gubernator. — Anno „ dom. inc. MCXCIII. ind. XI.“ Quum iam hoc anno praerogatiuam archiepiſcopalis pallii conſequutus ſit; errat Timon, qui hunc illi honorem in calumniae

(*a*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 390—409. (*b*) Ap. Pray de Prior. Aur. p. 117. (*c*) Ap. Kerch. H. E. Zagr. p. 324.

lumniae fortiter toleratae praemium ab Innocentio III. qui nondum hoc anno pontifex erat, collatum putat. (*a*) Quod ornamentum Georgius Klimo, ſedis eiusdem epiſcopus, a Benedicto XIV. pro ſuis ſucceſſoribus itidem impetrauit. (*b*)

A. C. 1194. *Bel.* 22. *Ind.* 12. *P.* 10. *A.*

CCXCI. Etſi Calanum hoc tempore Dalmatiam et Croatiam gubernaſſe certum ſit; quum tamen inter Templarios, in Aurana pontificum beneficio collocatos, et SS. Cosmae ac Damiani monachos aliquae lites de finibus et diuortiis agrorum emerſiſſent; rex Bela controuerſiae huius iudicem Petrum, Spalatenſem archiepiſcopum, conſtituit. Hic igitur, adhibitis quibusdam arbitris, vtriusque coenobii fines eo diplomate deſcripſit, cuius initium ita habet: (*c*) „Anno ab incarn. D. N. I. C. 1194. men„ſis Iunii die nono, — regnante D. N. Bela, ſer. „rege Hung. Dalm. Croat. atque Ramae, et Al„merico filio ſuper Dalmatiam et Croatiam —" Non igitur recte ſentiunt, qui his prouinciis Andream filium a Bela iam nunc praepoſitum fuiſſe credunt. Emericus, rex Hungariae coronatus, hanc a patre portionem accepit, quam eius nomine Calanus quidem adminiſtrauit; Bela tamen ſupremum in eam ius, vt ex delegatione iudiciorum apparet, retinuit.

A. C. 1195. *Bel.* 23. *Ind.* 13. *P.* 2. *A.*

CCXCII. Emericus, eam aetatem iam aſſequutus, vt connubium inire poſſet, ipſe Dalmatiam et Croa-

(*a*) Epit. Chron. p. 26. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 409—428.
(*c*) Ap. Farlat. T. III. p. 225.

Croatiam adminiſtrare coepit, vt e tabulis Iadertinis intelligere poſſumus, quarum initium ita Farlatus exhibet: (a) „ Anno 1195. ind. 13. Iadrae, re„ gnante D. N. Bela, Vng. Dalm. Ramae rege, et „ Enrico, eius filio, bis coronato, Dalm. et Croat. „ feliciter gubernante. —“ Cur Emericus ſecundo coronatus ſit, incertum eſt. Fortaſſe, quum ante decennium coronaretur, infans erat; nunc igitur, quum ipſe Dalmatiam et Croatiam gubernandam ſuſcepit, vt id maiore cum dignitate praeſtaret, ſollemnius inauguratus fuit. Incertum etiam eſt, an Aliſia, principis Antiocheni filia, ſponſa vel coniux Emerici regis ante Conſtantiam Aragoniam fuerit, quod aliqui contendunt. (b)

A. C. 1196. *Bel.* 24. *Ind.* 14. *P.* 21. *A.*

CCXCIII. Ex his documentis, quibus Bela poſt annum 1190. ſuperſtes innuitur, manifeſtum eſt, errare Turotzium, quum eius mortem his notis temporis deſignat: (c) *Regnauit autem annis XXIII. menſe vno, diebus XIX. Obdormiuit autem in domino anno eiusdem MCXC. kalendis Maii, feria tertia.* Annum eſſe corrigendum et reſcribendum MCXCVI. tam chronicon Clauſtro-Neoburgenſe cum aliis, quam Emerici, Belae ſucceſſoris et filii, qui regni ſui quintum annum vocat MCC. et MCCI. diplomata docent. Diem item menſis corrigendum eſſe, colligimus ex *feria tertia*, quae hoc anno cum *kalendis Maii* non concurrit. Quare reſtituendus eſt dies e chronico Budenſi, quod non *kalendis Maii*, ſed *IX. kal. Maii* habet. Quum enim hoc anno litte-

(a) Illyr. S. T. IV. p. 341. (b) Hiſt. Cr. T. IV. p. 436 — 440. (c) Chron. P. II. cap. 69.

littera dominicalis poſt biſſextum fuerit F. *IX. kal. Maii* ſeu 23. Aprilis in *feriam III.* incidit. Anno dieque ſic reſtituto, cetera, quae de Belae principatu Turotzius habet, bene congruunt. Quum enim Stephanum III. obiiſſe ſcripſerit *anno MCLXXIII. IV. non. Martii;* hinc *annos XXIII. menſem I. dies XIX.* numerando, deducimur *ad IX. kal. Maias anni MCXCVI.* Bonfinius ex *IX.* numero, qui *kal. Maii* praeiiciendus erat, effinxit annum MCXCIX. (*a*)

CCXCIV. Belam inter eos reges, quibus Hungaria multum debeat, merito numerauerimus. Is enim, in aulam Manuelis aſſumtus, quicquid illic et ad vtilitatem, et ad dignitatem maiorem regno conciliandam idoneum vidit, in Hungariam poſtea traduxit. Ille perturbatam prius in Hungaria iudiciorum formam ad Graecorum imitationem immutauit. Ille patriam fece latronum, bellis inteſtinis auctorum, repurgauit. Ille Dalmatiam, ab Hungaria fraude Manuelis auulſam, iuribus ſacrae coronae reſtituit. Ille Galliciam, nondum vllo iure Polonis obnoxiam, regno noſtro firmius innexuit. Ille ſuis curis effecit, vt D. Ladiſlaus ſanctorum faſtis adſcriberetur, religioque Chriſtiana, multis religioſorum domiciliis erectis, magis firmaretur. Votum expeditionis ſacrae, quod vel morbis, vel regni negotiis impeditus, explere non poterat, in Andream filium cum immenſis theſauris tranſtulit. Sacros profanosque magiſtratus hi ſub eo geſſerunt: Archiepiſcopus *Strigonien.* Lucas 1174. Iob 1175. *Coloc.* Paullus 1175. Andreas 1176. Paullus 1188. Petrus 1190. Saul 1193. *Spalat.* Petrus 1185. Epiſc. *Agrien.* Petrus

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 449—455.

trus 1188. *Iaur.* Miculinus 1176. Mikuuini 1186, Vgrinus 1188. *Quinqueeccleſ.* Macharius 1186. Calanus 1190. *Tranſſilu.* Adrianus 1190. *Tsanad.* Saul 1188. Criſpinus 1193. *Vacien.* Boleslaus 1188. *Veſprim.* Ioannes 1186. *Zagrab.* Vgrinus 1175. Prodanus 1176. Dominicus 1193. *Nitrien.* Ebrandus 1193, C. *palatinus* Farkaſius 1175. Thomas 1186. Mogh 1188. C. *curialis* Makarius 1181. Mok 1186. Dominicus 1188. *Banus* Subanus 1175. Ompudinus 1176. Dionyſius 1181. Dominicus 1195. *Vaiuoda Tranſſiluan.* Leuſtachius 1176. (*a*)

§. XXIV.

EMERICVS, REX XVII,

Coepit A. C. 1196, *deſiit A. C.* 1205.

A. C. 1196. *Em.* 1. *Ind.* 14. *P.* 21. *A.*

CCXCV.

Emericus, vel Hemericus, proprie Henricus, corrupte quibusdam Enricus, Eimricus, Almericus, aliis etiam Hemmeradus dictus, non plurium, quam 24. annorum eſſe potuit, quum ab obitu patris ſolus rerum potiri coepit. Agnes enim Antiochena, quam Annam Graeci primum, deinde Hungari quoque dixerunt, nonniſi poſt Alexium, 10. Sept. anno 1170. natum et 1172. coronatum, a Manuele coniux Belae data fuit. Etſi vero, hac coniectura nixi, dicere poſſimus, ante quem annum naſci non potue-

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 456—460.

potuerit; quo tamen anno natus ſit, dicere certo non poſſumus. Quum Bernardus Peruſinus, poſtea Spalatenſis archiepiſcopus, inſtituendum Emericum ſub annum 1189. ſuſceperit, vt Thomas archidiaconus innuit; (*a*) Emericus annos adoleſcentiae tunc vix attigerat, minus exceſſerat. Nec alia de cauſſa Calanus Emerici prouincias vicaria poteſtate procurauit annis 1190—1193. quam quod iſte nondum id per aetatem ipſe tunc praeſtare potuerit. Si verum eſſet, quod Bonfinius in haec verba ſcribit: (*b*) *Bela III. ſororem Philippi, regis Galliae, vxorem duxit, ex qua Emericum — et Andream genuit*; quum haec in Hungariam anno 1186. tradu*cta fuerit; Emericus vix nunc decennis fuiſſet; quem tamen, antequam illa Belae nupta fuiſſet, iam coronatum anno 1185. vidimus. An autem Dalmatiae ſolum et Croatiae rex, viuente patre, coronatus fuerit, incertum eſt. Hoc tamen veroſimilius dici propterea poteſt, quod ſolum in Dalmaticis monumentis mentio coronationis eius occurrat. Ceterum etiamſi Hungariae quoque rex inauguratus fuerit; eamdem tamen ſollemnitatem a morte patris inſtauratam fuiſſe, Turotzius innuit lemmate capitis LXX. quod inſcripſit *de coronatione Emerici regis, filii Belae regis III.* (*c*)

A. C. 1197. *Em.* 2. *Ind.* 15. *P.* 6. *A.*

CCXCVI. Non multo poſt obitum Belae bellum inteſtinum inter Emericum et Andream erupit, ac idemtidem ſopitum, iterum iterumque recruduit. Originem omnis diſſenſionis Godefridus monachus ex

(*a*) Hiſt. Salon. C. XXIV. p. 561. (*b*) Dec. II. Libr. VII. p. m. 302. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 460—463.

ex pecunia, quam Andréae Bela reliquerat, repetit. *Bela*, ſcribit ille; (*a*) *rex Hungariae, vita decedens, duos reliquit filios, Hemmeradum et Andream; quorum priori regnum dedit, et filiàm principis Antiochiae; alteri quaedam caſtella et praedia magna, atque ad peregrinationem Iheroſolymitanam, quam ipſe vouerat, peragendam, infinitam pecuniam. Adoleſcens autem, poſt deceſſum patris, quum libera vſus fuiſſet poteſtate, ſicut aetas illa ſaepius prodiga eſt et improuida, acceptam pecuniam cito dilapidauit. Quo facto, quum ad conſuetum luxum copia non afflueret; coepit conſilio ſuorum regnum fratris ſibi vſurpando inuadere: cui quum rex reſiſteret; orto inter eos bello, victoria potitus eſt Andreas, auxilio ducis Auſtriae Lupoldi: quo ſucceſſu elatus, ſicut res eſt inquieta felicitas, ſecundo contractis copiis, fratrem inuadit. Ille, accitis Teutonicis, quorum ibi copia magna eſt, qui et hoſpites ibi vocantur, fratrem deuicit, occiſis ex eius parte multis et captis.* Si hunc igitur audimus; Andreas non Dalmatiam et Croatiam; ſed caſtella quaedam et praedia magna multamque pecuniam ad obeundam loco patris peregrinationem ſacram obtinuit. Sed iis ille non contentus, Dalmatiam et Croatiam ſibi vindicare voluit: et, quod ipſe cruce ſignatos ſub ſignis habuerit; Emericus autem ad bellum gerendum imparatus fuerit; facile vindicauit. Nec enim mihi credibile videtur, Andream ipſum Hungariae regnum eripere fratri voluiſſe, cui Hungari, propter aetatis praerogatiuam, iam antea coronam impoſuerunt. Sub initia ſtatim bellum hoc erupiſſe, diſcimus ex hoc Emerici diplomate: (*b*) „Henricus, D. gr.
„ Hung.

(*a*) Ap. Freh. T. I. p. 366. (*b*) Ap. Bel. T. I. p. 115. T. II. p. 232.

„ Hung. Dalm. Croat. Ramaeque rex. — Quemdam jobagyonem de caſtro Poſony, nomine Zerzowoy, filium Sbima, qui in aduerſitatibus *et bellis, inter nos et fratrem noſtrum habitis*, a fidelitate noſtra non declinauit, verum viriliter pro corona noſtra dimicauit, ob meritum ſuae deuotionis, ad eximiam extulimus libertatem. — — Anno inc. dom. MCXCVII. ven. Iob, Strigon. archiep. exſiſtente; Saul, Coloc. archiep. Petro, Agrien. ep. Calano, Quinqueeccleſ. ep. Vnyno (*Vgrino*) Iaur. ep. Adriano, Vltraſiluano ep. Eſau, palatino comite, et eodem Bats. Eſau, curiali comite, et eodem Senadien. —“ Verum igitur illud Admont. chronici: (*a*) *MCXCVII. Andreas, — frater Henrici, regis Vngarorum, contra fratrem ſurrexit.* (*b*)

A. C. 1198. *Em.* 3. *Ind.* 1. *P.* 29. *M.*

CCXCVII. Iam anno ſuperiore Caeleſtinus III. auditis fratrum diſſidiis, legitimi regis Emerici patrocinium ſuſcepit; cui ſuffectus hoc anno 8. Ian. pontifex Innocentius III. plures in Hungariam litteras dedit, quae tranquillitatem nondum regno reſtitutam fuiſſe teſtantur. Haec fuit cauſſa, cur tam archiepiſcopo Strigonienſi, quam palatino regni votum expeditionis ſacrae relaxauerit; ſic enim ad archiepiſcopum ſcribit: (*c*) „Significauit nobis cariſſimus in Chriſto filius noſter, Henricus, Vngariae rex illuſtris, quod, quum in regni turbatione conſilium et auxilium tuum ſibi ſenſerit hactenus profuiſſe; vtilitati eius non modicum derogaret; „ ſi

(*a*) Ap. H. Pez T. II. col. 193. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 463—468. (*c*) Epiſt. T. I. L. III. p. 1.

„ ſi Hieroſolymam, ſicut ex voto teneris, regno „ pergeres impacato. — " Praecipit igitur, ne prius iter arripiat, *quam regnum ipſum fuerit tranquillitati priſtinae reſtitutum.* Idem ad Emerici preces palatino Mozoni (*Mogoni*) his litteris indulſit: (*a*) „ Significaſti nobis, quod quum nondum prorſus in „ regno Vngariae fuerit ſedata ſeditio; — dilecti „ filii N. comitis Mozonis et quorumdam aliorum, „ qui ad viſitandam terram natiuitatis dominicae „ crucem ſibi dominicam affixerunt, conſilio indi„ ges; donec tibi et regno tuo plena fuerit con„ cordia reſtituta. —" Hinc apparet, multos exemplo Belae regis expeditionem ſacram vouiſſe: qua quidem obligatione pontifex Andream adeo non ſoluit, vt potius ad explendum patris votum his illum litteris admonuerit: (*b*) „ Nobili viro A. duci. „ — — Quum inclitae record. B. quondam rex „ Vngariae, pater tuus, ageret in extremis; — „ votum, quo vouerat domino Hieroſolymitanam „ prouinciam in forti manu et brachio extento — „ viſitare, ſub interminatione maledictionis pater„ nae, commiſit tuae fidei exſequendum: et tu, „ intellecta pia voluntate parentis, aſſumto crucis „ ſignaculo, te id impleturum ſine dilatione quali„ bet promiſiſti. Verum, eodem patre tuo ſublato „ de medio, quum Hieroſolymitanum iter te acci„ pere ſimulaſſes; aſſumtae peregrinationis oblitus, „ quam contra inimicos crucis dirigere debueras, „ in fratrem tuum et regnum Vngariae conuertiſti „ aciem bellatorum; et multa contra ſerenitatem „ regiam, malignorum vſus conſilio, commiſiſti. „ Nos autem, quos diebus iſtis ad pontificatus of„ ficium, licet immeritos, dominus euocauit, tam „ paci

(*a*) Ibid. f. CXIX. p. 1. (*b*) Ibid. f. III. p. 2.

„ paci regni Vngariae, quam tuae volentes ſaluti „ conſulere, nobilitatem tuam rogamus, monemus, „ — quatenus — propoſitum iter arripias, — ne „ — paterna te reddas ſucceſſione indignum; — „ ſciturus, ex tunc anathematis te vinculo ſubia„ cere; et iure, quod tibi, ſi dictus rex ſine pro„ le decederet, in regno Vngariae competebat or„ dine geniturae, priuandum; et regnum ipſum ad „ minorem fratrem tuum — deuoluendum. — " Nullum in hiſtoriis indicium de minore hoc Andreae fratre, latiore forſan ſenſu ſic dicto, habemus. (*a*)

CCXCVIII. Si dux Andreas ad ſacram expeditionem, hoc admoto terrore, permoueri potuiſſet; futurum erat, vt omnem inteſtini belli metum ſecum auferret. Quia tamen is turbare nondum deſtitit; nouis litteris Innocentius III. eumdem fortiter et ſuauiter ad vnionem et mutuam caritatem cohortatur, ac addit, ſe mandaſſe praeſentibus, (*b*) *vt, ſi contra memoratum regem arma mouere vel ſeditionem excitare praeſumſerit; ipſum — excommunicationis ſententia feriant.* Abbatem etiam S. Martini, delatum ab Emerico de conſpiratione, cum Andrea contra ſe facta, Romam ad dicendam cauſſam euocauit. (*c*) Scripſit etiam ad Saulem, arch. Colocenſem; Vgrinum Iaur. Dominicum Zagrabien. epiſcopos in haec verba: (*d*) — „ Quum omnes „ communicantes in aliquo A. fratri cariſſimi in C. „ filii noſtri, Vngarorum regis illuſtris; — de man„ dato bon. mem. C. papae, praedeceſſoris noſtri, „ excommunicationis fuerint vinculo innodati; N.

„ et

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 474—480. (*b*) Edit. Rom F. CXIX. p. 2. (*c*) Ibid. F. III. p. 2. (*d*) Ib. F. CCXLVII. p. 2.

„ et A. poſt excommunicationem — eidem — con-
„ ſilium et auxilium impertiri et diuina praeſumſe-
„ runt etiam celebrare. Vnde propter hoc in N.
„ Hidruntinum et N. Spalatin. archiepiſcopos —
„ ab eodem, loco remunerationis, — in regiae di-
„ gnitatis praeiudicium, promoti —“ Pro *Hydruntino*, cum quo nihil communionis Andreas habuit, *Iadertinus* videtur reſcribendus, quam ſedem Nicolaus, iniuſſu pontificis, inuaſerat. Quum eius abitu Pharenſis eccleſia vacaſſet; Andreas ei Micham hoc diplomate praefecit: (*a*) „ Anno ab inc. dom. MC-
„ XCVIII. Ind. I. Ego Andreas, III Belae regis
„ filius, D. gr. Dalm. Croat. Ramae Chulmaeque
„ dux, — — Dalmatiam perambulantes, inueni-
„ mus epiſcopatum Farenſem ſuo paſtore vacantem.
„ — — Praetaxatum epiſcopatum cuidam Spala-
„ tenſi canonico Michae contulimus. —“ Quomodo has prouincias Andreas obtinuerit; colligi poteſt ex hoc Iadrenſi monumento: (*b*) „Anno MCXCVIII.
„ die VI. Maii, temporibus Emerici, regis Hung.
„ Dalm. Croat. etc. ac Nicolai, Iadrenſium archi-
„ electi. Poſt felicem ac glorioſum victorioſae do-
„ minationis ingreſſum illuſtriſſimi Andreae, III.
„ Belae regis filii, et triumphum, quem ſibi omni-
„ potens ducatus ſui protector et auctor de Dalma-
„ tia et Croatia magnifice conferre dignatus eſt,
„ atque poſt habitam tam Chulmiae, quam Raſciae
„ laudabilem victoriam, quum ad Iadertinam ciui-
„ tatem victor rediret, ducatus ſui iura diſponens“
— — Gemina ducis Andreae victoria his verbis inſinuatur; altera, quam de Dalmatia Croatiaque retulit; altera, quam de Chulmia Raſciaque reportauit.

(*a*) Ap. Luc. L. III. C. XIII. p. 234. (*b*) Libr. IV. Cap. III. p. m. 255.

tauit. Si *victorioſae dominationis ingreſſum*; ſi *triumphum de Dalmatia Croatiaque* celebrauit; has prouincias armis obtinuiſſe dicendus eſt. Bellum igitur Andreas aduerſus fratrem pro his obtinendis mouiſſe geſſiſſeque videtur. Iis potitus, arma victricia non ad Hungariam fratri, cui Hungari propter aetatis praerogatiuam regnum detulerant, eripiendam; ſed ad Chulmiam et Raſciam ſubigendam conuertit; nec vmquam Emericum ipſa Hungaria ſpoliare voluit. Vnde Iadrenſes quoque, licet amplexi partes Andreae, plenum Emerico regis titulum adſcribunt. Andreas ipſe non ſe regem, ſed ducem vocat in hoc diplomate: (*a*) „ Ego Andreas, D. „ gr. Dalm. Croat. Ramae Chulmaeque dux, con- „ firmo B. Domnio capellam S. Moyſi. — (*b*)

CCXCIX. Ex monumentis excitatis apparet, quantam ſollicitudinem et Caeleſtinus, et Innocentius praeſetulerint, vt, fratribus ad concordiam reductis, ſuam Hungariae tranquillitatem reſtituerent. Turbis igitur opera horum pontificum vtcumque ſopitis, opportunum eſſe videbatur, vt Emericus dignam toro ſuo coniugem in Hungariam traduceret. *Huius vxor*, inquit Turotzius, (*c*) *Conſtantia, filia regis Aragoniae.* Pater illius Alphonſus, praeter hanc Conſtantiam, poſt obitum Emerici Friderico II. imp. ſecundis nuptiis collocatam, e Sanctia, Caſtellae regis filia, ſuſcepit etiam Petrum, cuius filius Iacobus Iolantam, Andreae II. filiam, vxorem accepit. Ita ſtirps Arpadiana gemino hoc connubio regibus Aragoniae propius et arctius alligata fuit. Schierius Aliſiam, principis Antiocheni filiam,

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 228. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 480—491. (*c*) Chron. P. II. cap. 70.

filiam, Emerico primum deſponſam fuiſſe cenſet,(*a*) perſuaſus litteris, ab Innocentio III. hoc anno datis, quibus illi bonorum ampliſſimorum ſecuritatem addicit. Haec ille putat ab Emerico huic Aliſiae data dotis cauſſa; ſed nihil in iis litteris occurrit, vnde hoc colligi poſſit. Cognationis igitur potius, quam dotis cauſſa, bona haec Emericus Aliſiae, tamquam ſuae materterae, dederit. Nec obeſt illud Godefridi monachi, quod ſupra vidimus, Belam Emerico *filiam principis Antiochiae* dediſſe; nec enim dicit, illam *coniugem* Emerico datam fuiſſe; ſed potius innuit, onus illam, tamquam ſuae coniugis ſororem, alendi dotandique, Belam filio reliquiſſe. Haec poſtea maritum Azzonem, marchionem Eſtenſem habuit; qui iam ex prima coniuge ſuſtulit Aldobrandinum, hic filiam Beatricem, quam Andreas II. connubio ſibi iunxit. (*b*)

CCC. Etſi reges Hungariae fixam hac periodo ſedem non habuerint; ſed, prout neceſſitas regni poſtulabat, huc illuc commeauerint; Strigonii tamen illos crebrius ac libentius, quam alibi, diuerſatos fuiſſe, diplomata docent. Neque tamen iſtic ſtabilem eosdem ſedem fixiſſe, patet ex Emerici diplomate, quo domum regiam archiepiſcopis in caſtro Strigonienſi donauit, ac vſum dumtaxat eius *pro tempore neceſſitatis* ſibi reſeruauit, multis aliis fauoribus regiis eisdem in haec verba collatis: (*c*)
„ Emericus; D. gr. Vng. Dalm. Croat. Ramae rex.
„ — SS. rex Stephanus et B. Ladislaus rex — or-
„ dinauerunt, — vt de omnibus prouentibus re-
„ galibus — rex Vngariae, quicumque fuerit a
„ DEO

(*a*) Regin. Hung. p. 163. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 491—499.
(*c*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 24.

„ DEO corônatus per ſedem Strigon. in ſignum ca-
„ tholicae fidei, decimam ſoluere deberet arch. Stri-
„ gonienſi, a quo fidem baptizmatis et coronam
„ receperunt; item decimas tributorum in terra Scy-
„ piſienſi (*Scepuſienſis igitur terra Hungarici iuris*
„ *ante Colomanum erat; non igitur eidem a Polonis*
„ *dotis nomine dari poterat*) — Item pro ſalute
„ noſtra et diſcordia vitanda donauimus in perpe-
„ tuum domum regalem in caſtro Strigonienſi; —
„ tamen tempore neceſſitatis noſtrae ipſe D. archi-
„ epiſcopus nos in eadem recipere teneatur. —
„ Anno ab inc. dom. MCXCVIII.“ Donationem
item ſui patris auxit in haec verba: (*a*) „— Tres
„ partes telonii Strigonien. quas fel. mem. rex Be-
„ la, pater noſter, contulit eccleſiae Strigon. et
„ quartam partem eiusdem telonii, quam noſtra
„ deuotio, pro remedio animae noſtrae et regni
„ noſtri ſalute, praefatae eccleſiae donauit, — con-
„ firmamus. — Datum per manus M. Chatapani,
„ Agr. ep. D. regis canc. anno inc. dom. MCXCVIII.
„ Ven. Iob Strigon. exſiſtente archiep. Saulo Coloc.
„ arch. Calano Quinqueeccleſ. ep. Vgrino Geur. ep.
„ Boleslao Vacien. ep. Adriano Vltraſiluano ep.
„ Mogh palatino comite, Petro — curiali C. —“
Saulus ille Colocenſis, peruetuſta Hederuariorum
ſtirpe prognatus, ſanguinis claritatem vitae ſanctimonia cumulauit, cuius opera pontifex ad ardua
negotia ſaepius vtebatur. Ille, ſeuerus muneris exactor, et de monaſterio Kö religioſos ob mores
diſſolutos exegit, et in Eluimum, Varadinenſem
epiſcopum, ſententiam excommunicationis tulit. Subſcriptus legitur etiam illis Emerici litteris, quibus
bona Templariorum in Hungaria confirmantur. (*b*)

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 104. (*b*) Ap. Pray de Prior. Aur. p. 8. 9. 10.

Vnde dubitari nequit, Templarios olim in Hungaria floruiſſe. Sacram quoque coronam olim Albenſis praepoſiti cuſtodiae commiſſam fuiſſe, docet Innocentii reſponſum, quo poteſtatem dat eius curam ad alios transferendi. (*a*) Idem pontifex etiam ad Cibinienſem praepoſituram, a Bela III. conditam, curas ſuas porrexit. (*b*)

A. C. 1199. *Em.* 4. *Ind.* 2, *P.* 18. *A.*

CCCI. Quum Emericum rebus ſacris addictiſſimum fuiſſe conſtet; mirum eſt, eumdem in Boleslaum, Vacienſem epiſcopum, minus humanum illud facinus deſignaſſe, quod Innocentius III. datis ad illum litteris, ita refert: (*c*) „— Peruenit ad „audientiam noſtram, quod in prima transactae „obſeruantiae quadrageſimalis hebdomada, IV. fe„ria quatuor temporum (17. *Martii*) circa cre„puſculum noctis, ven. fratre noſtro Vacienſi epi„ſcopo cum canonicis ſuis completorium decan„tante, accedens ad eccleſiam Vacienſem, claues „ſacrarii exhiberi tibi et epiſcopum de eccleſia egre„di praecepiſti. Quumque ipſe, poſitas ſibi formi„dans inſidias, — obtemperare iuſſioni regiae re„cuſaret; oſtium ſacrarii mandaſti violenter infrin„gi: et — irruens in epiſcopum, ipſum a ſummo „gradu, quod eſt ante altare, vsque in pauimen„tum violentis manibus attraxiſti: et pauimento „alliſum tradidiſti non minus violentis tuorum ma„nibus de eccleſia extrahendum. Ipſo igitur de „eccleſia violenter eiecto, et relicto quodammodo „ſemiuiuo, fracto ſacrarii oſtio, et ſcriniis violatis, „the-

(*a*) Ed. Rom. F. CCXXXV. p. 2. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 503—536. (*c*) Ed. Rom. F. CCCXXX. p. 2.

„ theſaurum eccleſiae occupaſti; et patrimonium „ eiusdem epiſcopi, quod domui cuidam religioſae „ (*Leleſzienſi praepoſiturae*) quam ipſe de nouo „ fundauerat, conceſſerat intuitu pietatis, feciſti „ pro motu voluntatis propriae confiſcari. Poſtmodum vero, quum idem epiſcopus propter hoc „ in eccleſia, taliter violata, diuina prohibuiſſet of„ ficia celebrari; tu decimas ſibi denegari feciſti. —“ Haec Innocentius, vt ab accuſatoribus acceperat, litteris ſuis inſeruit. Sed, quoniam a laeſa parte res interdum nimis exaggerari nouerat; aliam etiam audiendam ratus, Saulum, Colocenſem archiepiſcopum, monuit, (*a*) *vt, poſtpoſitis gratia et timore, ſolum DEVM habens prae oculis, — inquirat de praedictis omnibus diligentius veritatem.* Quia vero nusquam Innocentius Emerico haec obieciſſe legitur, vel facinus hoc exauctum fuiſſe comperit, vel Emericus vltro pro tanto crimine ſatisfecit. Si verum eſt, quod Peterfius ex MSS. Szörenyianis notat, (*b*) Boleslao, poſtquam Ladislaus Emerico natus eſt, *patrini honorem obtigiſſe;* non fruſtra pontifex Innocentius, non fruſtra Saul archiepiſcopus in Emerico reconciliando laborauit. (*c*)

CCCII. Tanto facilius Saul Emericum ad ſarcienda Vacienſis eccleſiae damna permouere potuit; quanto promtior is alias fuit ad eam quoque iacturam, quam ipſe non intulerat, reparandam. Exemplo ſit eccleſia Zagrabienſis, cuius populum, ob fidem ſibi ſeruatam aliqua damna paſſum, a iurisdictione banorum exemit, cum hoc epilogo: (*d*)

(*a*) Ed. Rom. F. CCCXXX. p. 2. (*b*) Concil. P. I. p. 86. (*c*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 552—558. (*d*) Ap. Farlat. T. V. p. 356.

„ Datum per manus Deſiderii, aulae noſtrae canc.
„ anno dom. inc. MCXCIX. ven. Iob Strig. arch.
„ exſiſtente; ven. Saul Coloc. arch. Calano Quin-
„ queeccleſ. ep. Vgrino Iaur. ep. Adriano Tranſſilu.
„ ep. Dominico Zagr. ep. Catapano Agr. ep. Ioan-
„ ne Chanad. ep. Kalenda Veſprim. ep. Mag pala-
„ tino et eod. C. Bats. Nicolao bano —" Fides illa populi Zagrabienſis eluxit, quum primum inter fratres bellum gereretur. Nondum enim alterum erupiſſe videtur, quum has tabulas Iadrenſes confecerunt: (*a*) *MCXCIX. menſe Maii, die X. adſtante ind. II. Iadrae, temporibus — Emerici, regis Hung. Dalm. Croat. atque Ramae; et Andreae, incliti fratris eius; et Nicolai, Iadrenſium archielecti.* — Sic vocatur, quod ab Innocentio non fuerit confirmatus; ſed in ius potius vocatus. Ratam tamen pontifex habuit electionem tam Michae Pharenſis, quam Bernardi Spalatenſis, qui diligenter excubabat contra Patarenos, de quibus, *in terra regis Hungariae, videlicet Boſſina, pullulantibus*, Vulcus, qui ſe Diocliae Dalmatiaeque regem appellabat, Innocentium edocuit. (*b*) Neque tunc belli fax inter fratres accenſa fuiſſe videtur; quum eorum ſororem Conſtantiam Primislaus Ottocarus, Bohemiae dux, Adela repudiata, matrimonio ſibi iunxit. Vix enim inter has nuptiales taedas bellum inteſtinum geri potuit, quod iterum emerſiſſe, chronicon Clauſtro-Neoburg. his verbis affirmat: (*c*) *MCXCIX. Eimricus, rex Vngariae, expulſum fratrem perſequens, terminos Auſtriae praeda et igne vaſtauit.* Cauſſam autem, cur Emericus Auſtriam vaſtauerit, Ortilo ſcriptor ſynchronus, hanc reddit, quod

(*a*) Ibid. p. 66. (*b*) Ed. Rom. CCCLXXIII. p. 2. (*c*) Ap. H. Pez. T. I. col. 449.

quod Leopoldus Auſtrius Andream benigne receperit, et Emericum fortiter repulerit. Prohibere tamen non potuit, quin, quacumque regius exercitus moueretur, ſaeua hoſtilitatis veſtigia relinquerentur. Videtur Andreas Emericum irritaſſe, regium ius in Dalmatiam vſurpando, quum priuilegia Spalatenſium eadem formula confirmauerit, (*a*) qua reges alias vtebantur. (*b*)

A. C. 1200. *Em.* 5. *Ind.* 3. *P.* 9. *A.*

CCCIII. Quia magnus ad bellum ſacrum apparatus vndique fiebat; ſatagentibus non tantum domeſticis, ſed etiam exteris antiſtitibus, non multo poſt pax inter Emericum regem et Andream ducem coaluit. Plurimam ad id operam contulit Conradus, archiepiſcopus Moguntinus, qui, teſte Godefrido, (*c*) *pacem tali modo ſtatuit, vt, ſignati cruce, mare tranſirent, et regnum Vngariae* Leopoldo, *duci Auſtriae, commendarent: vt, ſiquis illorum, morte praeuentus, in transmarinis partibus debitum carnis exſolueret; ſuperuiuens, rediens in patriam, regnum poſſideret.* Etſi difficile creditu ſit, vel vtrumque, vel alterutrum fratrem in eam conditionem, vt regnum externo principi crederetur, conſenſiſſe; certum tamen eſt, Emericum expeditionem ſacram promiſiſſe, vt ex Innocentii litteris apparebit, pacemque hoc anno coaluiſſe, vt chronicon Clauſtro-Neoburgenſe his verbis aſſerit: (*d*) *MCC. Pax inter regem Vngariae et ducem Auſtriae componitur, fratre in conſortium regni recepto.* Hinc ab vtroque

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 5. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 560—588. (*c*) Ap. Freh. T. I. p. 366. (*d*) Ap. H. Pez T. I. col. 449.

que diuerſa diplomata hoc anno tam Croatis, quam Dalmatis data reperiuntur. Quibus . Andreas coenobii SS. Cosmae et Damiani fundos auget, ſubſcriptus legitur Bernardus, Spalatenſis archiepiſcopus, quem Emericus, inſtitutorem antea ſuum, parentis loco coluit, eiusque cauſſa plures eccleſiae Spalatenſi fauores exhibuit. Quum igitur Bernardus, Emerico tam carus, Andreae diplomati, ceu teſtis, hoc anno ſubſcriptus ſit; hoc anno pacem et concordiam inter fratres viguiſſe, patet; nec enim Bernardus, Emerico relicto, partes Andreae ſequuturus, eiusque voluntatem approbaturus erat; ſi tunc, quum illud diploma ſcriptum eſt, nondum ab armis diſceſſiſſent. Licet autem Emericus Dalmatiam et Croatiam Andreae fratri gubernandam reliquerit; ſupremum tamen ius in eas prouincias retinuit. Vnde Bernardus quoque nomen eius, tamquam ſupremi principis ſuique regis, adſcribit ſententiae, ſecundum virgines coenobii Benedictini latae, his verbis: (*a*) *Actum — III. idus Iulii, anno dom. MCC. — regnante in Hungaria feliciter glorioſo rege Henrico, quinto anno regni ipſius.* Quintus annus agebatur a *IX. kal. Maii* 1196. quo patri ſucceſſit. Et Bernardus quidem boni paſtoris partes expleuit, quum eccleſiam Spalatenſem a Patarenorum contagione tutatus, multos, ea labe iam infectos, ad veram Chriſti fidem reduxit; quia tamen eorum non pauci, quorum animis peſtilentes opiniones euelli non poterant, in vicinam Bosniam ſe receperunt; Innocentius Emericum, vt indidem eos expelli iuberet, ſuis litteris adhortatus eſt. (*b*)

A.

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 233. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 288—607.

A. C. 1201. *Em.* 6. *Ind.* 4. *P.* 25. *M.*

CCCIV. Concordiam fratrum etiam hoc anno plures huius anni donationes, eccleſiis factae, loquuntur. Andreas, inquit Kerchelichius, (*a*) *anno MCCI. donat, vt dux Dalmatiae, Croatiae, Culmiae, ad petitionem fratris ſui Emerici, Dominico, epiſcopo Zagrabienſi, inſulam Kognis.* Quae res certum praebet argumentum concordiae fratrum, ſine qua nec Emericus inſulam illam ab Andrea petiiſſet; nec hic ad illius preces eamdem epiſcopo Zagrabienſi conceſſiſſet. Emericus eccleſiae Strigonienſi factam a Bela III. donationem iterum confirmauit, diplomati ſubſcriptis iisdem antiſtitibus, quos alias exhibuimus; palatinus tamen hic *Mike*, vaiuoda *Nicolaus* occurrit. In iis vero litteris, quibus eccleſiae Zagrabienſis iura recenſuit, (*b*) ceteris epiſcopis additur *Ioannes Chanadien.* palatinus ſcribitur *Mika*, vaiuoda *Iula*, curialis comes *Achilleus*.

A. C. 1202. *Em.* 7. *Ind.* 5. *P.* 14. *A.*

CCCV. Non deſiit Emericus in eccleſias etiam hoc anno beneficus eſſe, quam eius pietatem adiectione Seruiae, nobiliſſimae prouinciae, DEVS remunerari viſus eſt. Ex hac Seruia Helenam, Vroſii filiam; Belae II. nuptam fuiſſe, ſupra vidimus. Huius frater Deſſa filium Stephanum Neemanem; ex hoc nepotem Stephanum Simeonem; ex iſto tres pronepotes, Stephanum, Vulcum et Raſcum, habuit. Eorum poſtremus, monachum indutus, a Seruiis S. Sabae nomine colitur, ab eoque S. Sabae principatus *Hertzegouina* dicitur. Quum Stephanus primo-

(*a*) Hiſt. Eccl. Zagrab. p. 325. (*b*) Ibid.

primogenitus ab Innocentio III. regni diadema petiiſſet; Emericus rex, qui cum eo tunc bellum gerebat, ab hac ſententia pontificem dimouit; illoque fugato, Vulcum, fiduciario iure ſibi ſubiectum, in eius locum ſubrogauit. Quae cauſſa belli huius ereptaeque Stephano Seruiae fuerit; nullus veterum memoriae prodidit. Quicquid tamen factum eſt; iure factum eſſe, colligimus ex iis Innocentii litteris, quibus, accepto ſubactae Seruiae nuncio, hunc in modum ei gratulatur: (a) „Quum nobis per di-„ lectum filium N. nuncium ſuum, intimaſſet ſolli-„ citudo regalis, quod terram megaiupani ad ſu-„ um dominium reuocaſſet; gauiſi ſumus in domi-„ no, et ei, qui diſperſa congregat, et congregata „ conſeruat, gratiarum exſoluimus actiones. Credi-„ mus autem, ſerenitatem regiam meminiſſe, qua-„ liter, etſi olim, ad inſtantiam eiusdem megaiu-„ pani, diſpoſuerimus legatum noſtrum mittere in „ Seruiam; tandem, voluntate tua plenius intelle-„ cta, a propoſito deſiſtentes, magnificentiae tuae „ duximus deferendum. — " Si Seruiam iniquis armis Emericus ſibi ſubiugaſſet; numquam ei pontifex gratulatus fuiſſet, quod *terram megaiupani ad ſuum dominium reuocaſſet.* Haec phraſis indicat, illam terram aliquando iuris Hungarici fuiſſe. Non video tamen, quando ius iſtud in Hungariam tranſierit; niſi vel Helena, Bela II. coniux, vel Belus, Helenae germanus, quem in Hungaria multum egiſſe vidimus, illud ad ſacram coronam transſcripſiſſet. Ideo fortaſſis etiam Andreas dux et Chulmiam, et Raſciam inuaſit ac ſubegit anno 1198. Emericus, Seruia ſola non contentus, etiam illam Bulgariae partem, quae prius ad Seruiam pertinuiſſe videbatur,

(a) Ap. Baluz. T. I. p. 619.

tur, ſibi ſubiecit, cuius titulum mox reliquis innexuit in hoc diplomate: (*a*) „Emericus, D. gr. Hung. „ Dalm. Croat. Ramae Bulgariaeque rex: —“ (*donationem nupernam eccleſiae Strigon. repetit, et terram vduarnicorum Strigonienſium adiicit*) „— Dat. „ per manus Deſiderii, praepoſiti Scybinien. — an„ no dom. MCCII. regni autem noſtri anno VI. —“ Bulgariae tamen titulus a noſtris regibus vltra medium ſeculum deinceps omiſſus et Seruiae tantum adhibitus eſt. (*b*)

CCCVI. Ex pluribus S. Stephani diplomatibus conſtat, multis eum praerogatiuis et exemtionibus coenobia quaedam ornaſſe. Ceteri quoque reges aliqua non epiſcopis, ſed ſolis pontificibus Romanis ſubiecerunt. Subinde quidam epiſcopi his exemtionibus, quibus iura ſua laedi cenſebant, modis omnibus aduerſabantur. Vt igitur Emericus indemnes eiusmodi praepoſitos et abbates praeſtaret, ad Innocentium cauſſam hanc detulit, qui ſuis antiſtites Hungariae litteris admonuit, ne iura ſacrarum eiusmodi familiarum violarent. (*c*) Per eosdem nuncios Emericus pontificem orauit, vt votum expeditionis ſacrae propter quasdam regni neceſſitates relaxaret, qui multis illum argumentis adhortatus eſt, (*d*) vt *tum pro ſalute animae ſuae, tum pro terrae ſanctae neceſſitate non tardet reddere domino, quod vouit.* Eodem tempore Veneti Iadram, cui dudum inhiabant, auxilio cruce ſignatorum, quum id ſuis viribus antea necquicquam tentaſſent, Hungaris eripuerunt. Quum enim cruce ſignati naues a Venetis petiiſſent; hi, teſte Gunthero ſynchrono, (*e*) *eis nauigium*

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 109. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 619—631. (*c*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 329. (*d*) Ibid. p. 428. (*e*) Ap. Caniſ. Ed. Baſn. T. IV. p. VIII.

vigium penitus abnegabant; niſi cum ipſis prius celebrem Dalmatiae ciuitatem, iuris autem Hungarici, Iadram expugnarent. Ita cruce ſignatis, obtorto veluti collo, tractis ad oppugnandam Iadram, ea potiti Veneti, *ſubuerterunt*, vt Innocentius queritur, (*a*) *muros ciuitatis eiusdem: ſpoliauerunt eccleſias: aedificia deſtruxerunt.* Fruſtra Lucius inhumanum hoc facinus, Chriſti dogmata profeſſis penitus indignum, eleuare conatur, cuius indignitate permoti multi cruce ſignati, ne, qui contra Chriſti hoſtes arma ſtrinxerant, ea contra Chriſti cultores diſtringere cogerentur, inde receſſerunt. Horum praecipuus erat Bonifacius, Montisferrati marchio, qui, pontificiis mandatis obſequutus, oppugnationi Iadrenſi ſe ſubduxit. Hic ſubinde Margaritam, Belae III. filiam, poſtquam Iſaacius Angelus imp. primus eius maritus, obiiſſet, connubio ſibi iunxit, et ex ea Guilielmum filium ſuſtulit. (*b*)

A. C. 1203. *Em.* 8. *Ind.* 6. *P.* 6. *A.*

CCCVII. Innocentius, audita Iadrae ruina, vehementi dolore correptus, cruce ſignatos, quibus pro more *ſalutem et apoſtolicam benedictionem* non adſcripſerat, aculeatis verbis perſtrinxit. (*c*) His illi perculſi, quosdam ad leniendam pontificis indignationem oratores Romam miſerunt, ſacramentoque ſpoponderunt, eius imperiis ad expianda praeterita ſe morem geſturos. Bonifacius, quem expugnationi non interfuiſſe diximus, litteras apoſtolicas, quibus anathema Venetis inferebatur, ſuppreſſit, ne tota claſſis diſſolueretur. Haec inter, ad exercitum

cruce

(*a*) Ap. Baluz. Geſt. Innoc. III. p. 46. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 631—646. (*c*) Ap. Baluz. Geſt. Inn. III. p. 46.

cruce ſignatorum, ad Iadram hibernantium, aduenit Alexius, imperatoris Iſaacii, quem Alexius frater imperio deiecerat, ex Margarita Hungara filius, opemque Chriſtianae militiae ſupplex aduerſus patruum implorauit. Fruſtra pontifex iterum cruce ſignatos ab hoc conſilio reuocare conatus eſt, quod arma non ad vlciſcendas Alexii, ſed Chriſti potius iniurias induiſſent; contemtis enim illi paternis hisce monitis rurſus Chriſtianos prae Saracenis laceſſere maluerunt. Venetis igitur Conſtantinopolim profectis, Iadrenſes, auxilio Caietanorum, a Bernardo Spalatenſi conductorum, vrbem quidem ſuam receperunt; metu tamen nouae claſſis territi, Venetis iterum ſe dediderunt. (*a*)

CCCVIII. Poſtquam Emericus ab Innocentio reſponſum accepiſſet, votum expeditionis ſacrae differendum non eſſe; Ladislaum filium prius ſucceſſorem declarandum et inaugurandum cenſuit. Innocentius igitur, ne iuſta haec Emerici ſollicitudo Hieroſolymitanae profectioni moram aliquam iniiceret, omnibus regni praeſulibus grauiſſimis verbis praecepit, vt Hungaros ad iurandam Ladislao fidem inducerent, ac refractarios anathemate percellerent. Pium hoc Emerici votum, ſacram expeditionem ſuſcipiendi, penitus adhaeſiſſe certum eſt; ſiue, quod alii quoque cruce ſignati, qui Iadram Hungaris eripuerant, vltra Conſtantinopolim non proceſſerint; ſiue, quod priusquam regni negotia rite componere potuiſſet, praematura morte conatus eius intercepti fuerint. Illud enim ipſum ſtudium, quo firmum regni ius in filium transmittere conabatur, cauſſa fuiſſe videtur earum diſcordiarum, quae paullo

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 646—658.

lo poſt inter illum et Andream fratrem exortae ſunt. Hae nondum eruperant, quum Innocentius, ab Andrea, qui voto ſacrae peregrinationis tenebatur, ſed neceſſariis ad eam peragendam ſumtibus deſtituebatur, interpellatus, Emericum regem, vt Andreae fratri *liberalitatis regiae manum extenderet*, adhortatus eſt. (*a*) Andreas, qui poſt fugam, in Auſtriam ſub exitum ſuperioris ſeculi ſuſceptam, fratri reconciliatus, pacem triennio coluit, vel quod nullum ab Emerico ſubſidium impetrare potuerit, vel quod eius deſtinationes ad coronandum filium intercipere voluerit, concordiam ſub exitum anni huius abrupit. Quum plures ad ſuas partes pertraxiſſet, et iamiam pugnam cum puſillo fratris exercitu committere voluiſſet; Emericus, vt Thomas archid. refert, (*b*) *depoſitis armis, accepit dumtaxat virgam in manu: et ingreſſus leniter in agmen hoſtium, ibat per mediam armatorum multitudinem, intenſa voce clamando:* „Nunc videbo, quis erit auſus manum „ extendere ad cruorem regalis proſapiae.“ *Quem videntes, omnes cedebant, nihilque mutire audentes, largam ei viam hinc inde faciebant. Quum autem perueniſſet ad fratrem; cepit eum, et ducens extra acies, miſit eum in cuſtodiam ad quoddam caſtrum* (Kheene) *Et tunc omnes arma cum pudore ac pauore deponentes, ad regis genua prouoluti, veniam precabantur. Rex autem, vt erat clementiſſimus, vniuerſos ad gratiam ſuſcepit.* Tanta fuit reuerentia coronati capitis! Tanta clementia ſuos in hoſtes Emerici regis! (*c*)

A.

(*a*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 331—339. (*b*) Hiſt. Salon. Cap. XXIV. (*c*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 658—697.

CCCIX. Ioannes de Caſemario, pontificis capellanus, multis in Seruia, Hungariae regi fiduciario iure ſubiecta, laboribus apoſtolicis effecit, vt illuc anno 1199. miſſus, primum quidem Vulcum ſeu Vulcanum, Diocliae regem, ad ſinum eccleſiae Romanae reduxerit: deinde legationem anno 1202. Boſnenſem ab Innocentio iuſſus obire, hic quoque plurimis ad orthodoxam religionem adductis, opportunitatem in Bulgariam quoque transeundi, pares-que fructus iis, quos in Seruia Bosniaque legerat, ibidem etiam colligendi, his litteris ad pontificem perſcripſit: (*a*) „ — Fui in Vngaria aliquantis diebus „ ex voluntate regia. Interim nuncii illius magni „ viri Calo-Ioannis (*vulgo Ioannitii*, *Bulgariae regis*) venerunt ad regem, cum quibus, DEO „ duce, ſpero, me ire ad ipſum: et Chriſtianiſſimus „ rex (*Emericus*) fecit eos ſuper euangelia iurare „ in eccleſia coram altari, quod me ſecurum vsque „ ad praeſentiam eius deducerent. — Dicitur vero „ a multis, et ab ipſo rege, quod deuotionem habeat ille ad Romanam eccleſiam. —" Antequam hic Innocentii capellanus et legatus in Bulgariam, propter labores in Bosnia perficiendos, vbi Culinum banum et quosdam monachos ad apoſtolicae ſedis auctoritatem reuocauerat, ire potuiſſet; Calo-Ioannes ad Innocentium epiſtolam dedit, (*b*) qua ſummam Romani pontificis auctoritatem agnouit, eum-que rogauit, vt ſe per legatos apoſtolicos corona regia redimiendum curaret, ac patriarcham in Bulgaria crearet, cuius iura ſibi vindicaturus, in Seruiam irru-

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1203. N. XXII. (*b*) Ibid. N. XX.

irrupit, et ea, quae prius Emericus occupauerat, recuperauit. Illi ſubinde Ioannes capellanus, ſub initium Septembris anni ſuperioris eodem appulſus, facile perſuaſit, vt omnes imperii ſui terras ſacris eccleſiae Romanae iuribus edicto publico ſubiiceret.(*a*) Dedit poſtea Calo-Ioannes ad Innocentium litteras, inſignis in illum obſeruantiae plenas, eique controuerſiam, quam de limitibus regni cum Emerico habebat, dirimendam commiſit. Innocentius, piis Ioannitii votis morem geſturus, ad illum, regiis inſignibus ornandum, Leonem cardinalem legatum miſit. Ipſis Maii kalendis ad Hungaros quoque ſcripſit; et ſimul gaudium de reditu Bulgarorum ad eccleſiam Romanam iis annunciauit, ſimul eumdem legatum eorumdem liberalitati magnopere commendauit. (*b*) Leo cardinalis, magnis in Hungaria honoribus exceptus, reliquum iter perſequi volebat, et iamiam in Bulgariam tranſiturus, ad regni limites peruenerat; quum, miſſis ab Emerico nunciis, tranſitu repente prohibitus, ac in vicino Hungariae caſtro vi retentus eſt. Innocentius, audita hac iniuria, legato ſuo praeter opinionem illata, grauioribus litteris Emericum perſtrinxit, et poſt hiſtoricam rei narrationem, ſic exclamauit: (*c*) „— Heu! heu! „ fili cariſſime, vbi eſt regia clementia? vbi religio „ Chriſtiana? vbi ſpecialis deuotio, quam ad nos „ et Rom. eccleſiam praedicaris habere? — Parcat „ igitur eis DEVS, qui animum tuum tam prauo „ conſilio ſeduxerunt; volentibus inter regnum et „ ſacerdotium diſcordiam ſeminare. — Mitius etiam „ ac benignius tibi ſcribimus, quam inſtans mate„ria poſtularet; — quia multa geſta ſunt et gerun-

„ tur

(*a*) Ibid. ad an. 1204. N. XXIX. (*b*) Ap. Dobn. T. II. p. 343. (*c*) Ap. Innoc. L. VII. ep. 126.

„ tur in regno tuo, quae ſi deducerentur ad limam, „ correctionem expoſcerent grauiorem, non ſolum „ de voto tuo, captione fraterna et electionibus „ praelatorum; ſed etiam multis aliis. — “ (*a*)

CCCX. Emericus, acceptis Innocentii litteris, Romam oratorem ſuum cum litteris miſit, quibus, cur Leonem card. aditu Bulgariae prohibuerit, rationes producit, ſuasque ſimul querelas, quinque capitibus diſtinctas, depromit. His Innocentius ita reſpondit: (*b*) „ Regiae celſitudinis litteras — benigne recepimus, et, quae ſignificaſti per eas, notauimus diligenter. *Ad I. ergo capitulum reſpondemus:* quod vtique piae record. progenitores tui — cum multa deuotione ſedem ſunt apoſt. venerati. — — Licet praedeceſſores noſtri progenitores tuos, inter alios reges catholicos, diligere ac honorare ſtuduerint; — ſpecialiter tamen clarae mem. patrem tuum apoſt. ſedes toto conamine promouere curauit; ita quod, quum — regalem non poſſet obtinere coronam; fel. record. Alexander PP. — poſt multas exhortationes, — Strigon. archiepiſcopo factas, vt ei regium diadema conferret; quum ipſe non poſſet ad hoc aliquatenus inclinari; tandem Coloc. archiepiſcopo diſtricte praecepit, vt ipſe illum — coronaret in regem. *Ad II. vero capitulum reſpondemus hoc modo:* quod reuera tu nunciis noſtris in terra Ioannitii — ſecurum conductum et liberum tranſitum conceſſiſti, dimittens exercitum ad preces legati noſtri, quem congregaueras contra ipſum, ſumtibus fruſtra conſumtis; ſuper quibus ſereni-

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 701—719. (*b*) Ap. Baluz. G. Inn. III. p. 40.

„ tati tuae gratiarum referimus actiones. Quod au-
„ tem ſcripſiſti, quoniam praefatus Ioannitius ter-
„ ram, quam pater tuus ſorori tuae, imperatrici
„ Graecorum, dedit in dotem, detinet occupatam,
„ et terram Seruiae, tuae coronae ſubiectam, cru-
„ deliter deuaſtauit; — — certiſſime noueris, no-
„ bis eſſe valde moleſtum: — et vt inde congrue
„ ſatisfaciat, nos diligens ſtudium impenſuros. —
„ *Ad III. vero capitulum taliter:* quoniam etſi ſcri-
„ pſeris, quod praefatus Ioannitius nullius terrae
„ de iure ſit dominus; vnde miraris, quod tam
„ manifeſtum inimicum tuum, te inconſulto, tam
„ ſubito in regem propoſuerimus coronare; ſecus
„ eſt tamen ex aliqua parte. — Vnde nos eum
„ non ſuper alienam, ſed ſuper propriam terram —
„ regem intendimus coronare; volentes, vt et ipſe
„ terram reſtituat iniuſte detentam; et terra iniu-
„ ſte detenta reſtituatur eidem. — Verum et illud
„ non abs re potuiſſemus attendere, — quod quum
„ nobilis vir Stephanus, megaiupanus Seruiae, —
„ ſupplicauerit, vt in terram ſuam dirigeremus le-
„ gatum, qui eam ad obedientiam eccleſiae Rom.
„ reduceret, et regium ſibi diadema conferret; —
„ intellecto tandem, quod hoc tuae ſublimitati plu-
„ rimum diſpliceret, et, ob tui gratiam, non ſine
„ quadam noſtra confuſione, deſtitimus ab incepto.
„ Tu vero, poſtquam expugnaſti Seruiam, amoto
„ Stephano, et Vulco ſubſtituto in locum ipſius,
„ — ſaluo in temporalibus iure tuo, aequanimiter
„ ſuſtinebas, vt dictus Vulcus regalem ſuſciperet ab
„ apoſt. ſede coronam. — — *Ad IV. vero capitu-*
„ *lum reſpondemus:* — ad illud, quod per litteras
„ tuas ſuppliciter poſtulaſti, vt vel a propoſito co-
„ ronationis illius deſiſteremus omnino, vel ſaltem
„ tamdiu ceſſaremus; donec diſcordia inter vos iu-

„ dicio

„ dicio poſſet vel arbitrio legati noſtri pacari. — —
„ Attende — diligenter, quale denique reputares,
„ ſi nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis
„ coronari poſſit in regem. — — *Ad V. vero ca-*
„ *pitulum reſpondemus:* quoniam etſi ſcripſeris, quod
„ de his, qui ſedis apoſt. ſententiam contemnentes,
„ tibi — Iaderam deſtruxerunt, elapſo iam biennio,
„ nihil fere adhuc iuſtitiae ſuper tam irrecuperabili
„ damno per Rom. eccleſiam conſequi potuiſti. — —
„ Nolumus te, fili cariſſime, ignorare, quod tam
„ ſtolum Venetorum, quam Francorum exercitum,
„ propter deſtructionem Iaderae, anathematis vin-
„ culo curauimus innodare.“ — — Poſtquam Eme-
ricus, his permotus, Leonem card. in Bulgariam
cum honore transmiſiſſet; Innocentius inter cetera
ſic illi ſcripſit: (*a*) — „ Quam cito verbum illud
„ ad aures noſtras peruenit; quaſi praeuidimus et
„ praediximus, quod nunc videmus et gaudemus
„ impletum; quod videlicet, non receptis litteris
„ noſtris, — corrigeres per te ipſum, quod in in-
„ iuriam apoſt. ſedis videri poterat attentatum. —
„ Dat. Romae — IV. non. Oct. pontif. an. VII.“(*b*)

CCCXI. Ex illis huius epiſtolae verbis: *Si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari poſſet in regem*, apparet, Ladislaum, Emerici filium, nondum, quum ea data fuit, coronatum fuiſſe; ex aliis autem Innocentii litteris, *X. kal. Dec.* datis, (*c*) patet, iam tunc illum corona ſacra redimitum fuiſſe, quum illic archiepiſcopo Colocenſi vitio detur, quod *in graue Strigonienſis eccleſiae praeiudicium, — filium* Emerici *regis coronauerit in regem.*

 Turo-

(*a*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 345. (*b*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 719—734. (*c*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 349.

Turotzius quidem, quum Ladislaum poſt ſextum regni menſem mortuum ait anno (*a*) *milleſimo ducenteſimo primo, nonis Maii;* coronationem eius retrahendam innuit ad an. 1200. At manifeſtum hic errorem cubare, notae chronologicae, quibus Ladislai coronationem circumſcribit, aperte docent. Sic enim illas exprimit: *Coronatus eſt VII. kal. Septembris feria V.* quae feria V. non incidit in 26. Aug. 1200. ſed 1204. Hinc error errore cumulatur apud Turotzium, quum obitus Emerici his notis deſignatur: (*b*) *Regnauit annis VIII. menſibus VII. diebus VI. migrauit autem ad dominum anno dom. MCC. pridie kal. Decembris; cuius corpus requieſcit in eccleſia Agrienſi.* Si mortem Emericus obiiſſet anno 1200. quo littera dominicalis poſt biſſextum erat A. *pridie kal. Dec.* non in *feriam III.* ſed V. incidiſſet. Bene vero hoc anno 1204. quo littera dominicalis poſt biſſextum erat C. 30. Nouembris in feriam 3. incidit. Quum igitur Emericus 23. Aprilis an. 1196. mortuo patre, Hungaris praeeſſe coeperit; ad 30. vsque Nouembris huius anni regnauit *annis* 8. *menſibus* 7. *diebus* 6. Male vero chronicon Clauſtro-Neoburgenſe ſcripſit: (*c*) *Quo d functo, frater de catenis eripitur, et ſub nomine tutoris filii fratris ſui, quem pater infantulum coronauerat, ſuper regnum Vngariae ſublimatur.* Thomas enim archidiaconus, anno 1200. natus, adeoque maiori fide dignus, ab Emerico ſuperſtite fratrem Andream eductum et filii tutorem conſtitutum his verbis affirmat: (*d*) *Poſt* Andream captum, *non toto transacto anni ſpatio, rex Henricus inſanabile genus languoris incurrit. Quum ergo ſciret, diem ſibi inſtare extremum;*

(*a*) Chron. P. II. cap. 71. (*b*) Ibid. cap. 70. (*c*) Ap. H. Pez. T. I. col. 449. (*d*) Hiſt. Salon. cap. XXIV.

mum; miſit cum omni celeritate, et fratrem ſuum fecit educi de cuſtodia, et ad ſe adduci: qui quum praeſens adeſſet; rex coram eo teſtamentum condidit, committens ei tutelam filii ſui cum adminiſtratione totius regni; donec pupillus ad legitimam perueniſſet aetatem. (a)

CCCXII. Emericus igitur, praematuro fato ſublatus, triceſimum aetatis annum excedere non multum potuit; quum nono principatus anno viuere deſiit. Erat is ad augenda regni commoda ſemper intentus; turbis quidem domeſticis et fraternis diſſidiis, ne maiora faceret, impeditus; adeo tamen felix, vt et iſta cito ſemper compoſuerit, et Seruiam iuribus Hungariae primus adiecerit. Legitur quidem vſus etiam axiomate regis Bulgariae, ſeu quod Seruia quoque, quam ſibi vindicauerat, olim ad Bulgariam pertinuerit, ſeu quod ex ipſa Bulgaria quamdam portionem, quae quinos epiſcopatus complectebatur, decerpſerit. At, hac plaga ſubinde remiſſa, titulum quoque Bulgariae remiſit, et Seruiae deinceps adhibuit. Eumdem de promouendo cultu diuino magnopere ſollicitum fuiſſe, cum indefeſſum de Patarenis in Bosnia, ſchismaticis in Seruia Bulgariaque reducendis ſtudium, tum ſingularis in aedes ſacras ac epiſcopatus munificentia ſatis ſuperque teſtatur. Eo regnante, fuit archiepiſcopus *Strigonien.* Iob 1197. Vgrinus el. 1204. *Colocen.* Saul 1197. Ioannes 1203. *Spalat.* Bernardus; epiſcop. *Agrien.* Petrus 1197. Catapanus 1198. *Iaur.* Vgrinus 1197. *Nitrien.* Eduardus 1198. Ioannes 1204. *Quinqueeccleſien.* Calanus 1197. *Tranſſiluan.* Adrianus 1197. *Tsanad.* Ioannes 1199. *Vacien.* Boleslaus 1198. *Va-*

 rad.

(a) Hiſt. Cr. T. IV. p. 743—753.

rad. Eluimus 1198. *Veſprim.* Kalenda 1199. *Zagrab.* Dominicus 1199. Comes *palatinus*, ſimul Batſien. Eſau 1197. Mogh 1198. Mike 1200. *Curialis* et Tsanad. Eſau, 1197. Petrus, ſimul Szolnok. 1198. Achillaeus, ſimul Keuien. 1201. *Banus* Andreas 1198. Nicolaus, ſimul C. de Szala 1199. *Vaiuoda* Iula 1201. Nicolaus 1202.

§. XXV.

LADISLAVS III. REX XVIII.

Coepit A. C. 1204. *deſiit A. C.* 1205.

A. C. 1204. *Lad.* 1. *Ind.* 7. *P.* 25. *A.*

CCCXIII.

Ladislaus iſte paſſim *Infantis* agnomine diſtinguitur, quod illi merito tribuitur, ſi verum eſt, quod compilatio chronologica rerum Boicarum in haec verba notat: (*a*) *Henricus*, *Vngarorum rex*, *filium ſuum Ladislaum*, *quum necdum eſſet annorum trium*, *coronauit.* Sed, licet trimulo maior fuiſſet; infans tamen adhuc erat, dum regnare coepit; quum Conſtantia, mater eius, ex Aragonia nonniſi 1198. traducta ſit. Opus igitur illi fuit tutore, quem Andream ab Emerico morituro conſtitutum fuiſſe, ſupra vidimus. De hoc eadem compilatio rerum Boicarum ita habet: *MCCIV. Heinricus*, *rex Hungarorum*, *moritur. Andreas*, *frater eius*, *a captiuitate ad regnum ſublimatur*; *qui etiam vxorem ſuam*, *in regno Teutonicorum requiſitam*, *cum gloria magna* *reuo-*

(*a*) Ap. Oefel. T. II. p. 335.

reuocauit. Emericus enim, quum Andream fratrem cuſtodiae mancipaſſet, Gertrudem, eius vxorem, in Meraniam, patriam ſuam, eodem compilatore teſte, redire permiſit. (*a*)

A. C. 1205. *Lad.* 1. *Ind.* 8. *P.* 10. *A.*

CCCXIV. Poſtquam Innocentius pontifex Emericum obiiſſe, certis nunciis accepit; Andreae duci curam Ladislai pupilli his litteris impenſe commendauit: (*b*) „ Innocentius — dilecto filio, nobili vi-
„ ro, duci Andreae, regni Vngariae gubernatori,
„ ſalutem. — Poſt obitum incl. record. Henrici,
„ regis Vngariae, fratris tui, litteras tuas, deuo-
„ tionis primitias, benigne recepimus et gratanter:
„ quae quum eſſent eiusdem regis inſignitae ſigillo;
„ nouitati tuae, non falſitati, petebas a nobis ad-
„ ſcribi: in quibus continebatur expreſſe, vt tuis
„ verbis vtamur:“ *quod, quum ex regis ipſius diſpoſitione, ob teneram filii eius, regis Ladezlai, aetatem, pueri curam et regimen regni ſuſceperis; promtam geris voluntatem, quae bene conſtituta ſunt, obſeruare; et quae per ipſum regem laudabiliter noueris inchoata, quantum in te eſt, feliciter effectui mancipare.* „ Nos igitur, intentionis tuae ſincerita-
„ tem in domino collaudantes, regem ipſum pue-
„ rum, cui fidelitatem feciſſe dignoſceris, promiſ-
„ ſione facta ſuper adminiſtratione regni ac tutela
„ ſuſcepta de ipſo, tuae prouiſionis induſtriae at-
„ tentius commendamus, vt nomini tuo praeconia
„ verae laudis accreſcant, quum idem rex beni-
„ gnum patrem in patruo et protectorem propitium
„ inue-

(*a*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 757. 758. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 342.

„ inuenerit in patrono. — — Dat. Romae — VII.
„ kal. Maii, pontif. anno VIII.“ Plures eadem die litteras ad Andream dedit, quibus illum monuit, partim vt pecuniam, ab Emerico relictam, in eos, quos ille voluit, vſus eroget; partim vt reditus, regi reginaeque promiſſos, fideliter adminiſtret; partim vt regias poſſeſſiones in detrimentum pupilli non abalienet. Tum etiam vniuerſum clerum et populum Hungariae hortatus eſt, (*a*) *vt erga regem ipſum — fidelitatis conſtantiam obſeruent: — ne cui, contra coronam ipſius, conſilium vel auxilium impendant.* Speciatim epiſcopis, metropolitae Colocenſi ſubiectis, in quorum dioeceſibus Andreae ducatus erat, praecepit, *quatenus in omnibus, quae ad tuitionem cariſſimi in Chriſto filii — Ladezlai, regis Vngariae, ac — reginae, matris eius, et regni pertinent, — Coloc. archiepiſcopo fideliter aſſiſterent.* Vt autem Colocenſis maiore cum efficacia pupilli cauſſam aduerſus infideles tueri poſſet; ſimul illi, ſimul epiſcopo Varadienſi, cenſurae ferendae ius in eos, qui regem vel reginam turbarent, conceſſit. (*b*)

CCCXV. Litterae hae, quibus Innocentius paternam ſuam de Ladislao pupillo ſollicitudinem expreſſerat, nonniſi poſt eius obitum in Hungariam perlatae ſunt. Diſſenſionibus inter ducem Andream et reginam exortis, ſiue quod ille ſecundas in regno ferre non poſſet; ſiue quod iſta quoque rebus praeeſſe vellet; haec, vt Admontenſe chronicon perhibet, (*c*) *ſecum habens quosdam epiſcoporum et optimatum Vngaricorum, qui propter iusiurandum, quod*

(*a*) Ibid. p. 351—355. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 759—776.
(*c*) Ap. H. Pez T. II. col. 195.

quod infantulo regi iurauerant, adhuc in parte eius ſtabant, per vim occupatis portis et cuſtodiis terminorum Vngarici regni, verſus Wien ducens ſecum filium ſuum, cum theſauris et diuitiis magnis et comitatu copioſo egreſſa eſt; et a Luipoldo duce, de quo propter affinitatem plurimum praeſumebat, magnifice ſuſcepta. Hic Leopoldus, ex Helena, Belae III. ſorore, natus, cognati regis caſum miſeratus, collectis copiis, Andream ad pacta ſeruanda cogere volebat; quum Ladislaus Infans e viuis exceſſit, bellumque iam paratum morte ſua diſcuſſit. *Ladislaus,* inquit Turotzius, (*a*) *coronatus eſt VII. kal. Sept. feria V. regnauit autem menſibus ſex, diebus V. migrauit autem ad dominum anno eiusdem MCCI.* Sicut annum coronationis reſcribendum eſſe MCCIV. ſupra docuimus; ita certum eſt ex Innocentii litteris, annum obitus MCCV. corrigendum eſſe. Videtur autem Emericus S. Emerici feſto regni curas poſuiſſe, licet ad 30. Nouembris prouixerit. Nam a 5. Nouembris ad 7. Maii 6. menſes et duo dies, quos chronicon Budenſe habet, effluxerunt. (*b*)

§. XXVI.

ANDREAS II. REX XIX.

Coepit A. C. 1205. *deſiit A. C.* 1235.

A. C. 1205. *And.* 1. *Ind.* 8. *P.* 10. *A.*

CCCXVI.

Quum Andreas II. Belae III. filius, Emerico fratre Ladislaoque nepote defunctis, omnium conſenſione rex

(*a*) Chron. P. II. cap. 71. (*b*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 776—780.

rex Hungariae renunciatus fuiſſet; triceſimum circiter aetatis annum, vt ex Emerici regis annis colligi poteſt, agebat. Licet autem Ladislao 7. Maii pleno iure iam ſucceſſerit; fere tamen menſis abiit, dum ſacro diademate redimiretur. *Andreas*, inquit Turotzius, (*a*) *coronatus eſt XXVII. die poſt obitum regis Ladislai, IV. kal. Iunii, in penteceſtes.* At enim *a nonis* ſeu 7. *Maii*, qua Ladislaus obiit, *ad IV. kal. Iunii* ſeu 29. Maii, non XXVII. ſed XXII. dies intercedunt, qui nos ad 29. Maii, qua hoc anno feſtum pentecoſtes celebrabatur, deducunt. Bernardus, Spalatenſis archiepiſcopus, vt Thomas archidiaconus teſtatur, (*b*) *exiſtimans, puerum, Henrici filium, adhuc viuere, ad coronationem regiam ire neglexit.* Veritus nempe, ne ſuperſtiti Ladislao regnum Andreas eripere velit, ſatius eſſe duxit, certiores de ſuſpecta re nuncios exſpectare, quam fidem ſuam, pupillo iuratam, in diſcrimen adducere. Quae cauſſa fuit, cur etiam Innocentius in re tanta dubio rumori fidem illico non adhibuerit, ac in litteris, ad Andream *VI. kal. Iulii* datis, titulo regis abſtinendum duxerit. At, nouis legatis a nouo rege iam acceptis, de rei veritate certior redditus, 27. *Iulii* non iam ducis, ſed regis titulum Andreae tribuit, quum eum, vt quosdam ſubditos ſuos ad reſtituenda, quae clerico cuidam abſtulerant, commonet. (*c*)

CCCXVII. Quum inter eccleſiae Strigonienſis ſuffraganeos et canonicos anno ſuperiore de nouo metropolita poſtulando lites emerſiſſent; Innocentius III. ita capitulo Strigonienſi reſpondit: (*d*) „ Poſtu-
„ lationi,

(*a*) Chron. P. II. cap. 72. (*b*) Hiſt. Salon. cap. XXIV. p. 569. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 1—5. (*d*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 349.

„ lationi, quam celebraſtis de ven. fratre noſtro G. „ (*I. ſeu Ioanne*) Coloc. archiepiſcopo, ad Strigon. „ metropolim transferendo, ven. fratres noſtri, „ eiusdem metropolis ſuffraganei, — penitus con„ tradicunt, — quod, V. bon. mem. archiepiſcopo „ veſtro, viam vniuerſae carnis ingreſſo, eis incon„ ſultis, vos — quosdam — ad cariſſimi in Chri„ ſto filii noſtri H. Vngariae regis illuſtris, prae„ ſentiam deſtinaſtis; et quem vobis praefici vole„ batis, nominetenus expreſſiſtis. Poſt dilationem „ vero non longam, quum ad feſtum B. Stephani „ regis iidem epiſcopi ſollemniter conueniſſent, et „ ſuper electione Strigon. eccleſiae vnanimi delibe„ ratione tractarent; vos, ab eisdem epiſcopis re„ quiſiti, quem illi ſedi velitis eligi ac praeponi, „ taliter reſpondiſtis: " *quod nullum auderetis eligere; niſi qui plenam regis gratiam obtineret:* „ et „ protinus praefatum Coloc. archiep. in quem iam „ pridem cum rege conueneratis praedicto, nomi„ nare curaſtis; adiicientes: " *quod in electione archiepiſcopi, ſuffraganei nihil iuris haberent.* „ Quibus „ ipſi ſuffraganei reſponderunt: " *quod a prima Chriſtianitatis inſtitutione in regno Vngariae vsque ad iſta tempora nullus ad ſedem Strigon. fuerat electus; niſi ſuffraganeis vna cum canonicis eligentibus.* Si haec vera ſunt; in eccleſia Hungarica ius electionis a primis temporibus obtinuit. Quia tamen nuncii regis et canonicorum Strigon. dixerunt, *ea, quae ab ipſis epiſcopis propoſita fuerant, penitus eſſe falſa;* dubitari poteſt, an inter illa falſa, haec etiam eligendi conſuetudo referri debeat. Verbötzius ſane ius patronatus regum noſtrorum indidem, vnde Chriſtianae religionis initium, repetit. (*a*) Certe S. Stephanus

(*a*) Tripart. P. I. Tit. XI.

phanus Sebaſtianum *regendo Strigon. archiepiſcopatui praefeciſſe*, (*a*) Maurum *in epiſcopatum Quinqueeccleſienſem ſublimaſſe*, (*b*) S. Gerardo Tsanadienſem *epiſcopatum tradidiſſe* (*c*) legitur; quin vlla vel electionis, vel poſtulationis mentio his in locis occurrat. Nempe, quemadmodum ipſe loquitur, (*d*) *a Romanae ſedis ſupremo pontifice habuit auctoritatem, vt, quibus vellet eccleſiis — libertates et dignitates conferret.* Quod ius etiam ad ſucceſſores illius et futuras eccleſias Silueſter II. his verbis extendit: (*e*) „Secundum quod diuina gratia te et illos do„cuerit; eccleſias regni tui praeſentes et futuras, „noſtra ac ſucceſſorum vice, diſponere atque or„dinare, apoſtolica auctoritate conceſſimus.“ Vnde S. Ladislaus etiam *quemdam Bohemicum, — nomine Duh, — Zagrabienſi eccleſiae paſtorem — delegauit.* (*f*) Nec alia de cauſſa Paſchalis II. obiecit Colomano *epiſcoporum translationes* (*g*) quam quod *nutu regis*, non poſtulatione fierent. Et Colomanus quidem *inueſtiturae*, (*h*) non item electionis et poſtulationis iuri renunciauit. Vnde Bela II. hoc ius itidem exercuit, *cuius gratia — Francica ad Bachienſem archiepiſcopatum translatus eſt.* (*i*) Geiſa II. Alexandro III. promiſit, (*k*) *quod absque auctoritate et conſilio eius vel ſucceſſorum ſuorum depoſitionem ſeu translationem epiſcoporum non faceret.* Quod etiam Stephanus III. confirmauit. (*l*) Ius tamen electionis etiam Emericum poſt hos retinuiſſe, colligimus ex Innocentii litteris, quibus *electiones praelatorum* eidem exprobrat. (*m*) Videtur igitur Eme-

---

(*a*) Cart. ed. Pray. p. 137. (*b*) V. S. Emer. E. Pray. p. 91. (*c*) V. S. Gerardi cap. XI. (*d*) Hiſt. Cr. T. I. p. 442. (*e*) Ibid. p. 26. (*f*) Hiſt. Cr. T. II. p. 485. (*g*) Ib. T. III. p. 153. (*h*) Ibid. p. 219. (*i*) Ibid. p. 481. (*k*) Ib. T. IV. p. 184. (*l*) Ibidem. (*m*) Hiſt. Cr. T. IV. p. 719.

Emericus, hac Innocentii comminatione permotus, nequod impedimentum Ladislai filii coronationi, quam tunc moliebatur, poneretur, archiepiſcopo Strigonienſi defuncto, ius eligendi canonicis ita permiſiſſe, vt tamen ius ſupremum electioni calculum dandi ſibi reſeruaret; ad eum fere modum, quo Colomanus Dalmatis epiſcopum ius eligendi conceſſerat, electionem tamen ratam habendi ius ſibi reſeruauerat. (*a*) Deinde candidatos ipſos canonicis a regibus propoſitos fuiſſe, patet ex his Stephani V. verbis: (*b*) *Vacante ſede Agrienſi, nullus alius poſſit eligi in epiſcopum; niſi nobilis genere et iuris peritus*, videlicet *de tribus praeſentatis per dominum regem.* Videmus igitur, etiam tunc, quum electionis ius remiſſum erat, reges ad conſtituendos epiſcopos plurimum influxiſſe. Plenum ſubinde ius, teſte Verbötzio (*c*) Sigismundus in concilio Conſtantienſi regibus Hungariae vindicauit, quo iam in quartum ſeculum vtuntur. (*d*)

CCCXVIII. Quum Andreas pro metropoli Strigonienſi primum quidem Ioannem, archiep. Colocenſem, deinde Calanum, Quinqueeccleſien. epiſcopum, commendaſſet; Innocentius III. quia hanc poſtulationem *inuenit*, vt ipſe loquitur, (*e*) *in multa diſcordia non ſolum ſuffraganeorum, verum etiam canonicorum Strigon. eccleſiae — celebratam; illam, exigente iuſtitia, non duxit admittendam. — VIII. kal. Iul. pont. a. VIII.* Tandem orbitati huius eccleſiae conſulturus, in eorum ſententiam conceſſit, qui Ioannem, archiep. antea Colocenſem, metropoli Stri-

(*a*) Ibid. T. III. p. 229. (*b*) Ibid. T. VI. p. 589. (*c*) Trip. P. I. tit. XI. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 16—28. (*e*) Ap. Dob. Mon. T. II. p. 356.

Strigon. praefici voluerunt, epiſtola prolixa totius controuerſiae ſeriem complexus, (*a*) *II. non. Oct. pontif. an. VIII.* Nullumque per hanc translationem eccleſiae Colocenſi praeiudicium fieri, litteris aliis eiusdem eccleſiae capitulo ſignificauit. (*b*) Ioannes ergo, cuius cauſſa tamdiu fluctuauerat, Andrea quoque tandem connitente, qui primum quidem ab illo, tum a Calano ſteterat, exemplo nouo metropolim cum metropoli commutauit. Complures illum exterum ac Gertrudis reginae fratrem fuiſſe putarunt. Sed enim haec opinio vel illis Innocentii verbis, ſententiam hanc ferentis, conuellitur: *Non poteramus, ſalua conſcientia, eidem eccleſiae in alia perſona, quae de regno Hungariae originem duceret, congrue prouidere.* Quum igitur in perſona Ioannis eccleſiae Strigonienſi prouiderit; originem is de regno Hungariae duxit. Gertrudis porro hos 4. fratres habuit: Ecbertum, Ottonem, Henricum, Bertholdum multas paginas in hiſtoria Hungariae facturum. (*c*)

A. C. 1206. *And.* 2. *Ind.* 9. *P.* 2. *A.*

CCCXIX. Poſtquam, Innocentio probante, Ioannes ad metropolim Strigonienſem translatus fuit; Andreas eccleſiae Colocenſi, per eius translationem vacanti, Bertholdum, vxoris ſuae germanum, praeficere voluit. Innocentius, ne vel regem offenderet, vel legem et conſcientiam laederet; promiſit, (*d*) *ſi litteratura non ſolum eminens, ſed ſaltem competens in eo fuerit inuenta; et aetas non ſolum perfecta,*

(*a*) Ap. Kollar. Hiſt. Dipl. p. 142. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. T. II. p. 360. (*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 5—15. (*d*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 361.

cta, ſed perfectioni ſaltem propinqua fuerit in ipſo reperta; ſe voluntati regiae ſatisfacturum. *Dat. Ferentini, VII. idus Iunii, pont. an. IX.* Priusquam hic Bertholdus ad metropoliticam illam dignitatem electus fuiſſet; Ioannes, eius deceſſor, vacante Strigonienſi ſede, non tantum Ladislao, ſed etiam Andreae ſacram coronam impoſuit. Quia vero hoc munus ad eccleſiam Strigonienſem pertinebat; Andreas eidem, aliorum regum more, ſe gratum exhibuit hac donatione: (*a*) „— Andreas, D. gr.
„ Hung. Dalm. Croat. Ramae, Seruiae, Galliciae
„ Lodomeriaeque rex. — Sane miſerationum do-
„ mini, quibus poſt tribulationes multas et malas
„ in ſolio patrum noſtrorum ſedimus, recordantes
„ eccleſiae B. Adalberti M. quam matrem regni eſſe
„ et metropolim — conſtat, in noſtrae coronationis
„ memoriam, quam de ſurſum capiti noſtro per ma-
„ num ven. patris Ioannis, archiep. Strigonienſis
„ (*tunc Colocenſis*) DEVS imponere eſt dignatus,
„ has donorum noſtrorum primitias, licet exiguum
„ munus, attribuimus, vt annuatim — canonicis,
„ illic DEO deſeruientibus, 100. marcae argenti —
„ de regali afferantur aerario. — Dat. — MCCVI.
„ ven. Ioanne, Strig. arch. exſiſtente; Calano Quin-
„ queeccleſ. Boleslao Vacien. Petro Gewrienſi,
„ epiſcopis; Mochone palatino et comite Bichorien.
„ Chepano, filio Micſa, bano; Benedicto vaiuoda;
„ — Smaragdo Zonukien. et comite curiae. —“
Nondum hic inſertum legimus Bertholdum, Colocenſem archiepiſcopum, qui, Bambergenſis antea praepoſitus, donec ab Innocentio pallium acceperit;

(*a*) Ap. Coquelines Bull. T. III. p. 133.

rit; electi dumtaxat titulo diplomatibus ſubſcribetur. Dimiſſam eius ſponſam Cephanus palatinus, a laudato Mochone diſtinguendus, matrimonio ſibi iunxit. (*a*)

CCCXX. Pluribus indiciis Andreas ſuam in apoſtolicam ſedem reuerentiam ſingularem iam prodidit. Quibus permotus pontifex antiſtitibus Hungariae praecepit, (*b*) *quatenus proli, quae regi naſcetur, quod, auctore domino, futurum ſperatur in proximo, iuramentum fidelitatis, ad mandatum patris ipſius, ſine difficultate praeſtent. — VII. idus Iun. pontif. anno IX.* Neque multo poſt natum fuiſſe Belam, inde colligimus, quod, teſte Raynaldo, (*c*) pontifex, *accepto de nato filio laeto nuncio, Bambergenſi epiſcopo* (Ecberto) *reginae fratri, Roma III. kal. Dec. reſcribens, iniunxerit, vt regem adiret, ſuoque nomine gratularetur.* Natus igitur Bela fuit poſt 7. Iunii, qua ſuperiores; et ante 29. Nouembris, qua poſteriores ab Innocentio litterae datae ſunt. Eum e ſacro fonte leuauit Boleslaus, Vacien. epiſcopus, vt ex hoc Andreae diplomatis fragmento patet: *Belae regi IV. filio noſtro, quem ſibi adoptauit in filium, quando ipſum de ſacro fonte baptismatis eleuauit.* (*d*) Praematura haec Andreae de naſcituro filio ſollicitudo, qua fidei ſacramentum in illum praeſtari voluit, indicat, aliquem illi fratrem adhuc ſuperſtitem fuiſſe, in quem regnum ab optimatibus transferri potuiſſet; nec multo poſt, quam natus eſt, Belam coronatum fuiſſe. *Rex Bela poſt eum*, inquit Turotzius, (*e*) *filius eius, coronatus eſt, pridie idus Octobris,*

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 28—38. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 362. (*c*) Ad an. 1206. N. 26. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 182. (*e*) Chron. P. II. cap. 74.

bris, *feria prima*, *qua cantatur:* „Da pacem, do„ mine.“ ſeu dominica 18. poſt pentecoſten, quae toto tempore, quo Bela vixit, in *pridie idus Octobris* non incidit, praeterquam anno 1207. Turotzius igitur Belae IV. poſt patris obitum coronationem cum hac male confudit. (*a*)

CCCXXI. Si, quod veriſimiliter coniectamus, Bela nondum exacto poſt natiuitatem anno coronatus eſt; rarus hic honor, vt tres ordine reges inaugurare poſſet, Ioanni, qui Calanum aemulum in adipiſcenda Strigonienſi metropoli habuerat, obtigit. Vel ille conſenſus eligentium illum facile conuellit calumniam, Emerico regnante de doctiſſimo hoc epiſcopo ſparſam, qua foediſſimum inceſtus crimen eidem affingebatur, ac apud Innocentium ab Emerico reus agebatur. Etſi vero pontifex accuſationi huic fidem non habuerit; quia tamen Calanum innocentem non declarauit; vt talem declarare poſſet, purgationem canonicam ab eo recipiendam epiſcopo Tsanadienſi commiſit. „Venerabilis, „ *inquit*, (*b*) frater noſter C. Quinqueeccleſ. epiſco„ pus, ſuam volens innocentiam demonſtrare, fe„ cit nobis humiliter ſupplicari, vt ſuper illa nota „ nefaria, qua excogitata malignitas eum inuidioſe „ reſperſit, purgationem recipere ipſius dignaremur. „ Quum igitur contra eum nullus appareat accu„ ſator; diſcretioni veſtrae — mandamus, quate„ nus competentem ei locum aſſignetis et diem, „ in quo cum duobus epiſcopis et tribus abbatibus „ purgationem canonicam publice recipiatis ab ipſo. „ — — XIII. kal. Iul. pont. an. VIII.“ Hoc an-

 no

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 38—42. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 356.

no totam cauſſam epiſtola prolixa complexus, eidem et abbati Cikadorienſi hoc modo ſcripſit: (*a*) „Quum „ in iuuentute ſua ven. fr. noſter C. Quinqueeccleſ. „ epiſcopus, adeo ſe maturum, honeſtum et pro- „ uidum exhibuerit, vt propter ſuauem ſuae probi- „ tatis odorem ab eccleſia Rom. meruerit ornamen- „ to pallii decorari; non eſt de leui credendum, „ quod, poſtquam ad ſenilem peruenit aetatem, „ turpiter abiecerit iugum domini, foetores et foe- „ ditates libidinis amplexando.“ Producit deinde teſtimonium etiam Andreae regis, *aſſerentis, quod inuidioſe fuerant contra eum talia excogitata figmenta.* — „Dat. — non. Iul. pont. an. IX.“ (*b*)

CCCXXII. In epiſtola, qua hanc ſententiam Innocentius complectitur, mentio fit *expeditionis in Rutheniam a rege ſuſceptae*, qua videtur Andreas non tantum ereptam ſibi Galitziam recuperaſſe, ſed etiam Lodomeriam, cuius titulum primus adhibere hoc anno coepit, vt ſupra vidimus, nouo iure ſibi vindicaſſe. Poſtquam nempe Romanus, Galitziae Lodomeriaeque dux a Polonis occiſus fuiſſet anno ſuperiore; teſte Dlugoſſo, (*c*) *rex Vngarorum, Andreas, a Ruthenis ſuppliciter exoratus, vt filium ſuum Colomanum illis in dominum praeficeret*, — inteſtinis ſeditionibus exſtinctis, vtramque prouinciam Hungariae iam nunc aſſeruit; id vero, quod de Colomano praeficiendo dicitur, ſerius contigit; quum ſerius ille natus fuerit. Dlugoſſus igitur male plures res ad annum 1208. congerit, quarum aliquae prius, aliquae poſterius actae ſunt. (*d*)

A.

(*a*) Ap. Koller. H. E. Qu. T. I. p. 328. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 42—49. (*c*) Libr. VI. col. 604. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 49—52.

A. C. 1207. *Andr.* 3. *Ind.* 10. *P.* 22. *A.*

CCCXXIII. Vtriusque regni, ſeu Gallitziae ſimul et Lodomeriae, titulum Andreas iterum adhibuit in eo diplomate, quo canonicis regularibus S. ſepulcri Hieroſolymitani Glogowitzenſibus 7. villas cum ampliſſimis immunitatibus contulit. (*a*) Etiam, quum eccleſiae Spalatenſis iura confirmauit, eodem titulo ſic vſus eſt: (*b*) „Andreas, D. gr. Hung. Dalm. „ Croat. Ram. Seruiae, Galit. Lodomeriae rex. —“ *Magiſtratibus ita ſubſcriptis:* „Dat. per manus Ro- „ berti, Alb. praep. et aulae reg. canc. A. D. in- „ carn. MCCVII. ven. Ioanne Strigon. archiep. ex- „ ſiſtente; R. Bertoldo Coloc. electo; Calano, „ Quinqueeccleſ. ep. Bogeslauo, Vacien. ep. Ca- „ taprano Agr. ep. Simone Varad. ep. Deſiderio „ Chenad. ep. Willelmo Vltraſiluano ep. Calenda „ Veſprim. ep. Gothardo Zagr. ep. Petro Geur. ep. „ Chephano, filio Stephani, Bachien. et palatino „ comite; Stephano, filio Mio (*Michae*) bano, — „ Marcello comite curiali. — “ Tam in iſto, quam in priore diplomate Bertoldus tantum *electus* Colocenſis ſcribitur, et ad annum vsque 1212. ita ſcribetur; quod eum Innocentius propter defectum aetatis et ſcientiae confirmare noluerit. Salisburgenſis enim archiepiſcopus, ad illum examinandum a pontifice deſtinatus, aſſeruit, (*c*) *ſe reperiſſe illum, textum expedite legentem, et interpretantem eiusdem verba ſuo idiomate competenter, et apte praeterea de conſtructione grammatica reſpondentem; — eum indubitanter eſſe* 25. *annorum.* Permiſit tamen Innocentius, vt, quamuis pallio condecoratus

(*a*) Ap. Farlat. T. V. p. 357. (*b*) Ibid. Tom. III. p. 237.
(*c*) Ap. Baluz. T. II. p. 18.

non fuerit; omnia, quae non erant ordinis, exſequi potuerit. Atque hunc conſenſum ſuum, per Gregorium cardinalem *IX. kal. Ian. pont. an. X.* transmiſit. (*a*) Gregorius ille, ſedis apoſt. legatus, ſaepius in Hungaria iam antea viſus, nunc iterum tam in Hungariam, quam in Rutheniam, Andreae regi iam ſubiectam, miſſus eſt, vt ſcilicet regionem iſtam ad vnionem eccleſiae Romanae reduceret. (*b*)

A. C. 1208. *Andr.* 4. *Ind.* 11. *P.* 6. *A.*

CCCXXIV. Quia Belae natiuitas occupat annum 1206. vt iam oſtendimus, Eliſabethae vero 1207. vt annales Turingici teſtantur; Colomanus, Andreae filius, ante hunc annum naſci non potuit, nedum coronari, vel Salomeae connubio iungi, quod Timon, Cromerum ſequutus, ad hunc annum male conſignat. Certius eſt e diplomatibus, Margaritam, Andreae regis amitam, Belae III. ſororem, Geiſae II. filiam, Andream, comitem Simighienſem, maritum, Andronicum vero filium habuiſſe; hoc item anno Conſtantiam, Emerici viduam, Friderico, nunc Siciliae regi, nupſiſſe. (*c*)

A. C. 1209. *Andr.* 5. *Ind.* 12. *P.* 29. *M.*

CCCXXV. Andream vxori ſuae Gertrudi nimium addictum fuiſſe, nimium illud ſtudium, quo partim Ecberti, Bambergenſis epiſcopi, cauſſam apud pontificem egit, partim Bertoldum ad Colocenſem metropolim prouexit, aperte docet. Certe Theodoricus, S. Eliſabethae biographus, nimiam Gertrudis apud

(*a*) Ibid. p. 97. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 52—78. (*c*) Ibid. p. 78—87.

apud maritum regem potentiam ita depingit: (*a*) *Erat autem rex Andreas vir quietus et bonus, regina vero mulier virtuoſa et fortis, quae femineae cogitationi virilem animum inferens, regni tractabat negotia.* Huius igitur opera factum eſt, vt Andreas eius fratrem, Bertholdum, et archiepiſcopum Colocenſem eligendum curaret, et hoc anno *banum*, praeteritis tot aliis optime de regno meritis patriae filiis, crearet. Innocentius, de Bertholdo grauiter queſtus, ad Andream regem ita ſcripſit: (*b*) „De „tua regali prudentia valde conquerimur tibi ipſi, „qui de Colocenſi electo per inſtantiam nimiam „nos grauiter circumueniſſe videris, detrahentibus „nobis multis, — quod illum praefecimus in ma„giſtrorum magiſtrum, qui nondum diſcipulorum „diſcipulus eſſe norat; quum eum in epiſcoporum „epiſcopum conceſſerimus promouendum, qui ſcien„tia pontificali, officio congruente, aſſeritur ex „maiori parte carere, in tantum, vt, cura com„miſſae ſibi eccleſiae derelicta, — Vicentiam ſe „transtulerit, ibique circa prima rudimenta verſe„tur; non praecauens imperitiam ſuam, quam „caute, domi ſtudendo, potuiſſet vtcumque redi„mere; foris indecenter vagando, turpiter publi„care. — XII. kal. Febr. pontif. an. XI." Haec in Gertrudis gratiam Andreas egit, ad cuius etiam nutum portionem quamdam terrae Scepuſienſis Adolpho praepoſito contulit ac diplomati Bertholdum, etiam *bani* titulo conſpicuum, ſubſcripſit. (*c*) Idem fit in alio diplomate, Demetrio de Raska dato. *Poth* vtrobique palatinus; *Michael* vaiuoda comparet. Quum autem vſum pontificalium abbatibus S. Bene-

(*a*) Ap. Caniſ. Ed. Baſn. T. IV. p. 119. (*b*) Ap. Baluz. T. II. p. 252. (*c*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 104.

dicti de iuxta Gron indulget; (*a*) ceteris *Banc* banus additur. In litteris, C. Ieriadoni de Veglia conceſſis, *Benedictus* vaiuoda; *Nicolaus* curialis comes dicitur; (*b*) omiſſis his nominibus in eo diplomate, quod in fauorem Varasdinenſium ob beneficia, tempore captiuitatis accepta, dedit. (*c*)

A. C. 1210. *Andr.* 6. *Ind.* 13. *P.* 18. *A.*

CCCXXVI. Etſi Ioannes archiepiſcopus, praerogatiuis eccleſiae Strigonienſis conſulturus, effecerit, vt Innocentius ius coronandi reges metropolitis Strigonienſibus aſſeruerit; cauere tamen ſatis non potuit, ne propter nimios regis in Bertholdum Colocenſem fauores controuerſia haec idemtidem recrudeſceret; vt etiam criminatio contra Calanum iterum recruduit. Adeo difficilis res eſt, calumniam ſemel impactam penitus diluere. (*d*)

A. C. 1211. *Andr.* 7. *Ind.* 14. *P.* 3. *A.*

CCCXXVII. Militarem Templariorum ordinem late per Hungariam et Sclauoniam olim ſparſum fuiſſe, ſupra iam oſtendimus. Innocentius eorumdem iura, datis *XI. kal. Febr. pont. an. XIII.* litteris, confirmauit, inſcriptis (*e*) *Magiſtro et fratribus militiae templi, in Vngaria conſtitutis.* Magiſter iſte videtur fuiſſe Pontius, cuius ſententiae fragmentum in haec verba Farlatus exhibet: (*f*) *Fr. Pontius de cruce, humilis magiſter militiae templi*

(*a*) Ap. Novak Vindic. p. 145. (*b*) Ap. Kertscl. Not. Prael. p. 188. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 87—107. (*d*) Ibid. p. 108—118. (*e*) Ap. Baluz. T. II. p. 501. (*f*) Illyr. S. T. IV. p. 217.

pli per Vngariam et Sclauoniam, *et locumtenens regius in Croatia et Dalmatia.* Conditam in Croatia hoc anno Topolskenſem ſeu Toplitzenſem abbatiam Kertſelitſius refert, (*a*) adſcripto dumtaxat epilogo diplomatis, in quo *Bertholdus Colocenſis electus et banus* appellatur; Innocentii vero litteris, ad Andream datis, (*b*) indicatur, aliquas illum lites cum Strigonienſi habuiſſe. (*c*)

A. C. 1212. *Andr.* 8. *Ind.* 15. *P.* 25. *M.*

CCCXXVIII. Lites illae potiſſimum emerſerant propter ius coronandi reges, quod Colocenſis vellicare coepit. Quomodo controuerſia haec compoſita fuerit, ex Innocentii litteris, ad Andream regem iterum datis, vberius intelligi poteſt. *Inter praefatos*, inquit, (*d*) *archiepiſcopum et Colocenſem electum et eorum ſuffraganeos talis compoſitio interuenit:* „vt prima coronatio regum Vngariae, vbi- „cumque in ipſo regno eos primum contingeret „coronari, ſolius Strigonienſis eccleſiae iuris eſſet; „et monetae, vbicumque cuderentur in regno, — „decima ad eamdem eccleſiam pertineret.“ Contradicentibus canonicis Strigonienſibus, hanc compoſitionem Innocentius confirmare noluit, quod ſecundum eam *ſecunda coronatio deinceps aequaliter pertineret ad vtramque.* Nam, inquit, „ſi poteſtas „coronandi regis Vngariae penes diuerſas eccleſias „reſideret; toti regno graue periculum et heredi- „bus tuis grande poſſet diſpendium generare; quum „— frequenter inter regum Hung. coheredes ſuper „obti-

(*a*) Hiſt. E. Zagr. p. 39. (*b*) Ap. Baluz. T. II. p. 544. (*c*) Hiſt. Crit. T. IV. p. 223—131. (*d*) Ap. Baluz. T. II. p. 583.

„ obtinenda regni corona ſcandalum ſit exortum:
„ quod vtique poſſet facilius ſuboriri; ſi eos diuerſos coronatores contingeret inuenire. — — Super epiſcopatu quoque de nouo creando apud „ Cibinienſem eccleſiam in Vltraſiluana dioeceſi, „ qui metropoli Colocenſi ſubdatur, petitionem regiam nequiuimus exaudire. —" nempe propter praeiudicium vel apoſtolicae ſedis, vel Strigon. metropolis, vel epiſcopatus Tranſſiluanienſis. In his litteris, *II. idus Febr. pont. an. XIV.* confectis, Bertholdus tantum *electus* dicitur, vt èt in illis, quibus lites, inter epiſcopum Veſprimienſem et abbatem S. Martini discutiendae committuntur, *V. nonas Martii, pont. an. XV.* Nondum enim, aetatis aut ſcientiae defectu, vel conſecratus tunc fuit, vel pallium accepit. At in eo diplomate, quod Andreas cruciferis ſepulcri dominici dedit, iam *Colocenſis archiepiſcopus et vaiuoda* ſcribitur; (*a*) *Robertus* ibidem *Veſprimienſis* ceteris additur; *Bank palatinus, Michael banus, Iula curialis comes.* — His adiicitur: *Nicolaus curialis comes reginae;* quum Andreas alio diplomate fundos, Budenſi praepoſiturae per nefas auulſos, reſtituit. (*b*) Quum vtrobique Bertholdus archiepiſcopus legatur; iam conſecratus fuiſſe videtur. Nouus illi *vaiuodae* titulus adiectus nouum odii fomentum erat, quo tam ille, quam regina ſoror, cuius fauore ſummas illas in Hungaria dignitates conſequutus eſt, conflagrabat. Male Turotzius ad hunc annum caedem reginae conſignat, vt videbimus. (*c*)

A.

(*a*) Ap. Wagn. Scep. I. p. 389. (*b*) Ex MSS. Batthyan. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 134—164.

A. C. 1213. *Andr.* 9. *Ind.* 1. *P.* 14. *A.*

CCCXXIX. Quamuis Andreas votum expeditionis ſacrae, quo diu iam tenebatur, implere ſaepius voluerit; prius tamen, quum dux eſſet, egeſtate; nunc variis regni negotiis impeditus, eius exſequutionem rurſus in triennium prorogari petiit. Innocentius precibus eius annuit, de concordia ſimul archiepiſcoporum ita gratulatus: (*a*) — „Inter „ven. autem fratres noſtros, Strigonienſem et Co„locen. archiepiſcopos, concordia grata nobis ex„ſtitit; quum non ſolum inter eos, ſed etiam quos„libet alios, ſopiri velimus contentiones et lites. — „Datum Laterani, III. non. Febr. pontif. noſtri „anno XV." Quum Andreas veterrimum illud diploma, quod a S. Stephano monti Pannoniae collatum, a multis per tot ſecula hoſtibus oppugnatum, nobilem ſemper triumphum retulit, confirmaſſet; (*b*) inter alios antiſtites etiam *Bertholdum*, *Coloc. archiepiſcopum* nominat; ſed ſimul *Batſienſem et Bodrogienſem comitem* appellat. (*c*)

CCCXXX. Tot iſti honores, quos Andreas rex in Bertholdum, Colocenſem archiepiſcopum, vxoris gratia, congeſſerat, magnam et huic inuidiam, et illi totius gentis indignationem conflarunt. Vidimus illum, nec aetate, nec doctrina ſatis inſtructum, Colocenſem archiepiſcopum, Andrea connitente, creatum anno 1206. Vidimus eumdem iam etiam banum anno 1209. vaiuodam an. 1212. ſimul Batſienſem, ſimul Bodroghienſem comitem anno 1213. Quidam Hungari, ſiue his tam amplis et multis

---

(*a*) Ap. Baluz. T. II. p. 717. (*b*) Ap. Novák Vind. p. 33.
(*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 164—178.

multis eius honoribus vterentur; ſiue fortaſſis aſpe-tiore quodam eius agendi modo, qui moribus Hungaricis non congrueret, offenderentur; eo tandem furoris proruperunt, vt, exuta reuerentia, violentas in illum manus iniecerint. Innocentius, datis ad archiepiſcopum Strigonienſem et epiſcopos Hungariae litteris, eos iubet *per omnes dioeceſes excommunicatos publice denunciari. — VII. id. Ian. pontif. an. XVI.* (*a*) Non igitur incredibilis eſt illa caeſae Gertrudis cauſſa, quod Andreas, illius gratia, tam Bertholdum, quam alios exteros ſummis in Hungaria magiſtratibus admouerit. (*b*)

CCCXXXI. Ceterum in quaeſtione de caede Gertrudis multae res adeo ſunt obſcurae, vt nec auctor, nec modus, nec cauſſa, nec annus caedis certo definiri poſſit. Annum caedis, vt hanc primum difficultatem aggrediamur, alii defigunt ad 1200. alii vel ad 1211. vel ad 1212. vel 1213. quam vltra hunc an. 1214. non poſſe differri, praeter alia docet illud Andreae diploma, quo Leleſzienſem ordinis Praemonſtratenſis praepoſituram, pia Boleslai, Vacienſis epiſcopi, liberalitate conditam, confirmauit. In hoc ille Gertrudis, iam exſtinctae, ſemel, iterum ac tertio meminit in haec verba: (*c*) *Pro anima illuſtris reginae Gertrudis, coniugis noſtrae. — Quaedam pars corporis eiusdem in eadem eſt ſepulta eccleſia*, Leleſzienſi. Verum igitur et illud Turotzii de reliquo Gertrudis corpore ſepulto teſtimonium eſſe poteſt: (*d*) *Cuius corpus in monaſterio griſeorum monachorum* (Ciſtercienſium) *de Pelis tumulatur.* Quod etiam Bela IV. his verbis confirmat:

(*a*) Ap. Baluz. T. II. p. 825. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 178—180. (*c*) Ex autographo. (*d*) Chron. P. II. cap. 72.

firmat: (*a*) *In qua* (Piliſienſi eccleſia) *etiam corpus matris noſtrae honorabiliter requieſcit.* Quum laudatum Andreae diploma datum ſit *anno MCCXIV. regni nono;* Gertrudis ante menſem Maium, poſt quem annus Andreae regni decimus decurrebat, interfecta fuit. Huius quidem diplomatis fidem aliqui ſuſpectam propterea faciunt, quod illic Andreas perhibeat, a Bela II. praedium Leleſz Boleslao datum eſſe, *quando eum de ſacro baptismatis fonte eleuauit.* Non enim cenſent fieri potuiſſe, vt Boleslaus, qui ſubſcriptus adhuc anno 1211. diplomati legitur, Belam II. qui iam ſub an. 1130. Geiſam II. filium habuit, e ſacro fonte leuauerit. Sed mirum eſt, hos ex recitatis verbis hunc ſenſum elicere, quum obuius ſenſus ſit, non a Boleslao Belam, ſed a Bela Boleslaum e ſacro fonte leuatum eſſe; nam in aduerſariorum ſenſu, *quando* Bela ſacris vndis ablutus eſt, illico hoc donum fecit, quod abſurdum eſt; non item, ſi ſponſor ſeu patrinus Boleslai fuiſſe dicatur; tunc enim pro munere natalicio praedium illud conferre potuit. Aſſerta fide huius diplomatis, in quo praeter laudatos alias antiſtites occurrit, mortuo iam Boleslao, *Iacobus, Vacienſis epiſcopus*, item *Nicolaus palatinus*, *Ochuz banus*, *Iula vaiuoda;* certum eſt Gertrudem ante Maium huius anni 1214. caeſam eſſe; Bonfinium igitur grauiter errare, qui funeſtam hanc tragaediam tunc actam fuiſſe ſcribit, quum Andreas expeditionem ſacram ſuſcepit, quod contigit tertio poſt anno, ſeu 1217. (*b*)

CCCXXXII. Etſi vero certum ſit, Gertrudis caedem vltra hunc an. 1214. differri non poſſe; dubium

(*a*) Hier. P. II. p. 69. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 180—196.

bium tamen eſt, an ea caedes ante hunc annum, et qua de cauſſa, patrata ſit. Turotzius et annum, et cauſſam, et auctorem caedis ita deſignat: (*a*) *Eius vxor fuit domina Gertrudis de Alamania, de qua genuit Belam, Colomanum, Andream et B. Elizabeth. Sed, proh dolor! humani generis inimico procul dubio ſuadente, vxorem Bankbani, magnifici viri, domina memorata vi tradidit cuidam ſuo fratri*, HOSPITI, *deludendam. Quam ob cauſſam idem Bankbanus, de genere Bor oriundus, ſuum gladium in reginae ſanguine miſerabiliter cruentauit, et diro vulnere ſauciatam anno dom. MCCXII. interfecit.* Quia patrii ſcriptores fratrem illum Gertrudis non nominant; vt aliquid alii dicerent, Bertholdum, qui tamen non *hoſpes*, ſed domeſticus apud reginam ſororem agebat, in ſuſpicionem nefandi criminis vocant. In Egbertum alii flagitium illud transferunt; quod tamen numquam eidem obiectum legimus. Alii cenſent, vel in Ottonem, vel in Henricum, vtrumque Gertrudis germanum, reiiciendam culpam, cuius ſuſpicio Gertrudem ipſam, etſi fortaſſis ignaram, afflauerit, quaſi ſcilicet illa pro fratre lenocinium agitauerit. (*b*)

CCCXXXIII. Ex tanta teſtimoniorum varietate quidam inferunt, totum illud lenocinium, quod a Gertrudis moribus vehementer abhorrere, tam anteactae vitae rationes, quam educatio caſtiſſima filiae ſuadent, inter commenta referendum eſſe. Dlugoſſus ex his eſt, qui veriſimiliorem caedis cauſſam aſſignat; (*c*) *quod — Andreas, Vngariae rex, ad conſilium conſortis ſuae, Gertrudis, plures Almanos*

(*a*) Chron. P. II. cap. 72. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 196—200. (*c*) Libr. VI. p. 614.

nos in Vngariam accerſiſſet; magiſtratus quoque reip. Vngaris neglectis, Almanis mandaſſet. Abſuiſſe tunc Andream, quum caedes patraretur, non tamen, vt Bonfinius tradit, in expeditione ſacra, ſed Ruthenica, Stero, vel potius Hermannus, Altahenſis abbas, ſcriptor ſynchronus, ita teſtatur: (*a*) *MCCXIII. Regina Gertruda Vngarorum, mater S. Eliſabeth, ſponſo expeditionem contra Ruthenos mouente, a comite quodam, Petro, trucidatur, qui et ipſe, ſubſequente nocte, in vltionem ſceleris cum aliis iugulatur: cui epiſcopus de Gran miſit in epiſtola amphibologica:* „Reginam occidere nolite timere bonum eſt. Si omnes conſentiunt: ego non contradico.“ Interpunctionibus variatis, varius hinc ſenſus, vel conſentientis, vel diſſentientis, elici poteſt. Ad eumdem annum plerique chroniſtae caedem illam affigunt, quibus RR. Nouakius opponit monumentum, anno hoc 1214. confectum a Gertrude, quum *Andreas, rex Hungarorum, — fuiſſet profectus valida manu in exercitum contra Gubatos*, ſeu Ruthenos, ita dictos a gauſape nigro, quod Hungari *Guba* vocant. Huic diplomati ſubſcriptus eſt, (*b*) *Bertholdus Colocen. Ioannes Strigonien. archiepiſcopi; Banc palatinus; — Nicolaus comes curialis reginae; Petrus comes Chenadien. — anno ab incarn. dom. MCCXIIII.* Caedis auctor a Turotzio dicitur *Bancbanus*; ab Hermanno *Petrus*; in diplomate Fridvalſzkiano *Simon*; plures nempe caedis et coniurationis participes erant, vt diploma laudatum his verbis indicat: (*c*) — „Quum Simon „banus, frater Michaelis bani, nouo et inaudito „genere iniquitatis et nequitiae adinuentionibus „de-

(*a*) Ap. Oefel. T. I. p. 666. (*b*) Ap. Novák Vindic. p. 13. (*c*) Edit. Claud. 1770. fol.

„ deteſtabilibus, crudeliter et enormiter armatus, „ vna cum ſuis complicibus, viris ſanguinum et do- „ loſis, ad dedecus et opprobrium coronae regiae „ conſpirantibus, mortis bon. mem. Gertrudis, D. „ reginae, cariſſimae coniugis noſtrae, particeps „ extitiſſet; — — “ Quidam tradunt, Andream fuga mortem euaſiſſe. Quia tamen illum tunc abſuiſſe vidimus; id de Bela potius intelligendum eſt; quum Timon ſcribat, (*a*) Andream, ex Halicia reducem, *donaſſe pagum Zelelgeh, in ditione Szaladienſium, comiti Miſcae, patri magiſtri Salomonis, qui fuit paedagogus et ſeruator Belae principis; dum mater eius occideretur.* (*b*)

CCCXXXIV. Quid Andreas in expeditione huius anni cum Ruthenis transegerit; quomodo publicae tranquillitati, caeſa iam Gertrude, conſulere voluerit; quid aduerſus Bertholdum, eius fratrem, accuſationis et querimoniae habuerit; ex hac eius ad Innocentium epiſtola patet: (*c*) „ — Nouerit, „ *inquit*, Sanctitas V. quod Galic. principes et po- „ pulus, noſtrae ditioni ſubiecti, humiliter a nobis „ poſtularunt, vt filium noſtrum, Colomanum, „ ipſis in regem praeficeremus, in vnitate et obe- „ dientia SS. Rom. eccleſiae perſeueraturis in poſte- „ rum, ſaluo tamen eo, quod fas illis ſit, a ritu „ proprio non recedere. Verum, ne tamen expe- „ diens nobis et vobis illorum propoſitum ex di- „ latione ſuſtineat impedimentum; a Sanctitate V. „ poſtulamus, quatenus ven. in C. P. noſtro, I. „ Strigonienſi archiepiſcopo, detis in mandatis, vt, „ apoſtolica fretus auctoritate, dictum filium no-

„ ſtrum

(*a*) Epit. Chron. p. 53. vel 28. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 200 —203. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1214. N. VIII.

„ ſtrum eis in regem inungat, et ſacramentum ſu-
„ per obedientiam, SS. R. eccleſiae exhibendam,
„ ab eodem recipiat. Praeterea innoteſcere volu-
„ mus V. paternitati, nos ad proficiſcendum Hie-
„ roſolymas, ſicut et tenemur, ſtudioſe intendere.—
„ Ideoque regni noſtri curam, cuius principes ad diſ-
„ ſentiendum proni ſunt, et filiorum noſtrorum tu-
„ telam, quorum aetas patrono indiget, Ven. P.
„ N. in C. I. Strigonienſi arch. qui et dignitate
„ ceteris praeeminet, et fidei conſtantia probatus
„ eſt, cum quibusdam aliis — poſſimus commen-
„ dare. — Ven. autem viros, Quinqueeccleſien. et
„ Geurien. epiſcopos, — dudum voto alligatos et
„ ſigno crucis inſignitos, vt nobis itineris ſocii ſint,
„ — a vocatione veſtra (*ad concilium*) diligenter
„ imploramus abſolui. — Meminerit etiam S. V.
„ anno ante praeterito, ſuper iure coronationis,
„ ad eccleſiam Strigon. pertinentis, — vos nobis
„ litteras direxiſſe, continentes laudabile veſtrum
„ conſilium et rationem efficacem:" *quod, ſi coro-
natio ad plures pertineret; materiam diſſenſionis et
ſchismatis facile excitaret, dum vnus vnum, alius
alterum in regem coronaret:* „ quas cum quibusdam
„ aliis, a ſede apoſt. nobis directis, et continenti-
„ bus, *ſolam Strigon. eccleſiam in officiales domus
„ regiae iurisdictionem habere*, in occiſione fel. rec.
„ vxoris noſtrae, per ſubreptionem amiſiſſe. — A
„ notitia paternitatis V. alienum fore nequaquam
„ volumus, Colocenſem ſcilicet archiep. hominem
„ pacis noſtrae, in quo ſperabamus, ob cuius ve-
„ hementem affectionem et promotionem ſuper alios,
„ fere totius regni noſtri — odium incurrimus, —
„ pecuniam, quam b. m. vxor noſtra ad opus et
„ vſum filiorum et filiarum noſtrarum congeſſerat, —

„ ad aeſtimationem 7000. marcarum, — abſtuliſſe „ et aſportaſſe. — “ (*a*)

A. C. 1215. *Andr.* 11. *Ind.* 3. *P.* 19. *A.*

CCCXXXV. Minus porro dubitari poteſt, praecipuam caeſae Gertrudis cauſſam fuiſſe, fauores et honores, in Bertholdum gratia Gertrudis accumulatos, ob quos ipſe rex fatetur, ſe regni fere totius odium incurriſſe. Quod ille his litteris petiit, vt Colomanus per Strigonienſem archiepiſcopum Galitziae rex inaugurari poſſit, id Innocentium conceſſiſſe, Honorii III. litterae, 1222. datae, docent. Andreas igitur, nihil cunctatus, teſte Dlugoſſo, (*b*) *filium Colomanum cum magnis copiis in Ruſſiam* (Rubram, quae Haliciam et Lodomeriam complectebatur) *et motus inteſtinos compreſſurum, et regnum Ruthenorum apud Halicienſes accepturum, transmittit. — Qui ſub eodem, quo ingreſſus erat Haliciam, tempore, ſe ab epiſcopis catholicis, videlicet Vincentio, epiſcopo Cracouienſi, et aliis epiſcopis, quos ſecum ex Pannonia adduxerat, in regem Haliciae inungi et coronari, regemque vocari et intitulari Galatiae; et vxorem ſuam, Salomeam reginam, — procurauit.* Non ab epiſcopo Cracouienſi, ſed ab archiepiſcopo Strigonienſi Colomanum fuiſſe coronatum, laudatae Honorii litterae teſtantur. Male Cromerus ſuos Polonos carpit, et *ignauos* facit, quod (*c*) *praeripi ſibi Halicienſem dominatum, quem armis ſuum fecerant, ab Vngaro paſſi fuerint.* Haliciam enim non Polonici, ſed Hungarici iuris hoc tempore fuiſſe, liquet ex illis Andreae regis ad pontificem

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 209—214. (*b*) Libr. VI. p. 604. (*c*) Libr. VII. p. 185.

tificem verbis: *Galiciae principes et populus*, NOSTRAE DITIONI *ſubiecti*, *humiliter a nobis poſtularunt*, *vt filium noſtrum Colomanum ipſis in regem praeficeremus.* Etſi vero Colomanum Andreas Haliciae praefecerit; ſupremum tamen ius et titulum eiusdem regni ſibi reſeruauit, vt vel ex illo diplomate, quo tributum villae Kakats eccleſiae Strigonienſi conceſſit, apparet. (*a*)

A. C. 1216. *Andr.* 12. *Ind.* 4. *P.* 10. *A.*

CCCXXXVI. Andreas, amiſſa Gertrude, non multo poſt ad alias nuptias animum adiecit, ſibique Iolantam matrimonio iunxit. Erat haec Iolanta nobiliſſimo regum et imperatorum ſanguine prognata. Patrem enim habuit Petrum, vulgo Curtinacium, comitem Antiſiodorenſem, orientis imperatorem; cuius pater itidem Petrus, auus Ludouicus VI. Galliae rex, erat; matrem Iolantam, Balduini V. comitis Flandriae filiam, cuius duo fratres, Balduinus et Henricus, primi Conſtantinopolitanum imperium, Graecis ereptum, obtinuerunt. Huius Iolantae, nouae reginae, coronatio videtur occaſionem obtuliſſe liti, quam Robertus Veſprimienſis aduerſus archiepiſcopum Strigonienſem mouit. Haec tandem, amica compoſitione, coram Romana curia, hoc modo finem accepit: (*b*) „ — Si rex et „ regina ſimul coronari debeant et inungi; Strigo„ nienſis coronet et inungat regem et Veſprimien„ ſis reginam: ſi vero ſola regina debeat coronari „ et inungi; Strigonienſis inungat eam; Veſprimien„ ſis autem coronam imponat eidem: quod ſi con-

 „ tingat

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 214—215. (*b*) Ap. Rok. V. Veſpr. Praeſ. p. 102.

„ tingat Strigonienſem in coronatione reginae ab-
„ eſſe; Veſprimienſis nihilominus inungat et coro-
„ net eam. — “ (*a*)

A. C. 1217. *Andr.* 13. *Ind.* 5. *P.* 26. *M.*

CCCXXXVII. Quum Henricus, in oriente ſecundus ex Latinis imperator, anno ſuperiore mortuus, Petrum Curtinacium, affinem ſuum, ſucceſſorem deſtinaſſet; quidam orientis principes cenſuerunt, imperium Andreae potius, Hungariae regi potentiſſimo, deferendum, quod ad inclinatam illic Latinorum fortunam erigendam opportuniſſimus ille videretur. Verum ea fuit moderatio huius regis, vt ſocerum ſibi praeferri facile pateretur. Datis tamen ad Honorium III. Innocentio III. die 18. Iulii ſuperioris anni ſuffectum, litteris, et diadema ſibi delatum eſſe ſignificauit, et vt cruce ſignatis diem ad ſequenda ſua ſigna certum indiceret, eumdem orauit. „ Vniuerſitas Latinorum, *inquit Honorius*, „ (*b*) in Graecia commorantium, ad te ſuos nun„cios deſtinarunt, in imperatorem Conſtantinopo„litanum te, vel nobilem virum, comitem An„tiſſiodorenſem, tuum ſocerum electuros. — III. „ kal. Febr. pont. an. I.“ Quia hic Petrus Andreae *ſocer* dicitur; Iolanta iam ante hunc annum eidem enupſerit. Poſtquam ab aliis principibus Andreas, ab aliis Petrus ad capeſſendum orientis imperium euocatus fuiſſet; ſocer generum, non inuitum, praeuertit; et ex itinere Romam profectus, quo ſibi maiorem apud Conſtantinopolitanos auctoritatem conciliaret; ab Honorio coronam imperii 9. Aprilis ſuſce-

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 227—230. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1217. N. 11.

ſuſcepit. Poſtquam autem illum Theodorus Comnenus, Epiri princeps, cum Ioanne card. dolo cepiſſet; vtriusque cauſſam Andreae Honorius commendauit. Sed quia Petrus numquam Conſtantinopolim videre potuit; eius loco coniux Iolanta, ſocrus Andreae, duobus annis imperium adminiſtrauit, filioque Roberto transmiſit. (*a*)

CCCXXXVIII. Andreas, ad ſacram expeditionem profecturus, alteri filiorum Hungariam, Haliciam alteri commiſit, vt ex his Innocentii litteris apparet: (*b*) „ Diſpoſitionem, quam de terra tua „ feciſti, regnum Vngariae primogenito tuo Belae; „ regnum vero Galitziae Colomano relinquens, et „ eorum alterutri, vel vtrique, ſine liberis decedenti, Andream inſtituens ſucceſſorem, auctoritate „ apoſt. confirmamus." Quia vero teneri hi reges tutoribus indigebant; Honorius quosdam optimates, quibus Andreas regni curam committere decreuerat, a voto peregrinationis abſoluit (*c*) *V. kal. Mart. pont. an.* 1. Demum Oſtienſis epiſcopi, quem in Hungariam legauerat, prudentiae commiſit, vt votum Andreae regis, quo ſexta quaque feria panis et aquae ieiunium DEO promiſerat, relaxaret. Andreas igitur, piis largitionibus diuinam opem emeriturus, Ciſtercienſi S. Crucis in Auſtria coenobio Leginthouienſem agrum contulit. (*d*) Subſcripti ſunt, praeter antiſtites alias recenſitos, *Thomas el. Agr. Steph. Zagr. — Iula palatinus; Banco banus; Ochuz curialis comes; Rophaim vaiuoda* (al. Raphail, Ruphaius, Ropoin, Roſon.) Quum autem non ita regium

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 231—237. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1217. N. 23. (*c*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 52. (*d*) Ap. B. Pez. Cod. Dipl. P. II. p. 70.

gium aerarium abundauerit, vt expenſis itineris tanti tolerandis ſuffecturum videretur; cum aliunde, tum ex Veſprimienſi templo quaedam ornamenta, ſuo tempore reſarcienda, ſumſit. (*a*) Rebus omnibus rite comparatis, iter arduum ingreſſus, vtprimum Zagrabiam attigit; eius eccleſiae fundos ac praerogatiuas pulcherrimo diplomate communiuit. (*b*) In Dalmatiam inde profectus, vt Thomas archid. ſcribit, (*c*) *anno redemtionis noſtrae MCCXVII. menſis Aug. XXIII. die aduenit Andreas rex ad ciuitatem Spalatenſem. Exierunt autem proceſſionaliter obuiam D. regi vniuerſi ciues.* — Quum inter cruce ſignatos condictum fuiſſet, vt die, qui naſcenti DEIparae ſacer eſt, in inſula Cypro congregarentur; Andreas, conſcenſis, quas a Venetis, Iadertinis, Anconitanis aliisque comparare poterat, nauibus, cum ſociis, epiſcopis Agrienſi Iaurinenſique, Dionyſio, M. tauernicorum pluribusque proceribus, Spalato profectus, eo curſum direxit, ventisque ſecundis vſus, ſpatio dierum 16. eodem appulit. (*d*) Ex inſula hac, velis Acconem ſeu Ptolemaidem conuerſis, poſtquam illic exſcendiſſet, ingentem Chriſtianis laetitiam, barbaris metum adtulit. (*e*)

CCCXXXIX. Quid ab Andrea ceterisque cruciatis illic actum fuerit; Oliuerius, qui rebus his intererat, ita deſcribit: (*f*) *Anno MCCXVII. — congregatus eſt exercitus domini in Accon copioſus cum tribus regibus, Ieruſalem, Vngaro et Cypri. Patriarcha Ieroſolymitanus, cum magna humilitate cleri*

(*a*) Ap. Pray Diff. de S. Lad. p. 109. (*b*) Ap. Farlat. T. V. p. 358. (*c*) Hiſt. Salon. Cap. XXVI. (*d*) Chron. ap H. Pez. T. I. col. 457. (*e*) Hiſt. Crit. T. V. p. 240—269. (*f*) Ap. Eccard. T. II. col. 1397.

cleri et populi, tollens reuerenter viuificae crucis ſignum, feria VI. poſt feſtum OO. SS. (3. Nou.) *profectus eſt ab Accon in caſtra domini.* (God. Col. addit: *cui rex Vng. et dux Auſtriae, de loco caſtrorum progreſſi, nudis pedibus occurrentes, deoſculati ſunt eam*) —— *Sequenti die per montes Gelboae — profecti ſumus Bethſaidam, vbi caſtra fixerat aduerſarius; ſed metuens tam ordinate procedentis exercitus aduentum, tentoria tollens et fugiens, terram vaſtandam militibus Chriſti reliquit. Vnde Iordanem transeuntes, in vigilia S. Martini corpora noſtra pacifice lauimus in eo. — Deinde ſuper litus maris Galilaeae tres manſiones fecimus, peragrantes loca, in quibus mirabilia ſaluator noſter operari dignatus, corporali praeſentia cum hominibus conuerſatus eſt. Conſpeximus Betsaidam, ciuitatem Andreae et Petri: — demonſtrata ſunt loca, vbi Chriſtus diſcipulos ſuos vocauit; ſupra mare ſiccis pedibus ambulauit; turbas pauit in deſerto; montem aſcendit ſolus orare; et locus, vbi cum diſcipulis poſt reſurrectionem manducauit. Et ſic per Capharnaum infirmos noſtros et pauperes in iumentis portantes, reuerſi ſumus Accon.* Quum nec Sephadinus ſultanus ex Aegypto prodire voluerit, nec Coradinus, eius filius, frontem obuertere cruce ſignatis auſus fuerit; ne hi, fugientibus Saracenis, otio tempus tererent, caſtrum Thabor, 77. turribus munitum, cui Coradinus 2000. militum iniecerat, oppugnandum ſuſceperunt. Ex Belae IV. diplomate, quo villas Adrian et Chatar Alexandro, filio Demetrii, de genere Aba confert, intelligimus, ter Andream cum Saracenis conflixiſſe, laudatumque Demetrium (*a*) *fratrem ſuldani Babyloniae, ducem exercitus, lancea transfixiſſe; cuius*

 quidem

(*a*) Ex MSS. Wagnerianis.

quidem caput amputando, coram ceteris regibus — ſollemniter praeſentauit. Diſſidiis inter duces exortis, *rex Vngariae*, ſcribit Oliuerius, *et Cypri Tripolim profecti ſunt.* Nec multo poſt ſubiungit: *Rex Vngariae, breui tempore commoratus, cum magno damno terrae ſanctae receſſit.* Cauſſam praematuri reditus Thomas archid. ita reddit: (*a*) *Neſcio, an ſuorum, an extraneorum nefaria temeritas regis machinatur in mortem, impiaque manus, diabolicis armata verſutiis, venenatum ei hauſtum propinat. Ex quo ſcelere vix mortis potuit periculum euitare. Necdum vero ſanitate ad integrum recuperata, redeundi coepit habere propoſitum, verens, ſe ſuumque regnum in tantum praecipitare diſcrimen; credensque, de ſuo voto pleniter domino ſatisfactum, incipit — ad patriae regredi fines.* Plura regiae liberalitatis etiam in oriente monumenta quum ſtatuiſſet; praecipue hoſpitalariis ſe munificum exhibuit, vt plura regis optimi diplomata docent. (*b*)

A. C. 1218. *Andr.* 14. *Ind.* 6. *P.* 15. *A.*

CCCXL. Oliuerius Andream quidem nocte natiuitatis *in finibus Tyri et Sidonis iuxta Sareptam* adhuc fuiſſe ſcribit; reditum tamen eiusdem ad annum 1217. figit. Sed quum annum a Martio ſolitus ille fuerit inchoare; quem is annum 1217. vocat, nobis iam 1218. erat. Certe cardinalis de Vitriaco, datis ad Honorium III. litteris, ſcribit, (*c*) Andream, Accone profectum, poſt feſtum epiphaniae, Tripolim veniſſe. Bonfinius igitur Blondum ſequutus, grauiter errat, quum ſcribit, (*d*) Andream regem

(*a*) Hiſt. Salon. Cap. XXVI. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 269 —288. (*c*) Ap. Martene T. III. col. 288. (*d*) Dec. II. Libr. VII. p. 397.

regem Damiatam obſediſſe 1218. eaque capta, ſed Saracenis iterum reddita, Hungariam repetiiſſe 1221. Atqui iam anno 1218. plures in Hungaria donationes Andreas fecit, vt comitibus de Vodicha, quod *comes Stephanus*, ita rex loquitur, (*a*) — *ſatis honeſto coetu*, — *armis decenter fulcito*, *equitibus* 250. — — *in aditu et* REDITV, *nobiscum procedere* — *non dubitauit*. Thomas autem archid. Andreae reditum ita deſcribit: (*b*) *Noluit autem vlterius marinis ſe committere caſibus; ſed per terram iter faciens, venit Antiochiam* (vbi Leonis, Armeniae regis, filiam filio ſuo deſpondit) *Deinde tranſiuit in Graeciam* (Graecorum in Aſia minore prouinciam) *vbi affinitate contracta cum Laſcaro, rege Graecorum, vltra progreditur. Accepit enim filiam eius* (Mariam) *filio ſuo primogenito, Belae, in vxorem. Exinde peragratis Graeciae finibus, aſcendit in Bulgariam; vbi ab Oxano* (Aſane) *Bulgarorum rege, detentus eſt; nec ante abire permiſſus, quam plenam ei ſecuritatem faceret, quod ei ſuam filiam* (Mariam) *matrimonio copularet*. Erat hic Ioannes Aſanes, Aſanis illius filius, qui primus, excuſſo Graecorum iugo, Bulgaros libertati poſtliminio reſtituit. Quia nihil ab Andrea vel in abitu, vel in reditu pro liberando Petro, ſocero ſuo, tentatum legimus; is interea vel naturali, vel violenta morte ſublatus fuerit. Ceterum Theodorus ille, a quo captus fuerat, Honorio reconciliatus, ſchisma Graecorum eiurauit. (*c*)

CCCXLI. Andreas igitur, ſuperatis multis terra marique periculis, multis ſanctorum lypſanis di-

ues,

(*a*) Ap. Schönleb. Roſ. Vrſin. p. 8. (*b*) Hiſt. Salon. Cap. XXVI. (*c*) Hiſt. Gr. T. V. p. 288—258.

nes, in Hungariam feliciter reuerſus, regni ſtatum nimis conuulſum reperit, etſi contrarium innuere videatur Turotzius his verbis: (*a*) *Reuerſusque in Hungariam cum pretioſis theſauris ſanctorum, regnum ſuum reinuenit in proſpero ſtatu.* Quod quidem ſic accipiendum eſt, quod Andreas ipſe feliciter in regnum ſuum rediuerit; non, quod ipſum regnum in felici ſtatu repererit. Quam enim miſere laceratum regnum Andreas inuenerit; ipſe, datis ad Honorium litteris, triſti ſtilo depingit. — „Ad veſtrae „ſanctitatis, *inquit*, (*b*) exhortationem, — per „obedientiae victimam nos et noſtra litare cupien„tes, nec tenerae filiorum noſtrorum infantiae mi„ſerti fuimus; nec emergentem nobis infidelium et „regno noſtro malignantium contumaciam et odium „— curauimus. — Ceterum, quum vltramarinis „partibus in ſuſceptae peregrinationis ſeruitio mora„remur; ineffabile diſſenſionis ſeminarium in regno „noſtro per frequentes nuncios procul dubio cogno„uimus pullulaſſe. Nos itaque — nouellam adhuc „in regno noſtro Chriſtianitatis plantationem non „patientes euelli; compulſi, coacti et inuiti a ter„ra ſancta receſſimus: et, licet per multa viarum „diſpendia transeuntes, quum in Hungariam per„uenimus, multo ampliora perfidiae ſcelera, quam „prius audiueramus, tam per eccleſiaſticas, quam „laicales perſonas, comperimus eſſe perpetrata, „quae vel qualia nullatenus per noſtra ſcripta V. „ſanctitati vellemus innoteſcere. — Nouit etiam „V. S. quod, quum in Hungariam peruenimus, „modo Hungariam, ſed tantum angariatam atque „diſſipatam et cunctis fiſci prouentibus ſpoliatam „reperimus; ita videlicet, quod nec debita, qui„bus

(*a*) Chron. P. II. cap. 73. (*b*) Ap. Pray Ann. P. I. p. 214.

„ 'bus in noſtrae peregrinationis itinere fuimus ob-
„ ligati, perſoluere, nec vsque ad 15. annorum
„ ſpatium regnum noſtrum priſtino ſtatu poterimus
„ reformare. — " Vera hic Andream ſcripſiſſe, triſtis euentus docuit. Licet enim 15. et amplius annis poſt reditum ſuperſtes fuerit; ſemper tamen cum egeſtate colluctatus, numquam ad priſtinum ſtatum Hungariam reducere potuit. Vera quoque ſcripſit de damnis, etiam per eccleſiaſticas perſonas illatis, vt vel ex iis, quae contra Iacobum, Vacienſem epiſcopum, ad Honorium delata ſunt, apparet. *Clericos*, inquit Honorius, (*a*) *Vacienſes terris, ſiluis, pratis, reditibus et rebus aliis per violentiam ſpoliat: — quosdam ex eis per incompoſitam familiam, quam habere ipſe incompoſitus delectatur, ſic fecit inhoneſte tractari, quod quidam illorum, rebus omnibus ſpoliati, ex inflictis vulneribus perierunt. — — Idibus Maii, pont. an. II.* Colomanus quoque, Haliciae rex, abſente patre, pulſus; reuerſo, reſtitutus eſt, teſtibus Ruſſicis annalibus, in haec verba: (*b*) *MCCXVIII. Vngari ex Halicia eiiciunt Mſtislaum Mſtislauicium, nepotem Romani, et filium regis iterum conſtituunt.* (*c*)

A. C. 1219. *Andr.* 15. *Ind.* 7. *P.* 7. *A.*

CCCXLII. Si Polonos ſcriptores audimus, Colomanus, in Haliciam anno ſuperiore reſtitutus, hoc anno rurſus a Micislao, collectis maioribus copiis, victus ac in cuſtodiam datus eſt. *Colomanus autem*, inquit Cromerus, (*d*) *a victoribus in arce diu*

(*a*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 340. (*b*) Iur. Hung. in Ruſſ. p. 5. (*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 288—316. (*d*) Libr. VII. p. 185.

diu obſeſſus, tandem fame et ſiti adactus, deditionem fecit, et annum fere totum, vna cum vxore Salomea, in cuſtodia aſſeruatus eſt a Meſcislao. Meliore loco videbatur eſſe ſors alterius Andreae filii, cui deſponſam Armeniae regis filiam cum iure ſucceſſionis in Armeniae regnum, ad pontificem perſcripſerat. Honorius enim, de hac regum iſtorum deſtinatione certior redditus, omnem illum tractatum auctoritate ſua, quod Andreas petebat, ratum habuit. (*a*) *IV. nonas Martii pont. an. III.* Quum autem Damiata hoc anno nonis Nouembris in Chriſtianorum poteſtatem venerit, patet Andream huic expugnationi non interfuiſſe, quod Bonfinius fingit; quum hic ad illas eius litteras Honorius reſpondeat, quas ad illum poſt reditum ſuum ſcripſerat. Eumdem e Palaeſtina iam reuerſum eſſe, docet etiam illud diploma, quo Fr. Pontium, *per Vngariam et Sclauoniam domus militiae templi magiſtrum* remuneratur, propter praeſtitam *ſecuritatem tam eundo vltra mare, quam redeundo per Graeciam,* et propter *labores quoque continuos, quos,* inquit, *nobiscum et propter nos ſereniſſimamque coniugem noſtram, Y. reginam, ſuſtinuit.* — „Dat. per manus „ Vgrini, aul. noſtr. canc. et Coloc. archielecti, an„ no dom. inc. MCCXIX. ven. Ioanne Strig. ar„ chiep. exſiſtente; Willermo Vltraſiluano, Deſide„ rio Cenad Roberto Veſprim. Thoma Agr. Bar„ tholomaeo Quinqueeccleſ. Stephano Zagr. Cosma „ Gewr. epiſcopis — Nicolao palatino; — Neuka „ vaiuoda. —" Inter Ioannem Strigon. et Vgrinum Colocen. enatas lites Honorius ita diremit, vt intra limites Colocenſis metropolis vſum pallii crucisque praeferendae Strigonienſi prohibuerit. (*b*)

A.

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1219. N. 28. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 316—326.

A. C. 1220. *Andr.* 16. *Ind.* 8. *P.* 29. *M.*

CCCXLIII. Leonis, Armeniae regis, non multo poſt inita cum Andrea rege pacta mortui, filiam Andreae cognomini filio praeripuit Philippus, Boamundi, principis Antiochiae, filius, in quem nihil Andreas mouit, quod ius tam remotum armis vindicandum eſſe non cenſuerit, quando filiorum alter captiuus a Micislao tenebatur, ac vicinius in Haliciam ius periclitabatur. Interim Andreas, aliorum quoque regnorum curis diſtractus, quum a Spalatenſibus interpellaretur, vt quasdam terras, Traguriensibus idemtidem adiudicatas, ius ſibi vindicandi tribueret; ſecundum Traguriensſes iterum pronunciauit. Spalatenſes, gratiam regis aucupaturi, rurſus metropolitam Hungarum, nomine Guncellum, elegerunt. (*a*) Honorius eius conſecrandi prouinciam Roberto, Veſprimienſium epiſcopo, detulit, cuius opera frequenter vſus, quod et prudentiam, et induſtriam eius ſingularem perſpectam haberet, rurſum ei commiſit, vt Bartholomaeum, Quinqueeccleſienſem epiſcopum, cui legitimam aetatem defuiſſe quidam cauillabantur, vexari porro non permitteret. Eidem etiam Roberto commiſit, vt, quum Conſtantia, poſt Emerici mortem Friderico II. nupta, de quibusdam theſauris ſuis, ab Andrea rege direptis Romae queſta fuiſſet, in rei veritatem inquireret. (*b*) Andreas, ſeu fiducia cauſſae, ſeu quod Robertum, ſubditum ſuum, iudicem habere nollet; litis examen ad ipſum Honorium detulit. (*c*)

A.

(*a*) Thom. archid. H. Sal. cap. 27. (*b*) Ap. Schier. Reg. Hung. p. 177. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 372—347.

ter copulares: „ ſuper quo vtique apoſtolicae proui-
„ ſionis ſuffragium poſtulaſti. Nos igitur, hac et
„ aliis petitionibus tuis in praeſentia fratrum no-
„ ſtrorum diligenter expoſitis, de ipſorum conſilio,
„ iuramentum huiusmodi in eo dumtaxat, quod
„ regnum praedictum alii regi, auctoritate apoſto-
„ lica coronato, primo conceſſum tetigiſſe videtur,
„ tamquam illicitum et primo iuramento contra-
„ rium, decreuimus non tenere. In eo vero,
„ quod ſpectat ad aliud matrimonium contrahen-
„ dum, expedire non videmus, vt abſoluaris a no-
„ bis. — Super eo autem, quod cauſſam, quae
„ vertitur inter te et cariſſimam in Chriſto filiam
„ noſtram, Conſtantiam, — ad noſtram petiſti au-
„ dientiam reuocari; noueris, nos eidem imperatri-
„ ci noſtras ſuper hoc litteras deſtinaſſe. — — VI.
„ kal. Febr. pont. an. VI.“ Liti huic mors Con-
ſtantiae, quae 23. Iunii hoc anno contigit, finem
impoſuit. De Colomano Dlugoſſus teſtatur, (*a*)
eum *et ſibi, et conſorti decus virginitatis ſeruaſſe.*
Belam autem cum Maria, Theodori Laſcaris, qui
hoc anno deceſſit, filia, nuptias quidem ante bien-
nium celebraſſe conſtat; ſed iis a pontifice ſolui hoc
anno flagitabat, vt Raynaldus perhibet, qui ſimul
diſſenſiones inter Andream ac Belam inſinuat. (*b*)

CCCXLVI. Mala, quibus regnum hoc tempo-
re premebatur, ex Andreae legibus, quas, ceu me-
dicinas, curandis Hungariae vulneribus adhibendas
cenſuit, ediſcere poſſumus. Eſt hoc celeberrimum
Andreae II. decretum, 31. capitibus comprehen-
ſum, *ad quod obſeruandum*, vt Verbötzius ſcribit, (*c*)
qui-

(*a*) Libr. VI. p. 605. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 366—372.
(*c*) Trip. P. I. tit. 9.

quilibet regum Hungariae, priusquam ſuum caput ſacro diademate coronaretur, ſacramentum praeſtare ſolet. Nunc id poſt coronationem praeſtatur, et articuli 31 pars, quae bellis ciuilibus occaſionem obtulit, excipitur. Decreti huius *Articulus I.* agit „de „ ſollemnitate S. regis Stephani, annuatim celebranda. *Art. II.* Quod nemo condemnetur; niſi „ fuerit citatus. *III.* De libertate praediorum ſeruientium atque eccleſiarum. *IV.* De facultate „ ſeruientium diſponendi de rebus et poſſeſſionibus „ ſuis. *V.* De facultate comitum parochialium et „ bilochis regalibus. *VI.* De populis coniuratis, „ quod fures non nominentur. *VII.* De exercitu, „ extra regnum ducendo per regem. *VIII.* De auctoritate palatini et de vicariis iudicum. *IX.* De „ facultate comitis curialis. *X.* De remuneratione „ filiorum baronum, in bello occumbentium. *XI.* „ Hoſpites ſeu alienigenae ad dignitates quomodo „ promoueantur. *XII.* De dotibus vxorum, quomodocumque decedentium. *XIII.* Quod ruſtici „ per potentiores non opprimantur; nec alii pauperes. *XIV.* De comite, caſtri ſui populos deſtruente. *XV.* De agaſonibus, caniferis et falconariis. *XVI.* Quod integri comitatus honores in „ perpetuum non conferantur. *XVII.* Quod poſſeſſionibus acquiſitis nemo priuetur. *XVIII.* De „ facultate ſeruientium eundi ad filium, et de cauſſis, coram filio regis inchoatis. *XIX.* De libertate ruſticorum et hoſpitum. *XX.* De decimis. „ *XXI.* Quod epiſcopi non dent decimas equis regalibus; nec populi eorumdem decimas importent ad praedia regalia. *XXII.* De porcis regalibus. *XXIII.* De noua moneta. *XXIV.* Quod „ Iſmaelitae et Iudaei non teneant officiolatus. *XXV.* „ De ſalibus. *XXVI.* De poſſeſſionibus non confe-

„ rendis extra regnum. *XXVII.* De marturinis ſol-
„ uendis. *XXVIII.* De conuictis in iudicio non de-
„ fendendis. *XXIX.* De prouentibus comitis et re-
„ galibus. *XXX.* Quod praeter palatinum, banum
„ et curiales comites regis et reginae nullus duas
„ dignitates teneat. *XXXI.* Quod articuli praemiſſi
„ ſcripto et ſigillo aureo roborentur, et ad diuerſa
„ loca ſeruandi aſſignentur et reponantur.“ Ex hoc articulo clauſula haec abrogata iam eſt: *Quodſi vero nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum aliquo vmquam tempore huic diſpoſitioni noſtrae contraire voluerit; liberam habeant, harum auctoritate, ſine nota alicuius infidelitatis, tam epiſcopi, quam alii jobagiones ac nobiles regni, vniuerſi et ſinguli, praeſentes et futuri, poſterique reſiſtendi et contradicendi nobis et noſtris ſucceſſoribus in perpetuum facultatem.* Sicut per *ſeruientes* hic intelliguntur nobiles, vnde iudex nobilium, *Szolga bíró* vocatur; ita per *jobagiones* optimates, quaſi *jobbak;* vtraque voce iam ad viliorem ſenſum translata. (*a*)

CCCXLVII. Ad calcem decreti huius ſacri dumtaxat magiſtratus, inter quos noui *Briccius Vacienſis*, *Vincentius Nitrienſis*, comparent, ſubſcripti ſunt; at in alio, quo ſingulares etiam eccleſiaſtico ſtatui praerogatiuas Andreas contulit, profani quoque ſubiiciuntur. Inter eos eſt: (*b*) „Vt nullus cle-
„ ricorum ante perſonam trahatur ſecularem; nec
„ cuiquam laicorum, dum videlicet a laico impeti-
„ tur, in foro ſecularium iudicum reſpondere tenea-
„ tur. — Vt nullus hominum, tonſuram habens
„ clericalem, liberos denarios vel pondera, ſeu
„ quemcumque cenſum, ad fiſcum pertinentem,
„ ſol-

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 373—394. (*b*) Ex MSS. Vaticanis.

„ ſoluere teneatur. Et, ſi collector publicorum
„ vectigalium haec ab eis exigere, vel ſuper eos
„ deſcendere voluerit; manu valida, tamqaam fur
„ et raptor, turpiter expellatur. — Decet enim,
„ vt ſicut a laicis clerici miniſterio, nec non cul-
„ tu, ſunt dispares; ſic in diuini libertatem officii,
„ ſecularis grauaminis ſint expertes. — Dat. per
„ manus Cleti, a. r. canc. et Agrien. praepoſiti,
„ anno dom. inc. 1222. ven. Ioanne Strigon. — —
„ Nicolao palatino, — Ochuz. bano, Paullo vai-
„ uoda, — Bancone aulae regiae curiali. —" Quem-
admodum ſuperiore diplomate nobiles, ita hoc cle-
rici, ceteras inter praerogatiuas, a pendendis *libe-
ris denariis* eximuntur; quorum nomine veniſſe vi-
dentur octo denarii, quos olim liberi quoque de-
pendere ſolebant. (*a*)

A. C. 1223. *Andr.* 19. *Ind.* 11. *P.* 23. *A.*

CCCXLVIII. Licet Andreas de ſingulis regni ſtatibus optime mereri voluerit; eodem tamen tempore, quo tam ſalutares regno leges pertulit, neſcio, quid Orodienſis praepoſitus in eum deliquerit, vt omnibus fortunis exutus fuerit. Pronior tamen Andreas ad dandum, quam accipiendum, equitibus Teutonicis, quibus peculiari ſtudio ſemper afficiebatur, terram, Borza ſeu Boza nuncupatam, donauit. Cuius curam Honorius Agrienſi potius epiſcopo, quam Tranſſiluanienſi, committendam cenſuit. (*b*) Idem pontifex fratribus ord. praed. exſequutionem contra Zagrabienſem epiſcopum, a canonicis de multis criminibus accuſatum, commiſit. (*c*) Videtur

E e 2

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 394—402. (*b*) Ap. Schmitth Agr. Ep. P. I. p. 126. (*c*) Ap. Farlat. T. V. p. 361.

detur is de criminationibus obiectis ſe purgaſſe; quum anno ſequente diplomatibus ſubſcriptus legatur. Guncellus quoque, Spalatenſis archiepiſcopus, obtento pallio, de ſuis aduerſariis triumphauit. (*a*) Sed Aconcius, ei pallium tradere iuſſus, in Bosnia tunc contra Patarenos, qui ſibi Bartholomaeum antipapam conſtituerunt, agebat. Horum fautor erat Buiſenus, comes Spalatinus, cuius deceſſor Dornaldus ob perfidiam ab Andrea fortunis quibusdam mulctatus eſt, (*b*) diplomati, dato 1223. ſubſcriptis epiſcopis, alias laudatis, *vacante Strigonienſi ſede*, *Iula palatino*, *Nicolao curiali C. reginae*, *Salomone bano*, *Batez curiali C. regis.* Ioannes Strigonienſis nec inter eos antiſtites legitur, qui de Belae diuortio pontificem edocuerunt. „Quum, *inquiebant* „ *illi*, (*c*) dominus noſter rex Hungarorum, de „ partibus transmarinis rediens, per terram nobilis „ viri Laſcari tranſitum faceret; filiam eiusdem filio „ ſuo primogenito, Belae illuſtri, iam in regem „ coronato, et in regni gubernacula poſt ſe, DEO „ propitio, ſucceſſuro, deſponſauit vxorem, praeſtito ab ipſo rege et nobilibus ſuis, qui tunc praeſentes erant, publice iuramento, vt ad conſummationem matrimonii inter perſonas memoratas „ fideliter laborarent. Eamdem etiam nobilem, vt „ nurum decet regiam, ſecum in ſuam terram adducens, — filio ſuo memorato tradidit in vxorem; ipſam nihilominus, omni ſollemnitate adhibita, in reginam Hungariae coronari faciens et „ inungi. Cui ſupra dictus Bela illuſtris, cum omni „ dilectione et tranquillitate, in aetate legitima „ iam exſiſtens, cohabitauit per totum biennium, „ et

(*a*) Farlat. III. p. 254. (*b*) Ex autographo. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1223. N. 31.

„ et quorumdam maleuolis ſuggeſtionibus peruerſo-
„ rum, vir legitimam, — in totius regni ſcanda-
„ lum et ſubuerſionem religionis Chriſtianae, dimi-
„ ſit vxorem. — — “ (*a*)

A. C. 1224. *Andr.* 20. *Ind.* 12. *P.* 14. *A.*

CCCXLIX. Non defuit Honorius apoſtolico Hungariae praeſulum ſtudio, Belamque paterne commonuit, vt coniugem in gratiam torumque reciperet. Actutum ille paruit; ſed patrem Andream, propter coniugem receptam, ita commouit, vt ad Leopoldum Auſtrium cum vxore Maria ſuisque familiaribus confugere cogeretur. Vt igitur afflicto Honorius ſubueniret; eius cauſſam ſollicite commendauit Hungariae praeſulibus, Auſtriae, Bohemiae, Carinthiae principibus, effecitque tandem, vt Andreas Honorio promiſerit, in eius ſe poteſtate futurum. (*b*) Honorius, ea re vehementer laetatus et omnem ab eo culpam per litteras amoliri conatus, Belam ad praeſtandam patri reuerentiam admonendum curauit. Sollicita haec Honorii pontificis, in patre filioque reconciliandis, ſtudia hunc fructum tulerunt, vt ad Andream Bela redire coactus non fuerit, ne rurſus odia ſuſcitarentur; ſed in Dalmatia Croatiaque regiam poteſtatem obtinuerit. Qui mox ibi quasdam terras de ſe patreque bene meritis donauit, hoc vſus axiomate: (*c*) „ Bela, D. gr.
„ rex, primogenitus regis Hung. — — Anno ab
„ inc. dom. MCCXXIV. IX. kal. Ian.“ Placuiſſe DEO hanc eius obedientiam, primus Mariae par-

 tus,

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 402—428. (*b*) Reg. an. VIII. ep. 294. 299. 297. 298. 344. 345. 346. 347. 348. (*c*) Ap. Kerchel. Not. prael. p. 190.

tus, praeter ordinem naturae fauſtus, quo S. Cunegundem effudit, declarat. (*a*)

CCCL. Quemadmodum Cunegundis iſta, Boleslao Polono ſub annum 1239. nupta, tanto puritatis amore virum ſuum inflammauit, vt per annos 40. pari conſenſu caſtitatem illibatam cuſtodierit; ita Salomea, huius Boleslai Pudici ſoror, cum Colomano, Belae IV. fratre, mutuo conſenſu virginitatem intactam ſeruauit. Tantum tunc in aulis regum virginitatis pretium erat! Tam felix Andreas, non tantum in Eliſabetha filia, ſe ſuperſtite ſanctis adſcripta, ſed etiam in Colomano filio nepteque Cunegunde; tam felix Leſcus Albus, Poloniae dux, in Boleslao filio filiaque Salomea fuit. Quum triennium, poſt quod Micislaus Halicia ſe deceſſurum ſpoponderat, expletum iam ſit; *Andreas, Hungariae rex*, vt Dlugoſſus ſcribit, (*b*) *nouo exercitu in eum annum comparato, filium ſuum Colomanum contra Halicienſes transmittit, qui — absque omni reſiſtentia, Halicienſi potitus eſt regione et arce.* Iſta quidem duobus annis Dlugoſſus occupat; ſed illius chronologiae fidendum non eſſe, vel inde patet, quod eiusdem Colomani mortem ad ſequentem annum defigat, quem nos tertio poſt anno Croatiae praefuturum, multaque praeclare prius acturum videbimus, quam poſt cladem Tartaricam obeat. (*c*)

CCCLI. Andreas, filiorum negotiis rite compoſitis, et montis Pannoniae iuribus ſtabilitis, quum interea nouam S. Benedicti filiis abbatiam de Szkalka Iacobus, Nitrienſis epiſcopus, excitaſſet; Saxones

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 428—440. (*b*) Libr. VI. p. 628.
(*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 441—444.

nes ſibi nouo beneficio conciliaturus, ſingulares eis praerogatiuas hoc diplomate contulit: (*a*) „Andreas „ — Accedentes — fideles noſtri hoſpites Teutonici Vltra-Tranſſiluani, — ſua querimonia ſuppliciter nobis monſtrauerunt, quod penitus a ſua libertate, qua donati (*al. vocati*) fuerant, a piiſſimo rege Geiſa, auo noſtro, excidiſſent. — Nos „ igitur — — priſtinam eis reddimus libertatem; „ ita tamen, quod vniuerſus populus, incipiens a „ Varoſs vsque ad Baralt, cum terra Siculorum, „ terra Szebus et terra Daraus, vnus ſit populus, „ et ſub vno iudice cenſeatur, omnibus comitatibus, praeter Cibinienſem, ceſſantibus radicitus. „ Comes vero, quicumque fuerit Cibinienſis; nullum praeſumat ſtatuere in praedictis comitatibus; „ niſi ſit intra eos reſidens, et ipſum populi eligant. — Ad lucrum vero noſtrae camerae 500. „ marcas argenti dare teneantur annuatim. — Milites vero 50. intra regnum et regni expeditionem deputentur; extra vero regnum 100. ſi rex „ in propria perſona iuerit: ſi vero ex regno jobagionem miſerit; — 50. tantummodo milites mittere teneantur. — Sacerdotes vero ſuos libere „ eligant, et electos repraeſentent, et ipſis decimas „ perſoluant. — Volumus etiam; — quatenus illos „ nullus iudicet; niſi nos vel comes Cibinienſis. — „ — Praeter ſupra dicta, ſiluam Blacorum et Biſſenorum cum aquis — eisdem contulimus. — — „ Omnia etiam fora ipſorum ſine tributis praecipimus obſeruari. — Dat. anno ab inc. dom. MCCXXIV." (*b*)

(*a*) Ap. Toppelt, Orig. Trans. p. 16. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 444—460.

A. C. 1225. *Andr.* 21. *Ind.* 13. *P.* 30. *M.*

CCCLII. In limitibus Tranſſiluaniae collocatos equites Teutonicos multis fauoribus alias proſequutus Andreas, quum terram ſuam, *in ius et proprietatem B. Petri* translatam, a poteſtate regum eximere voluiſſe viderentur, adeo commotus fuit, vt eosdem Boza depellere conſtituerit. Honorius, ab hoc illum propoſito reuocaturus, graues illi litteras *II. id. Iun.* ſcripſit, quibus Andreas non inflexus, Teutonicos equites indidem expulit. Eodem tempore nihil induſtriae rex alias optimus praetermiſit, vt nocentiſſimum Patarenorum in Bosnia virus exſtingueret. Hunc in finem Vgrinum, Colocenſem archiepiſcopum, eodem deſtinauit; pollicitus ei loca, quae laboribus apoſtolicis ab erroribus repurgaſſet. Vgrinus igitur, poſtquam terras, ad Bosnam, Sauum et Vſoram ſitas, a labe haereticorum liberaſſet; easdem eccleſiae ſuae iuribus, accedente pontificis auctoritate, adiecit. (*a*) Honorius, de iuribus Hungariae conſeruandis ſollicitus, Belam regem per litteras monuit, vt, quaecumque bona regia pater abalienaſſet; auctoritate ſua reuocaret. „Quia quum, „ *inquit*, (*b*) teneatur et in coronatione ſua iurauerit etiam, iura regni ſui et honorem coronae „ illibata ſeruare; illicitum profecto fuit, ſi praeſtitit de non reuocandis alienationibus huiusmodi „ iuramentum, et propterea penitus non ſeruandum. — Idibus Iul. pont. an. IX. " Ioanne, metropolita Strigonienſi mortuo, Thomas illi, huic in Agrienſi ſede Cletus erat ſuffectus iam anno 1224. Sed Thoma paullo poſt electionem mortuo, quum alii

---

(*a*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 405. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1225. N. 22.

alii Deſiderium Chanadienſem, alii Iacobum Nitrienſem elegiſſent; (*a*) Honorius neutram electionem, tamquam vitioſam, approbauit, datis ad Brictium Vacien. et Cletum Agrien. litteris, *vt infra menſem poſt ſuſceptionem earum*, alia vel electio, vel poſtulatio fieret. (*b*)

A. C. 1226. *Andr.* 22. *Ind.* 14. *P.* 19. *A.*

CCCLIII. Quum autem ſuffragatores nullis Honorii monitionibus ad concordiam reuocari potuiſſent; quaternis e Strigonienſi maiorum ſacerdotum collegio Romam accitis, *de plenitudine poteſtatis*, eccleſiae Strigonienſi prouidendum pontifex cenſuit, Robertumque, qui multa cum laude Veſprimienſem eccleſiam 18. annos adminiſtrauerat, litteris ad Strigonienſe capitulum et Andream regem ea de re datis *III. id. Mart. pont. an. X.* ad metropolim Strig. transtulit. (*c*) Primis igitur huius anni menſibus datum fuerit illud diploma, cuius epilogum Kerchelichius ita refert: (*d*) „Datum per manus M. Ste„phani, a. r. canc. anno dom. inc. MCCXXVI. „Bela, primogenito noſtro rege, Dalmatiae et „Croat. gubernatore; Vgolino archiepiſcopo Colo„cenſi; Roberto, Veſprim. ep. Deſiderio Canad. ep. „Alexandro Varad. Gregorio Geurien. — " Non multo poſt Bela videtur ad Hungariam Transtibiſcanam et Tranſſiluaniam gubernandam translatus, eique ſuffectus in Illyrico Colomanus, qui praedium Prid eccleſiae Tragurienſi hoc diplomate contulit: (*e*) „— Quum nos Colomanus, D. gr. Ruthenorum

„ rex,

(*a*) Reg. an. IX. ep. 239. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 462—486. (*c*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 138. (*d*) Not. Prael. p. 188. (*e*) Ap. Farlat. T. IV. p. 337.

„ rex, et largitate glorioſi patris noſtri Andreae,
„ Hungarorum regis, dux Dalm. atque Croatiae,
„ ad partes deſcendiſſemus maritimas; ven. vir et
„ idem fidelis noſter Treguanus, epiſcopus Tragu-
„ rienſis, a ſublimitatis noſtrae culmine ſuppliciter
„ poſtulauit, vt ob ſalutem animae noſtrae, et ob
„ requiem animae cariſſimae quondam noſtrae ma-
„ tris, Gertrudae reginae, locum, qui dicitur Drid,
„ eccleſiae Traguṙienſi eleemoſynae intuitu largire-
„ mur: cuius poſtulationi grato concurrentes aſſen-
„ ſu — — Dat. Spalati — dom. inc. MCCXXVI.
„ XIV. ind. die kal. Auguſti. " (a)

A. C. 1227. *Andr.* 23. *Ind.* 15. *P.* 11. *A.*

CCCLIV. Non ita Colomanum Andreas Sclauoniae gubernandae praefecit, vt ſupremum ius in eam regionem exuerit. Vt igitur laudata Colomani donatio ſuam vim haberet; eamdem ipſe quoque nouo diplomate confirmauit. Colomanus, pacatam pro turbulenta prouinciam nactus, Vgrino ſociam in conuertendis Patarenis operam iunxit, cui nouos ad id ſtimulos epiſtola ſua Honorius addidit. Huic menſe Martio ſuffectus Gregorius IX. ſummo ſtudio Chriſtianos ad bellum Hieroſolymitanum excitabat. Quum Andreas, ob perturbatum regni ſtatum, domi manere cogeretur; eius gener Ludouicus, magnis copiis ſuccinctus, in Apuliam menſe Iunio peruenit, febribusque correptus, 8. Septembris obiit. S. Eliſabetha, mariti morte comperta, pertaeſa rerum caducarum arctius obſequio diuino ſe mancipare conſtituit. Ad eamdem ſacram expeditionem Robertus, Strigonien. archiepiſcopus iam accin-

(a) Hiſt. Cr. T. V. p. 487—494.

accinctus erat; quum a Borizio, Cumanorum principe, gentem hanc ad Chriſtiana ſacra traducendi ſpem certám accepit. Poſtquam enim Cumanos, deterſa ſenſim barbarie, mitiores ad amplectendam Chriſti fidem Paullus Hungarus, ex ordine S. Dominici, cum ſuis ſociis reddidiſſet, ac praeter magnum agreſtium numerum, duos principes, Bratum et Memborchum, ſeu Borizium, ad veram religionem recipiendam inflexiſſet; alter eorum, Borizius, filium ſuum ad metropolitam Strigonienſem ablegauit, multisque precibus ab eo contendit, vt Cumanos adire, rituque ſollemniore baptismum conferre velit. Robertus, audita hac legatione, facilem ad preces ſuas pontificem habuit, vt, voto Palaeſtinam adeundi commutato, veluti legatus apoſtolicus, in Cumaniam ire poſſet. (*a*) Quantum autem operae pretium illic fecerit; ex his chronici Belgici verbis ediſcimus: (*b*) *In Hungaria M. Robertus Veſprimien. vir bonus et religioſus, in Leodienſi dioeceſi natus, factus fuerat archiepiſcopus Strigonien. cui, cruce ſignato et in procinctu itineris conſtituto, occurrit filius principis de Cumania, et ait:* „domine, bapti„ſa me cum 12. iſtis: et pater meus veniet ad te vltra ſiluas. — " *Quo facto, abiit archiepiſcopus vltra ſiluas in occurſum patris illius: et ibi baptiſati ſunt, DEO dante, 15. millia.* Tam feliciter Hieroſolymitanae profectionis in expeditionem Cumanicam commutatio ceſſit! (*c*)

A. C. 1228. *Andr.* 24. *Ind.* 1. *P.* 24. *M.*

CCCLV. Robertus, tot Cumanis ad Chriſti fidem adductis, Alberico teſte, (*d*) *nouum fecit epiſcopum in*

(*a*) Bull. Ord. Praed. T. I. p. 22. (*b*) Ap. Piſt. T. III. p. 242.
(*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 494—511. (*d*) Ad an. 1228. p. 527.

in Comania, *Theodoricum nomine*, qui prius in Hungaria quinquennio Dominicanis praefuit. Quod quidem agendo, nouum epiſcopatum non condidit; ſed tantum veteri, qui Milkouienſis antea dicebatur, nouum nomen indidit, vt Cumanorum deinceps diceretur. Male quidam cum hoc epiſcopatu confundunt Argenſem, in Valachia poſitum, et Bacouienſem, ſerius excitatum. Etſi vero Milkouienſis epiſcopatus olim pro Siculis erectus fuerit; quia tamen in Moldauia ſitus erat; Milkouienſes epiſcopi diplomatibus regiis ſubſcripti non erant. Diplomati regis Andreae, quo Gertrudis caedem in Simone bano hoc anno vindicauit, eius bonis partim in fiſcum redactis, partim Dionyſio, tauern. magiſtro, collatis, antiſtites alias laudati ſubſcribuntur, et *Dionyſius palatinus*, *Ladislaus*, *C. curialis regis*; *Ochus*, *C. curialis reginae.* (*a*)

A. C. 1229. *Andr.* 25. *Ind.* 2. *P.* 15. *A.*

CCCLVI. Sicut Robertus, Strigonien. archiepiſcopus, in ethnicis Cumanis ad Chriſti fidem adducendis; ita Colocenſis Vgrinus in haereticis Patarenis ad ſinum eccleſiae reducendis, ſedulam ac vtilem operam hoc tempore nauauit. Epiſcopum ille Theodoricum ex ord. Praed. Cumanis anno ſuperiore dedit; epiſcopum hic nouum in Sirmienſi prouincia Bosnenſibus haereticis opponere voluit: ac primum quidem per litteras apud Gregorium IX. egit, vt nouum intra limites ſuae dioeceſis epiſcopatum erigere ſibi liceret: tum etiam ea de cauſſa pontificem acceſſit, qui, ne tam grande negotium praecipitaretur, per Tranſſiluanienſem et Tsanadienſem

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 518—534.

ſem epiſcopos inquiri iuſſit, an fructus debitus ex noua hac epiſcope ſperari poſſit. His metropolitae ſui conſilium mire probantibus, Gregorius liberam Vgrino poteſtaten Sirmien. epiſcopatus erigendi conceſſit, *in monaſterio Cuchet*, al. Cheuv, vel Keu, ſeu Kö dicto, quod olim pro 30. monachis S. Benedicti Belus banus condidit; ideo *Ban - Monoſtra* dicebatur. Hic fuiſſe ſedem epiſcopi Sirmienſis, Broderichius ita perhibet: (*a*) *Prima in Sirmia ab Vjlak recedentibus occurrit Ban-monoſtra, ſedes epiſcopi Sirmienſis.* Poſt cladem Mohatſianam et Banmonoſtram, et omnem Sirmienſem prouinciam Turcae per ſesqui ſeculum obtinuerunt: quibus auſpicio Leopoldi I. feliciter exactis, epiſcopi Sirmienſes Petro-Varadini ſedem fixerunt; donec tandem, volente M. Tereſa, Sirmienſis epiſcopatus, cum Bosnenſi coniunctus, Diakovarini ſtatiuam ſedem obtinuiſſet, primusque ſic vnitos epiſcopatus adminiſtrandos Matthaeus Franciſcus Kerticza, muſarum mearum ſtator munificentiſſimus, ſuſcepiſſet anno 1773. (*b*)

A. C. 1230. *Andr.* 26. *Ind.* 3. *P.* 7. *A.*

CCCLVII. Quum Andreas intellexiſſet, Eliſabetham, filiam ſuam, Marpurgum, vt vitam ſolitariam ageret, hoc anno ſeceſſiſſe; quosdam ad eam in Hungariam reducendam eodem deſtinauit. At Eliſabeth, res caducas exoſa, nullis rationibus permoueri potuit, vt arreptum vitae genus dimitteret. (*c*) Dum illa, piis operibus intenta, nullis Andreae patris inuitationibus cedit; hic ſuam in ſubditos beneficentiam expromturus, peculiares praerogatiuas *hoſpitibus*

(*a*) Edit. Baſil. p. 761. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 534—548.
(*c*) Vit. S. Eliſ. Ed. Pray. p. 131.

uſi, Hungariam tam multis tributis ac iniuriis opprimebant, vt et Cumani quidam ab amplectenda Chriſti fide deterrerentur, et nonnulli Chriſtiani filios ſuos illis vendere cogerentur, quod, vt Gregorius ad Robertum ſcribit, (*a*) *Saraceni melioris libertatis praerogatiua gauderent.* — „Et licet, *inquit*, in „Toletano concilio prouide ſit ſtatutum, ne Iu- „daei publicis officiis praeficiantur; quum nimis „abſonum videatur, vt Chriſti blasphemus in Chri- „ſtianos vim exerceat poteſtatis, in regno tamen „eodem paſſim Iudaei ac Saraceni publicis officiis „praeponuntur, qui ſub tali praetextu et damna „grauia eccleſiis inferunt, et Chriſtiano nomini plu- „rimum ſunt infeſti. — Dat. Lat. V. non Mart. „pont. an. IV.“ Grauia haec eccleſiae Hungaricae vulnera Roberto curanda pontifex commiſit, qui nihil non egit, vt mala haec e regno tollerentur: ſimulque memoria Banfianorum in ſimili cauſſa laborum innouata, prodigiisque, quibus Lucas ille Banfius, deceſſor eius, inclaruerat admonitus, cum ſuis ſuffraganeis pontifici ſupplicauit, vt laudatum Lucam Banfium catalogo ſanctorum adſcriberet. Gregorius precibus Roberti meritisque Banfii permotus, negotium inquirendae veritatis de virtutibus ac prodigiis eiusdem epiſcopo Tſanadienſi duobusque viris religioſis demandauit. (*b*) Quum Robertus tantam ſollicitudinem gerit, vt Lucas Banfius, ante quinquagenos annos ad ſuperos translatus, publica veneratione coli permittatur; ſanctiſſimus Eliſabethae, regis Andreae filiae, cuius apotheoſis felicius procurabitur, obitus eccleſiae Hungaricae magnam gloriam adtulit. *Quaſi ſuauiter obdormiens*, (*c*) *incli-*

nato

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1231. n. 39. (*b*) Ap. Schmitth Ep. Agr. P. I. p. 87. (*c*) Theodoric. cap. V. p. m. 159.

nato capite exſpirauit, anno dom. 1231. — *Exigente autem deuotione populi, vsque in diem quartum, ſacrum corpus ſuper terram in medio multitudinis plangentium eſt relictum. Erat namque non horror, ſed honor; non abominabile, ſed amabile, cernere corpus illud, quod nullum omnino, praeter pallorem ſolum, mortis indicium praeſerebat.* (*a*)

A. C. 1232. *Andr.* 28. *Ind.* 5. *P.* 11. *A.*

CCCLX. Miraculis, quibus Eliſabetha iam in vita pluribus inclaruit, poſt eius obitum multiplicatis, Gregorius, qui iam prius inſignes eius virtutes cognitas habuit, quosdam, quos inter Sigefridus, Moguntinus archiepiſcopus, eminebat, in ea miracula diligentius inquirere iuſſit. (*b*) Ab his plura quinquagenis collecta ſunt ex iuratis teſtibus, de diuerſis languoribus et morbis ope S. Eliſabethae curatis, de claudis, caecis, ſurdis, mutis, contractis, ſauciatis, hydropicis, paralyticis, gibboſis, ſtrumoſis, furioſis, epilepticis, integrae valetudini redditis, ipſisque mortuis vitae reſtitutis. Eodem tempore, quo hanc de prodigiis Eliſabethae quaeſtionem Gregorius inſtituendam curauit; eius patrem Andream de Burza, ſeu Boza, Teutonicis equitibus reſtituenda, per Iacobum Praeneſtinum, admoneri iuſſit, (*c*) *II. kal. Sept. pont. an. VI.* Aliis eidem litteris commiſit, vt, quum canonici Varadinenſes, alii Primogenitum, alii Benedictum elegerint epiſcopum; teſtibus auditis, litem ex aequo dirimeret. (*d*) Ad

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 590—600. (*b*) Ap. Rayn. 1232. N. IX. (*c*) Ex reg. an. VI. ep. 292. (*d*) Indid. ep. 213.

Ad Vgrinum quoque, Colocenſem archiepiſcopum, ſcripſit, vt archidiaconi Sirmienſis temeritatem reprimeret, qui Sirmienſis epiſcopi iura laedere praeſumebat. (*a*) Propter enatas autem inter Veſprimienſem epiſcopum et abbatem S. Martini lites, peruetuſtum S. Stephani diploma, huic monaſterio datum, innouauit. (*b*) Controuerſiam item eiusdem abbatis cum epiſcopo Zagrabienſi complanatam litteris ſuis complexus eſt. (*c*) Erat tunc epiſcopus Zagrabienſis Stephanus II. qui nouum canonicorum collegium Chasmae hoc anno condidit. (*d*)

CCCLXI. Omnium quidem Chriſtianorum, ſed cumprimis Hungarorum, ſollicitus ille pater, Gregorius IX. Andream grauiſſimis verbis admonuit, vt ad mala, quae ſuperioris anni litteris ad Robertum perſcripſerat, tollenda diligenter incumberet. Paruit ille, conſtitutionemque ſimilem illi, quam ante decennium ediderat, additis quibusdam explanationibus, vulgauit, (*e*) cum hoc epilogo: „ Vt autem
„ haec noſtris et ſucceſſorum noſtrorum temporibus
„ firma et inconcuſſa permaneant; tam nos, quam
„ filii noſtri, praeſtito corporaliter iuramento, con-
„ firmauimus; et tam noſtro, quam filiorum noſtro-
„ rum ſigillis fecimus roborari, ſpontanee conſen-
„ tientes, vt ſiue nos, ſiue filii noſtri ac ſucceſſo-
„ res noſtri hanc a nobis conceſſam libertatem con-
„ fringere voluerint; Strigonien. archiepiſcopus,
„ praemiſſa legitima admonitione, nos vinculo ex-
„ communicationis et eos innodandi habeat poteſta-
„ tem. — " Quia vero Iudaeorum et Saracenorum licen-

(*a*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 369. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1232. N. 23. (*c*) Ap. Farlat. T. V. p. 366. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 600—628. (*e*) Ap. Rayn. ad an. 1232. N. 13.

licentia nondum ſatis coercita fuit; Robertus archiepiſcopus Hungariam interdicto ſubiecit; et non equidem in ipſum regem, in quosdam tamen regis miniſtros anathema vibrauit. (*a*) „ Nullis, *in-* „ *quit*, correctis de his omnibus, quae D. papa „ — praeceperat corrigenda; contemta etiam et „ non obſeruata conſtitutione D. regis ſupra dicta, „ — non ſolum Saraceni praeficiuntur camerae et „ publicis officiis; immo —. liberis hominibus ſunt „ aequales. —“ *Conſiliariis*, —. *quorum ſuggeſtione rex Saracenos exaltauit et publicis praefecit officiis, excommunicationis ſententia innodatis, Dionyſius, C. palatinus*, —. *nominatim excommunicatur*. —.“ (*b*)

A. C. 1233. *Andr.* 29. *Ind.* 6. *P.* 3. *A.*

CCCLXII. Etſi menſe Decembri ſuperioris anni Robertus eccleſiaſticam illam cenſuram ſcripſerit ac ſignauerit; non videtur tamen ſtatim illam promulgaſſe; quum Andreas in litteris, ad Gregorium datis, id *initio quadrageſimae* factum innuat. Vulgata triſti ſententia, pluribus Andreas apud Gregorium queſtus, inter alia ſcribit: (*c*) „ — Quibus „ ita peractis, pater ſanctiſſime, quam diro dolore „ percuſſus exſtiterim, quum tam ego, quam regni „ mei incolae, ab vberibus mellifluis S. matris eccleſiae, tamquam filii degeneres, excludamur, et „ apud alios mundi principes quanti nominis ignominioſi dedecus incurram; explicare non valeo.—“ Gregorius card. Iacobum, de malis exſcindendis cum rege diligenter acturum, in Hungariam miſit, coram

(*a*) Ibid. N. 19. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 628—640. (*c*) Ap. Dacher. T. III. 610.

quo tandem Andreas iureiurando haec inter alia promiſit: (*a*) „Iudaeos, Saracenos, ſiue Ismaelitas „ de cetero non praeficiemus noſtrae camerae mo„ netariae, ſalibus, collectis, vel aliquibus publicis „ officiis. — — Non permittemus *illos* mancipia „ Chriſtiana emere vel habere quocumque modo. „ — — Pro reditibus vero eccleſiarum, qui hacte„ nus ſubtracti ſunt in ſalibus, exceptis decimis, „ perſoluemus 10000. marcarum per 5. annos con„ tinuos. — — Anno ab inc. D. N. I. C. MCC„ XXXIII. " Timon ex his Andreae verbis: *Promittimus — conſtituere ſingulis annis et dare palatinum vel alium de iobagionibus noſtris, quem voluerimus, Chriſtianae fidei zelatorem*, male putat, Andream dediſſe decretum *de conſtituendo quotannis palatino;* quibus ille ſe non obligauit ad mutandum, ſed ad mittendum quotannis palatinum, vel iobagionem alium, qui, poſtulantibus epiſcopis, Chriſtianos a Saracenis ſeparet; quam tamen inquiſitionem annuam poſtea Gregorius in biennium extendit. (*b*)

CCCLXIII. Gregorius, ab Andrea rege rurſum interpellatus, vt Lucam Banfium albo ſanctorum adſcriberet, card. Iacobo commiſit, vt in eius virtutes ac prodigia diligentius inquireret, (*c*) *XIII. kal. Mart. pontif. anno VI.* Quum Andreas de Luca Banfio ſanctis adſcribendo tam ſollicitus fuerit; mirum eſt, de filia, catalogo ſanctorum inſerenda, nullum eius ſollicitudinis veſtigium exſtare, de cuius miraculis reſponſum ab inquiſitoribus pontifex iam accepit. (*d*) Geſſit ille hoc anno bellum in

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1233. N. 51. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 640—656. (c) Ap. Schmitth Agr. Ep. T. I. p. 89. (*d*) Ap. Pray Vit. S. Eliſ. p. 9.

in Auſtriacos et Stiros; quum Fridericus, Auſtriae dux, arma per Morauiam circumferebat. *Ducem*, inquit Pernoldus, (*a*) *reuocarunt Vngari*, *ſub Andrea rege*, *et Bela*, *filio eius*, *tam Stiriam*, *quam Auſtriam aggreſſi*, *vt poenam ſumerent de repudio Zophiae cognatae*; quae ſoror erat Belae coniugis. Euentum belli Zwetlenſe chronicon ita perſtringit: (*b*) *Tandem Vngari*, *victoria potiti*, *nobiliores ex iis captiuauerunt.* Non multo poſt bellum in amicitiam officiaque mutua deſiit. Ante hoc bellum videtur obiiſſe Iolanta, coniux Andreae, de qua ſic Albericus ſcribit: (*c*) *Regina Hyolenz de Hungaria*, *in praeſentia* (Iacobi) *cardinalis et epiſcoporum*, *moritur*, *et in abbatia de Aegris* (Egres) *ſepelitur.* (*d*)

A. C. 1234. *Andr.* 30. *Ind.* 7. *P.* 23. *A.*

CCCLXIV. Andreas, licet prouectae iam aetatis eſſet, ad ineundum tertium matrimonium animos adiecit. Et nomen, et genus nouae coniugis hae pactionum tabulae, quibus dotem ei conſtituit, oſtendunt: (*e*) „ Donauit 5000. marcas argenti D. „ Beatrici reginae, vxori ſuae, filiae quondam fel. „ mem. domini Aldrouandini, marchionis Eſtenſis. „ — Interfuere teſtes D. Robertus, D. gr. Strig. „ archiep. D. Bartholomaeus, D. gr. ep. Veſprim. „ — — MCCXXXIV. Ind. 7. die dominico, XIV. „ intrante Maio. " Grauiter igitur errat Turotzius, quum ſcribit, (*f*) Andream, ex Palaeſtina reducem, in Italiam deflexiſſe, Beatricemque, coniugio

 ſibi

(*a*) Ap. Hanthall. Campil. T. I p. 1314. (*b*) Ap. Pez. T. I. col. 978. (*c*) Ad an. 1233. p. 547. (*d*) Hiſt. Crit. T. V. p. 665—688. (*e*) Ap. Pray Ann. P. I. p. 242. (*f*) Chron. P. II. cap. 82.

ſibi tunc ſociatam, *in Hungariam ſecum duxiſſe.* Andreas, partim bellicis laboribus, partim nuptiis, partim improborum conſiliis abductus, ea, quae iureiurando promiſerat, nondum exſequutus, per Bosnenſem epiſcopum admonitus eſt de cenſuris, quas, vt anno ſuperiore conſenſerat, incurrerit. Robertus Strigonienſis, quo minus ea ſententia publicaretur, obſtitit. Eum igitur Gregorius ad dicendam cauſſam euocauit, (*a*) *XIV. kal. Aug. pont. an. VIII.* Non multo poſt ipſum Andream paterna ſollicitudine monuit, vt, quae magna cum laude promiſerat, maiore cum gloria perficeret; neque nefariis impiorum conſiliis a bonis coeptis auocari ſe ſineret, (*b*) *V. kal. Aug. an. VIII.* Quum maiores in exſequendis promiſſis difficultates occurrerent; ad ea quidem exſequenda ſe paratum Andreas oſtendit; relaxationem tamen aut prorogationem, vt morigerum eccleſiae filium decebat, petiit ac obtinuit. Subinde Gregorius ad Andreae quoque filios, vt Chriſti fidem eorum opera ſtabiliret, plures hoc anno litteras dedit. Ac inprimis Belam rogauit, vt epiſcopo Cumanorum eccleſiam cathedralem erigeret fundisque dotaret. *VIII. kal. Nou. an. VIII.* Deinde monuit, vt ſecundum promiſſa Valachos ad obedientiam eccleſiae Romanae compelleret, (*c*) Colomanum autem, cuius magnum in haereticis vel reprimendis, vel reducendis ſtudium eluxit, ad proſequenda bene coepta cohortatus eſt. (*d*).

A.

(*a*) Ap. Koll. Ep. Quinqu. T. I. p. 249. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1231. N. 36. (*c*) Ibid. N. 38. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 689—713.

A. C. 1235. *Andr.* 31. *Ind.* 8. *P.* 8. *A.*

CCCLXV. Non multo poſt taedas nuptiales, belli fax inter Andream regem et Fridericum ducem iterum accenſa fuit. Fundamenta bello huic iacta fuiſſe videntur, quum Fridericus, Andreae nuptiis anno ſuperiore praeſens, *ita placuit*, teſte Pernoldo, (*a*) *multis Vngaris, vt eum regem optarent.* Affirmat etiam Rogerius, (*b*) perfidos quosdam *contra vitam patris et filiorum conſpiraſſe*, — Fridericoque *litteras cum certis pactis et conditionibus deſtinaſſe.* Litteris interceptis, *Andreas, R. H. vna cum Bela et Colomano, filiis ſuis, cum inaeſtimabili grandi expeditione Auſtriam intrauit*, vt Arenpeckius ſcribit, (*c*) *cui dux Fridericus cum minori impari exercitu occurrit: et antequam vterque exercitus conueniret; dux ipſe cum ſuis abiuit. Deinde Hungari ex vtroque latere praeda, homicidiis, incendiis terram vsque Viennam deuaſtabant, quibus nemo reſiſtentiam fecit. Quo viſo, dux Fridericus cogitauit, quae pacis ſunt: quam quum impetrauit; reges in domum ſuam inuitauit, et eis magnos exhibuit honores.* Domum reuerſus Andreas et eccleſiae Strigonienſis iura confirmauit, et Templariis donationes quasuis recipiendi poteſtatem dedit. (*d*)

CCCLXVI. Antequam Andreas hoc anno naturae debitum perſoluiſſet; rara felicitate vidit, Eliſabetham, filiam ſuam, quatuor abhinc annis ad ſuperos translatam, aris iam impoſitam eſſe. Poſtquam 26. Maii ſanctis adſcripta fuiſſet; quinto poſt die Gregorius litteras ad vniuerſam eccleſiam direxit,

(*a*) Ap. Hant. Campil. T. I. p. 1315. (*b*) Miſ. Carm. cap. IX. (*c*) Ap. H. Pez. T. I. col. 1213. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 714—720.

xit, quibus virtutes eius fuſe recenſet, (*a*) *kal. Iun. an. IX.* Quum Eliſabetha, choris angelicis aſſociata, nuptiis agni caeleſtis intereſt; Andreas alteram filiam, Iolantam, ex altera nominis eiusdem vxore ſuſceptam, ad Iacobum, Aragoniae regem, pro tori thronique ſocia, per Bartholomaeum, Quinqueeccleſienſem epiſcopum, transmiſit, quam Gregorius in clientelam apoſtolicae ſedis ſuſcepit. Quum Andreas ad duos reges filios pro dignitate ſuſtentandos magnam redituum regiorum partem addixerit; et geminae, primum Beatricis, tum Iolantae, nuptiae multum aeris hauſerint; in dies difficiliorem promiſſorum exſequutionem experiebatur. Quare, licet mitius in hac cauſſa Gregorius agendum cenſuerit; officii tamen ſui tam Robertum archiepiſcopum, *IX. kal. Sept.* quam Andream ipſum, *XV. kal. Sept.* ſuauiter admonuit. Sed ab Andrea de tenuibus regni reditibus, in plures partes diſtractis, edoctus, non tantum ſententiarum, in eum latarum, promulgationem ſuſpendit; ſed etiam ſoluendarum laeſis eccleſiis pecuniarum tempus prorogauit, (*b*) *II. kal. Sept.* Eadem die litteras ad quosdam antiſtites de Saracenis, ſecundum Andreae promiſſa discutiendis, dedit. (*c*)

CCCLXVII. Etſi certum obitus Andreae diem nusquam expreſſum habeamus; menſem tamen Pernoldus, ſcriptor ſynchronus, ita prodidit: (*d*) *Rex autem Andreas, iam ſenex et ſaepe aeger, medio menſe Nouembri obiit, vxore noua grauida relicta.* Turotzius autem annum ita conſignauit: (*e*) *Migrauit*

(*a*) Ap. Pray V. S. Eliſ. p. 13. (*b*) Ap. Rayn. ad 1235. N. 26. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 720—740. (*d*) Ap. Hant. Faſt. Camp. P. I. p. 1315. (*e*) Chron. P. II. cap. 73.

uit autem rex Andreas ad dominum anno dom. MCC-XXXV. triceſimo anno regni ſui; cuius corpus in monaſterio de Egrus feliciter requieſcit. Triceſimum annum regni compleuit 7. Maii, qua Ladislaus III. e viuis exceſſit. Sed interdum aliam etiam epocham, ab obitu ſui fratris Emerici, ſeu 30. Nouembris, anni 1204. quo tutorio nomine regno praeeſſe coeperat, adhibuit. Chronicon Budenſe tradit, Andreae *corpus Varadini ad pedes S. Ladislai requieſcere:* quod cum Turotzio conciliari poteſt; ſi dicamus, aliquam corporis eius partem iſtic, reliquam in Egreſienſi coenobio, quod ipſe condiderat, ſepultam eſſe: quod Gertrudi quoque factum fuiſſe vidimus. Ita vixit, ita deceſſit Andreas, perpetuis fortunae caſibus iactatus; a conceſſis Hungaricae nobilitati praerogatiuis ſempiternam apud poſteros memoriam conſequutus; cum egeſtate tamen fere ſemper colluctatus; fortaſſe, quod, e conſilio Dionyſii palatini, praepoſteris artibus aerarium augere voluerit. De cetero regnum ſumma ſapientiae, iuſtitiae, fortitudinis et clementiae laude tricenis annis et amplius adminiſtrauit. Tanto temporis interuallo multos ſacrae profanaeque reip. faſcibus admouit, e quibus archiepiſcopi *Strigonienſes* erant: Ioannes anno 1205. Robertus 1227. *Colocenſes*, Bertholdus 1206. Vgrinus 1219. epiſcopi *Agrienſes*, Catapanus 1207. Thomas 1217. Cletus 1225. *Iaurinenſes;* Petrus 1206. Cosmas 1219. Gregorius 1224. *Nitrienſes*, Ioannes 1208. Vincentius 1222. Iacobus 1224. *Quinqueeccleſienſes*, Calanus 1206. Bartholomaeus 1219. *Tranſſiluanienſes*, Wilhelmus 1207. Bernardus 1224. Raynaldus 1225. *Tsanadienſes*, Deſiderius 1207. Bulchu 1230. *Vacienſes*, Boleslaus 1206. Iacobus 1213. Brictius 1222. Stephanus 1230. *Varadienſes*, Simon 1207. Alexander

der 1219. Benedictus 1230. *Veſprimienſes*, Kalenda 1207. Bartholomaeus 1228. *Zagrabienſes*, Gothardus 1207. Stephanus I. 1217. Stephanus II. 1225. Comites *palatini*, Mocho 1206. Chepanus de Hederuára 1207. Poth 1209. Bank 1212. Nicolaus 1213. Iula 1215. Nicolaus, filius Borz 1219. Iula 1223. Dionyſius 1228. Moys 1230. Dionyſius 1231. Comites *curiae regiae*, Smaragdus 1206. Marcellus 1207. Petrus 1208. Nicolaus 1209. Marcellus 1211. Iula 1212. Aegidius 1213. Martinus 1214. Ochuz 1215. Iula 1219. Banko 1221. Batez 1223. Ladislaus 1224. Benedictus 1231. Demetrius 1233. *Bani*, Chepanus 1206. Stephanus 1207. Banko 1208. Nicolaus 1212. Michael eodem. Iula 1213. Mercurius eod. Ochuz 1214. Ioannes 1215. Banco 1217. Iula 1219. Ochuz 1221. Aladarius 1222. Salomon 1223. Martinus 1224. Veleginus 1226. Iula 1229. *Vaiuodae*, Benedictus 1206. Michael 1209. Nicolaus 1213. Iula 1214. Simon 1215. Rophaim 1217. Neuka 1219. Paullus 1221. Gyula 1229. Dionyſius 1233.

§. XXVII.

BELA IV. REX XX.

Coepit A. C. 1235. *deſiit A. C.* 1270.

A. C. 1235. *Bel.* 1. *Ind.* 8. *P.* 8. *A.*

CCCLXVIII.

Quum Bela, mortuo patre, ſolus rerum apud Hungaros potitus eſt; triceſimum aetatis annum agere coepit. Natus anno 1206. coronatus eſt ſequente

te 1207. Huic enim anno congruunt illae temporis notae, quas Turotzius his verbis expreſſit: (*a*) *Rex Bela poſt eum, filius eius, coronatus eſt; pridie idus Octobris, feria prima, qua cantatur:* „Da pa„ cem, domine!“ *in cathedrali eccleſia B. Petri Albae, quam ipſe conſecrari fecit, Colomano duce, fratre eiusdem, enſem regalem ad latus ipſius honorifice tenente; Daniele vero, duce Ruthenorum, equum eius ante ipſum ſumma cum reuerentia ducente.* Geminam Belae IV. coronationem hoc loco Turotzius confudit; alteram, quam notae chronologicae docent factam eſſe 1207. quo ſolo, quamdiu Bela vixit, dominica, *Da pacem, domine*, ſeu 18. poſt pentecoſten, in *pridie idus Octobris* incidit; alteram, quam poſt obitum patris eius rurſum peractam fuiſſe, Rogerius, teſtis ſynchronus, perhibet. Nec enim in prima coronatione Colomanus, tunc nondum natus, enſem fratri praeferre; nec Bela tunc infans eccleſiam B. Petri conſecrandam curare potuit. Haec igitur ad alteram eius inaugurationem referenda ſunt, in qua quod Daniel, Ruthenorum dux, equum Belae duxerit, argumento nobis eſt, eum fiduciario iure regi huic ſubiectum fuiſſe. De hac etiam Rogerius ita loquitur: (*b*) *Bonae mem. rege Andrea, genitore iſtius Belae regis, mortis debitum perſoluente, ſubito rex cum regni principibus et nobilibus venit Albam regiam ciuitatem: et ibi, poſtquam per manus Strigon. archiepiſcopi, prout moris eſt, regali diademate exſtitit coronatus; quosdam de ſuis baronibus, qui patri adhaeſerant contra eum, compulit exſulare; quosdam carcerali cuſtodiae, quos habere potuit, mancipauit; quemdam de maioribus, Dionyſium palatinum, priuari fecit lumine oculorum.* Quia

(*a*) Chron. P. II. cap. 74. (*b*) Carm. Miſ. cap. IV.

Quia Dionyſius palatinus tertio poſt anno rurſus occurrit; vel ſupplicium iſtud de hoc ſtatim Bela non ſumſit, vel alius ille Dionyſius eſſe debuit. (*a*)

CCCLXIX. Bela IV. a neceſſaria hac ſeueritate regnum auſpicatus, multorum odium incurrit; cuius cauſſas laudatus Rogerius pluribus refellit, aitque, (*b*) proceres *eosdem inter ipſum regem et patrem eius ſaepius ſeditionem et ſcandalum procuraſſe: — quum et ipſe rex ad patris curiam accedebat; eosdem in nullo ei penitus detuliſſe; immo dehoneſtaſſe ipſum verbis et factis: — contra vitam patris et filiorum nequiter conſpiraſſe: — duci Auſtriae litteras cum certis pactis et conditionibus deſtinando, D. Frederico, Rom. imperatori, coronam regni et Hungariam dare promiſiſſe.* Nuncio hoc cum litteris intercepto, concludit, mitius cum illis, vita condonata, quam commeriti ſint, actum fuiſſe. Facile quiuis ex hoc ſynchroni ſcriptoris teſtimonio conſtituet, regiam dignitatem ſub Andrea nimium euiluiſſe, nimiam eius facilitatem in magnum tandem abuſum degeneraſſe; Belam huic abuſui ſapienter obuiam iuiſſe: quia tamen malum hoc per longas moras vehementer inualuit; eumdem ſero medicinam paraſſe, funeſta, quae hinc conſequetur, regni ruina docebit. Gregorius, de morte regis Andreae certior redditus, ad Belam, vt auxilia Latinis Conſtantinopolitanis contra Graecos ſubmitteret, ita ſcripſit: (*c*) „ — Sicut pro certo didicimus, Vatacius et Aſanus ſchismatici, nuper inter ſe iniquitatis inito foedere, terram cariſſimi in Chriſto „ filii noſtri, imperatoris illuſtris, cum maxima „ Grae-

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 754—757. (*b*) Carm. Miſ. Cap. IX. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1235. N. 53.

„ Graecorum multitudine hoſtiliter inuadentes, et
„ capientes Gallipolim, omnes habitatores ipſius
„ crudeli gladio, differentia ſexus vel aetatis non
„ habita, iugularunt; et deinde in forti manu Con-
„ ſtantinopolim obſidentes, eam credebantur cape-
„ re; niſi a DEO liberata fuiſſet, deſuper adiuuan-
„ te. — Dicti vero Vatacius et Aſanus, noui ro-
„ bur exercitus inſtaurantes, ſpem nihilominus de
„ triumpho concipiunt: et de nouo ciuitate Con-
„ ſtantinopolitana obſeſſa, ſe ad debellandum eum-
„ dem imp. iterato cum infinitis armatorum milli-
„ bus accinxerunt. — Nos igitur — celſitudinem
„ regiam monendam duximus attente et hortandam,
„ quatenus quum eo leuius et citius praefato impe-
„ rio per homines Vngariae ſubueniri valeat, quo
„ ei viciniores exſiſtunt, — regium ſtudeas auxi-
„ lium et conſilium impartiri. — Nos — illam eis,
„ qui in eiusdem imperii ſuccurſum acceſſerint,
„ concedimus veniam peccatorum, quam habituri
„ forent; ſi terrae ſanctae perſonaliter ſubuenirent.
„ 17. kal. Ianuarii.“ (*a*)

A. C. 1236. *Bel.* 1. *Ind.* 9. *P.* 30. *M.*

CCCLXX. Bela, curandis regni vulneribus intentus, vt aerarium, profuſa liberalitate patris exhauſtum, repararet; neque bonis ac reditibus quorumdam religioſorum parcendum cenſuit. Ad ablata reſtituenda grauiſſimis illum verbis Gregorius pontifex admonuit, ac per quosdam epiſcopos admonendum curauit, (*b*) *XVII. kal. Febr. pontif. an. IX.* Quia vero neque Colomanus adhuc Templariis

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 757—766. (*b*) Ex Reg. an. IX. epiſt. 346. 347.

plariis erepta, ſecundum promiſſa, reſtituit; eum quoque pontifex officii ſui commonuit. An hi reges Gregorii monitis morem geſſerint, non conſtat. Id tamen certum eſt, et ea, quae nunc erepta pontifex queritur, et alia, peccatis exigentibus, a Tartaris non multo poſt occupata diſſipataque fuiſſe. Subinde Gregorius, auditis Belae querelis de quibusdam depeculatoribus, ad archiepiſcopum Colocenſem ita ſcripſit: (*a*) „ — Illuſtris regis Vng. „ exhibita nobis petitio continebat, quod Mica Bar„ batus, Nicolaus, filius Borch, et Nicolaus ma„ giſter, proditores, de laeſae maieſtatis crimine „ condemnati, fraudulenter multa de bonis coro„ nae regiae auferentes, apud quaedam loca reli„ gioſa, ea depoſuiſſe noſcuntur, quae locorum „ ipſorum rectores in ſuum praeiudicium detinent, „ et ſibi reſtituere contradicunt. — “ (*Ea reſtitui* „ *iubet*) II. id. Aug. pont. an. X. “ (*b*)

CCCLXXI. Duobus Andreae filiis cum egeſtate colluctantibus, eorum ſoror Eliſabetha, diſperſis in pauperes diuitiis ſuis, caelum diues ingreſſa, iam anno ſuperiore ſanctis adſcripta fuit, ad cuius eleuationem corporis hoc anno tanta multitudo hominum concurrit, vt, teſte Trithemio, (*c*) *fere duodecies centena hominum millia Marpurgum confluxerint.* Lambertus Schaffnaburg. quae fuſius alii ſcripſerunt, in pauca haec verba contrahit: (*d*) *MCCXXXVI. kalendis Maii Marburg translatio facta eſt S. Eliſabeth, praeſente imperatore ac tribus archiepiſcopis, Moguntino, Colonienſi, Bremenſi, vbi ex* illius

(*a*) Ex Reg. an. X. epiſt. 200. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 766—776. (*c*) Ap. Pray Vit. S. Eliſ. p. 17. (*d*) Ap. Piſtor. T. I. p. 431.

illius oſſibus oleum euidentiſſime deſudauit. Hinc forte Fridericus ſuos ad Belam, S. Eliſabethae fratrem, legatos deſtinauit, per quos, vt Albericus perhibet, (*a*) *repetiit a rege Vng. tributum 47. annorum, quod videlicet, ex quo mortuus eſt eius auus, magnus Fridericus, ſolutum non fuerat.* Neque ſolutum antea fuiſſe, quisquam teſtatur. Et quis credat, adeo ſuis iuribus, ſi quae habuiſſent, vel hunc Fridericum, vel eius deceſſores indormituros fuiſſe, nihil vt litis ea de re Hung. regibus obmouiſſent? Cum his Friderici legatis Beatricem, Andreae viduam, ex Hungaria, cuſtodibus eluſis, in Germaniam euaſiſſe, monachus Patauinus ita narrat: (*b*) — *Imperator ſuos legatos ad regem Vng. deſtinauit. Tunc Beatrix regina, quum eſſet grauida, timore ſui crudelis priuigni, iunxit ſe in reuerſione ſocietati imperialium legatorum, induta veſte virili: et ſic deluſo rege, qui eam faciebat in ſumma diligentia cuſtodiri, in Alemanniam latenter confugit peperitque ibi filium, quem Stephanum appellauit: quo nato, ad paternam domum protinus eſt reuerſa, cum dulciſſima prole.* Huius Stephani filius Andreas III. Hungariae regnum poſt Belae nepotem Ladislaum obtinebit. (*c*)

CCCLXXII. Poſtquam Andreae vidua, ſeueritate priuigni territa, patriam ſuam repetiit; ad alias odii cauſſas et haec fuga, et illud, teſte Rogerio, (*d*) rurſus acceſſit, quod bene meritis in bellicis expeditionibus *non ſolum non addit aliquid; ſed conceſſa ad ius et proprietatem cuiusque ſine diminutione*

(*a*) Ap. Schier. Reg. Hung. p. 206. (*b*) Ap. Vrſtiſ. P. I. p. 587. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 777—783. (*d*) Carm. Miſ. Cap. V.

ne aliqua reuocauit. Hanc accuſationem idem Rogerius ita diluit: (*a*) *Per prodigalitatem quorumdam progenitorum ſuorum, iura comitatuum erant adeo diminuta, vt, meritis et demeritis perſonarum non diſcuſſis, eidem poſſeſſiones, villas et praedia, ad comitatus pertinentia, in perpetuum contuliſſent. — Hic autem cupiens redintegrare coronam, quae paene paruae potentiae facta erat; licet plurimis diſpliceret; male tamen alienata ſtuduit reuocare ad ius et proprietatem comitatuum.* Quamuis igitur neceſſaria haec Belae prouidentia fuerit; multi tamen adeo fuerunt irritati, vt Fridericum, Auſtriae ducem, ad capeſſendum Hungariae regnum euocauerint. Pernoldus ad hunc annum bellum ea de cauſſa cum Friderico geſtum ita fere deſcribit, vt illud a'› Andrea geſtum alias retulimus. Vt adeo vel iſtud illuc, vel illud iſtuc reuocandum videatur. Interim Bela ſuas curas etiam in orientem porrexit, ac ad maiores noſtros, in Aſia relictos, verae fidei luce colluſtrandos, quatuor ex ordine praedicatorum apoſtolicos viros deſtinauit. (*b*) Ex quibus, per Bulgariam, Conſtantinopolim, Alaniam profectis, duo reuerſi, tertius in via mortuus, quartus, frater Iulianus, ad fluuium Ethil peruenit, et non procul inde Hungaros inuenit, a quibus cum gaudio ſuſceptus, per domos ac villas circumductus, de Hungaris Chriſtianis ſollicite fuit interrogatus. (*c*)

A. C. 1237. *Bel.* 2. *Ind.* 10. *P.* 19. *A.*

CCLXXIII. Tam longinquum iter vnius anni ſpatio confici minime potuit. Iulianus, illic aliquamdiu

(*a*) Ibid. Cap. X. (*b*) Ap. Deſeric. Init. H. T. I. p. 170. (*c*) Hiſt. Cr. T. V. p. 783—793.

quamdiu commoratus, aliqua Tartarorum incurſionis praeludia his verbis refert: *In hac Vngarorum terra dictus frater inuenit Tartaros et nuncium ducis Tartarorum, qui ſciebat Vngaricum, Ruthenicum, Cumanicum, Teuthonicum, Saracenicum et Tartaricum idioma; qui dixit:* „ quod exercitus Tartaro-
„ rum, qui tunc ibidem ad 5. dietas vicinus erat,
„ contra Alemanniam vellet ire; ſed alium, quem
„ ad deſtructionem Perſarum miſerat, exſpectabant."
— *Frater, his omnibus intellectis, licet ab Vngaris inuitaretur, vt maneret, non decreuit: — quod, ſi eum in breui mori aut infirmari contingeret; fruſtratus eſſet labor ſuus; eo quod nec ipſe profeciſſet in illis, nec fratres Vngariae, vbi eſſet gens eadem, ſcire poſſent. — Incepit autem frater redire tribus diebus ante feſtum natiuitatis B. Ioannis Bapt. et — ſecundo die poſt natiuitatem domini Vngariae portas intrauit.* Pios fratris Iuliani conatus bellum Tartaricum, quod breui poſt conſequutum eſt, ſufflaminauit. Opportune vero hic frater aliam pro reditu viam delegit, quod Thracia hoc anno rurſus armis perſtrepuerit. Vatacius enim Conſtantinopoli rurſus imminebat, cuius potentiam Aſanes quum ſuſpectam habuiſſet; ab eius ſocietate ſe diuulſit, et a Gregorio legatum expetiit. Hunc Gregorius Belae litteris ſuis commendauit; iis, qui Latinis aliquam opem tulerint, *illam indulgentiam idemque priuilegium elargitur, quae transeuntibus et ſubuenientibus in terrae S. ſubſidium conceduntur.* (*a*)
„ II. kal. Iun. pont. an. XI." Quum Aſanes Bulgarus Latinis iam conciliatus, arma contra Vatacium

(*a*) Lib. XI. epiſt. 110.

cium vertiſſet; dumque, viribus vnitis, vt Acropolita refert, (*a*) *obſidetur Tzuruli caſtrum; Aſano derepente nunciatur, vxorem Vngaram in viuis eſſe deſiiſſe.* Fuit haec ſoror Belae, cuius etiam auunculus, Ekbertus, Bambergenſis epiſcopus, hoc anno deceſſit. (*b*)

A. C. 1238. *Bel.* 3. *Ind.* 11. *P.* 4. *A.*

CCCLXXIV. Inconſtans Aſanes, amiſſa coniuge Hungara, rurſus armorum ſocietatem cum Vatacio contra Latinos iunxit. Quo comperto, Gregorius Belam ad illum impugnandum multis argumentis excitauit, (*c*) *VI. kal. Febr. an. XI.* Bela, quamuis aliquem nexum et cum Aſane per ſuam ſororem, et cum Vatacio per ſuam coniugem habuerit; ne tamen religioni deeſſe videretur; ſe quidem Aſani bellum illaturum promiſit; ſed vſus occaſione, quaepiam a pontifice poſtulauit. „Petimus, *inquit*, „ (*d*) vt officium legationis non alii, ſed nobis, „ in terra *Aſſani* committatur; vt habeamus poteſta- „ tem limitandi dioeceſes, diſtinguendi parochias, „ et in hac prima inſtitutione poteſtatem habea- „ mus ibi ponendi epiſcopos de conſilio praelato- „ rum et virorum religioſorum; quia haec omnia „ beatae mem. anteceſſori noſtro, S. Stephano, „ ſunt conceſſa. — Dat. in Zolum, VII. id. Iun. „ anno gratiae MCCXXXVIII. regni autem noſtri „ anno III.“ Hic locus et ad aſſerendum regibus Hungariae ius patronatus, et ad firmandam Silueſtinarum litterarum fidem magnum pondus habet.

Gre-

(*a*) Ap. Stritter. T. II. p. 730. (*b*) Hiſt. Crit. T. V. p. 794—812. (*c*) Reg. an. XI. ep. 373. (*d*) Ap. Rayn. 1238. N. 12.

Gregorius, tam promta Belae voluntate permotus, non tantum regem ab iis, quae iureiurando ſub anathematis incurrendi vinculo promiſerat, abſoluit; ſed etiam cetera, quae petebat, partim integre, partim reſtricte conceſſit. (*a*) Geminarum praeterea Raynaldus litterarum, ad Belam regem datarum, meminit, (*b*) *quibus Bulgariam nulli alii occupandam conceſſum iri ab apoſtolica ſede, ac Pannoniam ſub ipſius clientela ab hoſtium impetu atque excurſione vindicandam fore pollicetur.* Subiicit alias eiusdem Gregorii litteras, quibus, vt exercitui Belae crux praeferatur, indulget. (*c*) Vt autem expeditio ſacra felicius cederet; Hungariae praeſules admonuit, vt, indictis populo ſupplicationibus, Belae diuinam opem exorarent.

CCCLXXV. Aſanes, apparatu tanto territus, Latinorum partes rurſus amplexus, Balduini copiis iter per Bulgariam conceſſit. Quod vt Colomanus quoque faceret; Gregorius ſuis illum litteris interpellauit, (*d*) *VI. kal. Dec. an. XII.* Quia vero hic Colomanus ſingulari religionis tuendae ſtudio flagrauit, ac *terram Bosnae*, verba ſunt eiusdem Gregorii, (*e*) *deletis inde prauitatis haereticae maculis, non absque multis laboribus, deduxit ad lucem catholicae puritatis;* idem pontifex meritis illum laudibus extulit, ac ad proſequenda bene coepta hortatus eſt, (*f*) *XI. kal. Ian. an. XII.* Rogerius etiam Belam ab hoc ſtudio laudat in haec verba: (*g*) *Quum Bela, rex Hung. inter principes Chriſtianos zelator catholicae fidei noſceretur; in mente geſſit aſſidue, prauas*

(*a*) Ibid. num. 17. (*b*) Ibid. num. 18. (*c*) Libr. XII. ep. 214. 215. 216. (*d*) Libr. XII. ep. 314. (*e*) Ibid. epiſt. 53. (*f*) Ibid. epiſt. 353. (*g*) Carm. Miſ. cap. I. II.

uas et extraneas nationes ad gremium eccleſiae matris attrahere. Hoc conſilio, quum Kuthen, Cumanorum rex, anno MCCXLII. (*MCCIIXL.*) per ſollemnes legatos in Hungariam recipi petiiſſet; Bela libenter annuit, vt *lucrifaceret tot animas IESV Chriſto*, ſeque regem *Cumaniae* iam hoc anno ſuis in litteris inſcripſit; vnde corrigendus eſt annus in Rogerio 1242. ante quem non tantum Cumani recepti, ſed etiam Tartari Hungariam foede populati ſunt. (*a*)

A. C. 1239. *Bel.* 4. *Ind.* 12. *P.* 27. *M.*

CCCLXXVI. Cumanos cum Patzinacitis, dictis poſtea Picenis ac Biſſenis, in vnam gentem coaluiſſe, iam alias oſtendimus. Hi quum Moldauiam incoluiſſent; in plures tribus diuiſi, pluribusque regulis ſubiecti fuerant. Qui viciniores Tranſſiluanis erant, magna parte iam ad Chriſti fidem adducti, Belae paruerunt. Qui nunc legatos ad illum miſerunt; ex iis videntur fuiſſe, qui, quemadmodum Nicephorus Gregoras refert, (*b*) *cum vxoribus et liberis Iſtrum tranſierunt, et ſatis longo tempore in Thracia oberrarunt, idoneam ſibi coloniam quaeritantes*, 10. *millibus haud pauciores.* Plures erant, qui poteſtatem in Hungariam veniendi per legatos exorarunt. Hi faſſi, poſt geminam de Tartaris victoriam, tertium ab iis ſe victos, ac paratos eſſe, ſe Belae *ſubdere et ipſum in fide catholica imitari*, vt Rogerius ſcribit, (*c*) *praeter ipſorum familias, circa* 40. *millia dicebantur.* — *Quum autem*, pergit ille, (*d*) *rex Cumanorum cum ſuis nobilibus et ruſticis*

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 834—854. (*b*) Ap. Stritter. T. III. p. 985. (*c*) Carm. Miſ. Cap. II. (*d*) Ibid. Cap. III.

cis coepit Hungariam peragrare; quia iumentorum habebant armenta infinita, in paſcuis, ſegetibus, hortis, virgultis, vineis et aliis Hungaros grauiter offendebant. — Et, ſi in rebus vel in perſona Comanum Hungarus offendebat; ſtatim de ipſo fiebat iuſtitiae complementum: ſi vero a Comano Hungarus laedebatur; illi de ipſo iuſtitia non fiebat. Grauis quidem iſta fuit querela; ſed quae ceſſare debebat, poſtquam Bela Cumanos ita diſperſit, vt non iam obeſſe, ſed prodeſſe Hungaris per ſeruitia potuerint. (*a*) Nouam tamen odii cauſſam maleuoli rurſum arripuerunt, (*b*) quod, *quando ipſi, vocati vel non vocati, ad curiam accedebant; copiam videndi regem non habebant: — et, ſi minimus Cumanus accederet; ſtatim, vt patebat aditus, intrabat.* Iniquam hanc criminationem fuiſſe, Rogerius ita docet: (*c*) *Decebat regiam dignitatem, introductos hoſpites honorare. — Nam Kuthen, rex Comanorum, per regem, et quam plures alii per maiores et nobiles regni fuerant baptizati; ita quod iam cum Hungaris connubia contrahebant.* (*d*)

CCCLXXVII. Bela, receptis in Hungariam Cumanis, ne Tartari, quos illi fugiebant, in Hungariam irrumpere poſſent, muniendos eſſe limites prouide cenſuit, vt Albericus monachus, ſcriptor ſynchronus, ad hunc annum teſtatur, qui mox etiam Stephani, multis precibus exorati, natiuitatem ita narrat: (*e*) *MCCXXXIX. Natus eſt regi Hungariae filius maſculus, pro quo multae factae ſunt ſupplicationes: de cuius pueri natiuitate factum eſt feſtum*

 con-

(*a*) Ibid. Cap. VIII. (*b*) Ibid. Cap. VII. (*c*) Ibid. Cap. XII. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 854—861. (*e*) Ap. Schier. Reg. Hung. p. 219.

congratulationis mirabile in feſto B. Lucae. — Archiepiſcopus autem Robertus Strigonienſis puerum baptizauit, quem Stephanum nominauit, ob memoriam S. Stephani primi, in partibus illis a B. Adalberto baptizati: qui archiepiſcopus, ſenex et emeritus, peracta quindena, mortuus eſt, et ad caeleſtia regna translatus. Non multo prius nouam iurium eccleſiae Strigonienſis confirmationem a Bela petiit ac obtinuit, cum poteſtate *ciuitatem archiepiſcopalem exſtruendi et congregandi in territorio ſuo ſub caſtro Strigonienſi.* (*a*) „Datum anno MCCXXXIX. III. „kal. Octobr.“ Hac in cultum diuinum munificentia promereri Bela viſus eſt, vt, quod vicenos annos anxiis votis a DEO petebat, non multo poſt maſculus illi heres naſceretur. Quam primo partu Maria, Belae coniux, ediderat anno 1224. Cunegundis hoc anno Boleslao Polono nupta fuit, quae, quod alias oſtendimus, ſicut Colomanus, eius patruus, connubium cum caſtimoniae ſtudio coniunxit. (*b*)

A. C. 1240. *Bel.* 5. *Ind.* 13. *P.* 15. *A.*

CCCLXXVIII. In locum defuncti Roberti non multo poſt ab electoribus Mathias, Vacienſis antiſtes, ad metropolim Strigonienſem poſtulatus, ac a Gregorio, *II. non. Martii*, pallio quoque miſſo, confirmatus eſt; breui tempore praefuturus et clade Tartarica hauriendus. Iam enim fata ſua Hungariam vrgebant, ac ad eius exitium rabies Tartarorum appropinquabat. *Anno quinto, regnante Bela*, ſcribit Thomas archidiaconus, (*c*) — *gens peſtifera*

(*a*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 91. 182. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 861—878. (*c*) Hiſt. Salon. Cap. 37.

ſtiſera Tartarorum ad partes Vngariae propinquauit. Quintus hic annus eſt Belae regnantis, ſecundus a receptis in Hungariam Cumanis; in hunc igitur cadunt ea, quae Rogerius ita ſcribit: (*a*) *Anno igitur domini euoluto, Hungaria ad regem in maleuolentia exſiſtente, circa natiuitatem domini fama fuit:* „ quod confinia Hungariae, Ruſciae contigua, Tartari deuaſtabant." *Et quia rex de hoc per ſuos nuncios certus erat; ad cuſtodiendam portam Ruſciae, quae montana dicitur, — miſit maiorem ſuum comitem cum exercitu palatinum: et fecit per totam Hungariam proclamari:* „ vt tam nobiles, — quam caſtrenſes — ſe ad exercitum praepararent. —" *Quum autem hoc per totam Hungariam clamaretur; Hungari prae nimio gaudio non credebant, aſſerentes:* „ quod de Tartaris multoties inſonuerat talis rumor: et ſic ſemper viderent, illum eſſe nullum." — — *Alii vero quam plurimi fatebantur, vt haberent de rege materiam obloquendi:* „ quod Comani ſocietatem contraxiſſent cum Ruthenis, vt ſimul contra Hungaros — dimicarent: et propter hoc plusquam per annum eos praedictus Kuthen cum ſuis praeuenerat: " — — *gaudendo et mordendo regem pro eo, quod Comanos introduxerat.* (*b*)

A. C. 1241. *Bel.* 6. *Ind.* 14. *P.* 31. *M.*

CCCLXXIX. Funeſtus, et quo nullus in patriis annalibus triſtior ac acerbior occurrit, annus init, Tartaris Hungariam inundantibus, ac omnia late tam ferina rabie vaſtantibus, vt non aris, non focis, non ſexui, non aetati, non vlli ſeu hominum, ſeu pecorum generi parſum fuerit. Ignarus pontifex, tan-

(*a*) Carm. Miſ. Cap. 14. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 878—895.

tantum Hungariae diſcrimen impendere, litteris ad praeſidem ord. praed. datis, Hungaros ad auxilium periclitanti Latinorum imperio ferendum excitari iuſſit; laudatoque Belae ſtudio, quod Vatacium ad vnionem eccleſiae Romanae recipiendam permouerit, archiepiſcopum Strigonienſem, quod ab acceſſu concilii ſe per diſcrimina viarum excuſauerit, non leuiter perſtringit. Etſi Belam deſidiae quidam accuſent; nihil tamen illum diligentiae praetermiſiſſe, quo Tartarorum impetus retundi poſſet, Rogerius, in Italia quidem natus et vicenos annos in curia Romana verſatus, ſed tunc Varadinenſis canonicus, qui propius illum nouerat, teſtatur. *Quum ergo*, ſcribit ille, (*a*) *verſus quadrageſimam pergeret iter ſuum; magis ac magis fama huiusmodi crebreſcente, rex ad quamdam villam, quae Buda dicitur, ſuper ripa Danubii poſitam, in qua conſueuerat quadrageſimam celebrare, — properauit: et archiepiſcopis, epiſcopis et aliis regni maioribus conuocatis, deliberabat aſſidue, qualiter poſſet de tanto negotio prouidere; monens et hortans eos ſaepius:* „quod „quilibet haberet ſuos ſtipendiarios milites praepa„ratos." *Kuthen vero, qui cum vxore, filiis, filiabus et quibusdam ſuis maioribus, tanquam ſuſpectus et ſceleris conſcius, a rege fuerant conuocati, communi deliberato conſilio curialiter, ne poſſent manus ipſorum effugere, cuſtodiae fuerunt mancipati.* Quum haec Budae rex ageret; ſperaretque, tantam a palatino, cum quibusdam copiis ad cuſtodiendos regni limites praemiſſo, hoſtibus moram iniiciendam, vt maiorem interim exercitum cogere, Tartarisque, tranſitum molientibus, obiicere poſſet; *venit idem ſolus — palatinus, dicens:* (*b*) „quod duodecimo „die,

(*a*) Carm. Miſ. Cap. XV. (*b*) Ibid. Cap. XVI.

„ die, intrante Martio, in porta congreſſum habue„ rat cum eisdem; et ſuis paene omnibus — cru„ deliter trucidatis, cum paucis euaſerat.“ Rex igitur, dimiſſis praeſulibus et proceribus, *eis praecepit firmiter et diſtincte:* „ vt quilibet, aggregata „ ſibi militia iuxta poſſe, rediret ad ipſum, et ſine „ dilatione temporis feſtinarent, prout vrgens ne„ ceſſitas et manifeſta vtilitas exigebat.“ *Et praecepit M. Stephano, epiſcopo Vacienſi, Orodienſi et S. Saluatoris Chanadienſi praepoſitis:* „ quod ad re„ ginam feſtinanter accederent, et ad confinium „ Auſtriae properarent, ibidem finem huius neg„ otii exſpectantes.“ *Item per ſuas litteras rogauit ducem Auſtriae:* „ vt ad ipſum accederet feſtinan„ ter:“ *et iuſſit Comanis omnibus:* „ vt venire ad „ ipſum aliquatenus non differrent.“ *Ipſe enim de Strigonienſi et Albenſi ciuitatibus — exercitu congregato, confeſtim transiuit Danubium; et in magna et ditiſſima Teutonica villa, quae Peſt dicitur, — moram traxit, ſuos ibidem cum exercitu exſpectans principes, comites et barones.* (*a*)

CCCLXXX. Idem Rogerius praecipuum Tartarorum ducem *Bathum* vocat, (*b*) cui *Bochetor Cadan, Peta*, cet. ſuberant, *qui cum quinquies centenis millibus armatorum regnum Hungariae inuaſerunt.* Tartaris igitur Ruſſiam et Cumaniam depopulatis, (*c*) *Bathus, maior dominus, dimiſſa tota familia, ſolus cum ſuis militibus, et non multis, ad dictam portam Ruſciae recto tramite properauit; et expugnato exercitu C. palatini, eamdem portam obtinuit et intrauit.* Mox (*d*) *coepit villas comburere,*

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 895—918. (*b*) Carm. Miſ. Cap. XIX. (*c*) Ibid. Cap. XX. (*d*) Ibid. Cap. XXI.

re, et gladius eius non parcébat ſexui, vel aetati; et ad regem, quantum poterat, feſtinabat. Et quum prope ad Peſt ad mediam dietam ante dominicam de paſſione domini die Veneris perueniſſet; ſtatim quosdam vsque ad villam miſit, comburendo, interficiendo, prout eis innata malitia miniſtrabat. Sequenti die (16. Mart.) *miſit alios vel eosdem, qui peragebant ſimilia vel peiora. Sed rex exire ad eos aliquos ad faciendum congreſſum nullatenus dimittebat. — Quumque die dominico facerent illud idem; Vgolinus, Coloc. archiepiſcopus, — contra mandatum regis, cum paucis de ſuis foras exiens*, in inſidias praecipitatus, aegre *cum tribus vel quatuor euaſit.* Geminata fuit clades eadem die 17. Martii; nam (*a*) *in dominica de paſſione pars exercitus Bathi, regis regum, acceſſit ad Vaciam. — — Et capta ciuitate penitus — et theſauro eccleſiae habito, canonicos et alias perſonas — in igne totaliter cremauerunt.* Duabus his victoriis elati hoſtes, audacius Peſtinenſibus moenibus adequitarunt; quum (*b*) *dux Auſtriae, rogatus a rege, venerat; ſed cum paucis, tamquam facti neſcius et inermis:* ac — *equo ſubdens calcaria, quemdam attigit,* — et *de equo ipſum proſtrauit ad terram. Alteri vero ipſorum caneſio — vno ictu brachium amputauit. — Aliis in fugam conuerſis, proſtratum ceperunt. — Propter hoc Hungari, aſſumta materia, exprobrare regem ac exaltare ipſum ducem vnanimiter inceperunt.* (*c*)

CCCLXXXI. Quum nouum odii fomitem hoc facinore Fridericus in Belam accendiſſet; quidam Hungari, proteruiores effecti, Kuthenum, de Tartaris

(*a*) Ibid. Cap. XXII. (*b*) Ibid. Cap. XXIII. (*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 919—924.

taris euocatis ſuſpectum, e medio ſuſtulerunt. *Quidam*, inquit Rogerius, (*a*) *volunt hoc facinus duci Auſtriae imputare; ab aliis vero de mandato regis dicitur eſſe factum.* Quod quidem vel ideo credibile non eſt, quod ſecus ſuſpectos ſibi Cumanos aduerſus Tartaros non conuocaſſet. Hi de morte Kutheni, dum in regis ſubſidium venirent, certiores redditi, *non ſolum ſe defendere inceperunt; ſed villas comburere, et ruſticos viriliter expugnare.* (*b*) Poſtquam igitur nouos ex amicis hoſtes Hungari fecerunt; vires, quas integras in Tartaros adducere debebant, in illos diſtrahere coacti, pluribus cladibus patuerunt. Omnium horum ignarus Bulchu, Chanadienſis epiſcopus, quum ad regis exercitum cum multis nobilibus feſtinaſſet; in efferatorum Cumanorum manum incidit, ac aegerrime periculum euaſit, *in curru iacens infirmus, dum pugna fieret, longius aſportatus.* (*c*) — *Et ſic Comani coeperunt marchiam nequiter expugnare, mortem ſui domini crudeliter vindicantes.* (*d*)

CCCLXXXII. Gregorius, de his calamitatibus a Bela certior redditus, datis ad eum litteris, (*e*) *XVI. kal. Iul. pont. an. XV.* ſimul conſolationem, ſimul opem adferre conatus, auxilia cruce ſignatorum addixit. Sed haec numquam Hungariam viderunt; quando nec ea quidem auxilia, quae remotiores Hungariae praeſules et proceres ad Belam adducere volebant, in vnum exercitum contrahi potuerunt. *Benedictus quidem*, inquit Rogerius, (*f*) *Varadienſis epiſcopus, pro ſe de mandato regis magno*

(*a*) Carm. Miſ. Cap. XXIV. (*b*) Ibid. Cap. XXV. (*c*) Ibid. Cap. XXVI. (*d*) Hiſt. Crit. T. V. p. 924—928. (*e*) Ex Reg. an. XV. ep. 79. (*f*) Carm. Miſ. Cap. XXVII.

magno exercitu congregato, volens in ipſius ſubſidium accedere, intellexit: „quod Tartari ciuitatem Agrienſem deſtruxerant; hominum — aliis combuſtis, „aliis gladio interemtis, ſpolia, theſaurum epiſcopi et eccléſiae exinde aſportabant." *Vnde ſumens audaciam pro eo, quod, paucis diebus elapſis, congreſſum cum paucis eorum habuerat et praeualuerat contra eos; incepit poſt ipſos — feſtinare. — Hoc Tartari praeſcientes, — quum haberent equos plurimos, et ipſi pauci exſiſterent; — — fecerunt — laruas et monſtra quam plurima, ea ſuper equos vacuos, tamquam ſi eſſent milites, ordinando. — Hungari, hoc videntes, et opinantes, eis inſidias factas, terga dederunt. — Tartari autem, mox in illos conuerſi, illos ſequebantur, eosdem proſternendo, interficiendo. — Epiſcopus autem cum paucis reuerſus eſt Varadinum; et aliquantula mora facta, collectis aliquibus militibus, transiuit Danubium, et euaſit.* (*a*)

CCCLXXXIII. Varadinenſis igitur epiſcopi copiis hoc aſtu diſſipatis, quum alii quoque lentius confluerent; Bela Peſtini diutius adhaeſit, nihil omittentibus Tartaris, vt illum elicerent. Vgolino tandem adhortante, Tartaros ad fatalem locum, quem ipſi ponendis inſidiis aptiſſimum delegerant, cum copiis ſuis inſequutus eſt. Locum iſtum Gregorius Pethö *Mohium* vocat, quem ego quum perluſtraſſem; comperi multorum millium et magnorum exercituum capacem eſſe, cui Sajo fluuius ad orientem, Onodinum ad Septemtrionem, Kereſzturinum ad occidentem, ad meridiem Baba, Papi, Chut adiacet. *Quumque rex*, vt refert Rogerius, (*b*) *egreſſus*

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 932—939. (*b*) Carm. Miſ. Cap. XXVIII.

egreſſus de villa Peſt, progrederetur contra Tartaros cum multitudine armatorum; illi de combuſtionibus villarum reuerſi, et ſubito inſimul congregati, per viam, per quam venerant, retro ibant. — Et, quum ad quamdam aquam, quae Sajo dicitur, — perueniſſent; poſt aquae tranſitum, qui fiebat per pontem, caſtra metati ſunt. — — Rex ſuos interim hortabatur: „vt ad pugnam viriliter ſe haberent. " — *Hungari autem habebant haec omnia in deriſum, de multitudine confidentes; ad pugnam tamen — cor et animum non habebant. Volebant quidem, quod rex perderet, vt ipſi cariores poſtmodum haberentur. — Tamen* 1000. *milites omni nocte ad cuſtodiam exercitus ponebantur. Quid plura?* „Tartari, vadum inue-„nientes longe ab exercitu, vna nocte vnanimiter „tranſierunt: et in aurora totum regis exercitum „circumdantes, ſagittas emittere in exercitum, ſicut „grandines, inceperunt. Hungari vero, quia fue-„runt taliter occupati, et illorum praeuenti aſtutia, „quum armati equos ſuos aſcendebant; nequibant „milites ſuos dominos et domini ſuos milites inue-„nire: et quum ad pugnam accederent; tepide ac „rēmiſſe accedebant. Tanta enim erat crebroſa „emiſſio ſagittarum, quod fere vmbram pugnanti-„bus faciebant: — et, ſi mixtim ex quacumque „parte ibant Hungari ad pugnam; illi eis cum ſa-„gittis obuiam venientes, ipſos infra exercitum re-„trocedere faciebant: ita quod ipſi ex calore nimio „et anguſtia maxima ad tantam laſſitudinem vene-„rant, vt rex et Colocenſis archiep. — nec minis, „neque adulationibus ac monitionibus iam ad pu-„gnam poterant aliquos deſtinare, ab aurora vsque „ad meridiem in tali anguſtia exſiſtentes. Tandem, „quum iam deficere viderentur; dux Colomanus, „frater regis, cum ſuis conflictum duriſſimum ex

„ vna parte exercitus habuit cum eisdem, pugnae
„ per magnum ſpatium diei inſiſtendo: et, dum cre-
„ deret, ſe per reſiduam exercitus partem adiuua-
„ ri; deceptus eſt. Nam, quum ex altera parte ad
„ pugnam plurimi ire crederentur; ad pugnam non
„ ibant: ſed, Tartaris vltro parum ſecedentibus, il-
„ lis per ſui medium viam absque aliquali ſagitta-
„ rum emiſſione dabant. Quare Hungari, plures et
„ plures tali via potiti, ab exercitu ſe ſubtrahebant:
„ et quanto plures transibant; tanto latior via per
„ Tartaros illis dabatur. — Et, quum rex illos ad
„ conflictum ire crederet; ipſi exibant ad fugam
„ potius, quam ad pugnam. Tartari vero, exſpe-
„ ctantes regis exercitum, nullatenus ſe mouebant.
„ Et, quum iam de multis partibus exercitui regio
„ exitus pateret; rex, ab illis incognitus, cum pau-
„ cis viam habuit verſus ſiluam. Dux autem Colo-
„ manus direxit per aliam partem exercitus ſuum
„ iter, die nocteque, in equis plurimis, vsque ad
„ dictam Peſt, non per viam publicam, ſed per
„ deuium, laxatis equorum habenis, ad portum
„ Danubii feſtinabat. Et, quamquam a burgenſibus
„ rogaretur, *vt morulam faceret; quousque ſaltem*
„ *pararentur naues;* — teneri tamen non potuit.
„ Dicebat enim: *quod de ſe quilibet cogitaret.*" Tho-
mas archidiaconus non multo poſt illum e viuis ex-
ceſſiſſe perhibet." (*a*)

CCCLXXXIV. Vix Colomanus Peſtino diſceſſe-
rat; adfuerunt Tartari, ciuibusque partim Danubio
merſis, partim gladio caeſis, celeritate ſua famam
aduentus praeuolabant, caſtraque plurima combure-
bant. Eos igitur declinaturus Bartholomaeus, Quin-
queecclef.

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 939—950.

queeccleſ. epiſcopus, *non per viam publicam*, (*a*) teſte Rogerio, *ſed per campum cum multis militibus fugam iniit. Et, quum pauci de Tartaris equos poſt eos mitterent pleno curſu; Ladislaus comes, qui ad regem, multis vexillis extenſis, cum ſua militia veniebat, nil de geſtis ipſis praeſciens, ſuperuenit. Epiſcopus, Hungarica vexilla cognoſcens, ad comitem declinauit. Tartari vero, multitudinem aduertentes, abierunt retrorſum.* — (*b*) *De fugientibus quoque per amplam viam verſus Peſt, et in exercitu remanentibus facta eſt tanta ſtrages, totque millia ſunt hominum interemta, quod aeſtimatio fieri non valet.* — *Maiores tamen de clericis cecidere: Mathias, Strigon. archiepiſcopus;* — *Vgolinus, Coloc. archiepiſcopus;* — *Georgius, epiſcopus Iaurien.* — *Reynoldus, Vltraſiluanus epiſc. et eccleſiae Nitrien. epiſc.* — *De numero vero laicorum maiorum et minorum, qui ſuffocati fuerunt paludibus et aquis, igne concremati et gladio interemti, nulli mortalium poſſit fieri certitudo. Nam per campos et vias iacebant corpora multorum mortuorum.* — *Hoc exitium, haec pernicies et haec ſtrages tenebat duorum dierum itinera occupata, totaque terra erat ſanguine rubricata.* — *Argentea quoque vaſa et aurea, ſericeae veſtes et alia, hominibus opportuna, per campos et ſiluas a fugientibus proiecta, vt ipſi velociori curſu manus inſequentium euaderent, non habebant aliquos collectores. Tartari, tantum interfectionibus hominum inſiſtentes, de ſpoliis minime curare videbantur.* (*c*)

CCCLXXXV. Nondum Tartari, tanta Hungarorum caede ſatiati, reperto regis ſigillo, quod caeſus

(*a*) Carm. Miſ. Cap. XXIX. (*b*) Ibid. Cap. XXX. (*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 951—964.

ſus hic Nicolaus vice-cancellarius aſſeruauerat, (*a*) *timentes, ne populi, profligatione regis audita, manus per fugam effugerent eorumdem, — fecerunt ſcribi per quosdam clericos Hungaros, quos adhuc ad vitam ſeruauerant, maioribus omnibus et popularibus, per totam Hungariam exſiſtentibus, ſub nomine regis, multifaria fictitia litterarum ſub hac forma:* „ Canum feritatem et rabiem non timeatis: nec „ veſtris de domibus vos mouere audeatis. Licet „ enim propter quamdam improuiſionem tum ca- „ ſtra, tum tentoria reliquerimus; paullatim tamen, „ DEO nobis propitio, eadem recuperare intendi- „ mus, contra illos praelium virtuoſum inſtauran- „ tes. Vnde tantum orationi vacetis, vt miſericors „ DEVS aduerſariorum noſtrorum capita a nobis „ permittat malleari.“ *Hae fuerunt litterae, per quosdam Hungaros, qui iam eis adhaeſerant, deſtinatae, quae me ac totam Hungariam deſtruxerunt. Nam tantam illarum certitudini litterarum fidem dedimus, quod licet omni die contrarium cerneretur; tamen — ad ſciendum rumores nuncios mittere nullatenus poteramus, contrariumque credere nequibamus.* Bela, feliciter e manibus Tartarorum elapſus, (*b*) *die noctuque cum pauciſſimis verſus confinia Poloniae habuit iter ſuum; et inde directo tramite, vt reginam poſſet attingere, quae in confinio Auſtriae morabatur, quantum poterat, properabat. Dux Auſtriae, hoc audito, — petiit, vt Danubium tranſiret, vt ibidem ſecurius quieſcere et morari poſſet. Rex vero, his auditis, tamquam innocens, nihil mali ſuſpicatus, dictis ducis acquieuit. — Dux Auſtriae, aſtutia excogitata, quum rege ſuum ad libitum potitus exſtitit; ab eo quamdam pecuniae quantitatem, quam* dice-

(*a*) Roger. Carm. Miſ. Cap. XXXI. (*b*) Ibid. Cap. XXXII.

dicebat olim a ſe per ipſum extortam fuiſſe, repetiit, Quid plura? rex manus illius euadere nequiuit; quousque partem eiusdem pecuniae in promto, partem in vaſis aureis et argenteis illi perſoluat; pro parte autem tres comitatus ſui regni, illius terrae contiguos, illi obligauit. Haec eadem Pernoldus affirmat, ex quo praeterea conſtat, Fridericum in Hungaria iam antea praedas egiſſe, victumque pecuniam illam ad damna reſarcienda dependere debuiſſe. Liquet igitur, hunc Auſtriae ducem omnes non tantum hoſpitalitatis, ſed etiam aequitatis leges, omni theſauro fugitiuum regem ſpoliando, praetergreſſum fuiſſe. Neque tamen hic iniuriae finis erat. Nam *dux*, inquit Rogerius, (*a*) — *ſibi multos milites aggregauit, eos contra Hungaros in Hungariam transmittendo.* Sic ille Hungaris, per Tartaros afflictis, afflictionem addidit, incendiaque ſpargendo, Iaurinum occupauit; quod tamen, cum iactura ſuorum, amiſit. (*b*)

CCCLXXXVI. Mirum eſt, Tartaros, licet barbaros, homines tamen, ad excidium humani generis ita ſaeuire potuiſſe. Neſcio tamen, an non magis mirum videri debeat, quod Chriſtiani Chriſtianos in tam afflicto ſtatu grauius affligere non dubitauerint. Bela, tot malis circumuentus, nec minus a vicinis Chriſtianis, quam a Tartaris preſſus, vnico ſolatio neruoque, quem communi naufragio fugiens eripuerat, exutus, animum tamen non deſpondit, auxiliaque partim Romani pontificis, partim Romanorum imperatoris per Stephanum, Vacienſem

(*a*) Ibid. Cap. XXXIII. (*b*) Hiſt. Cr. T. V. p. 964—971.

cienſem epiſcopum, ſollicitauit. Parum tamen vtrobique profecit; quod Fridericus II. maluerit cum Gregorio IX. pontifice, quam cum Tartarorum colluuie, bellum gerere; licet, teſte Petro de Vineis, eius cancellario, (*a*) *rex Vngariae regnum eius ditioni ſubiecerit; dummodo defenſionis eius clypeo protegatur.* Quod quia Fridericus non fecit, etiamſi Bela hanc ſubiectionem ſine conſenſu procerum facere potuiſſet; conditione non impleta, nihil iuris in Hungariam obtinuit. Datis 3. Iulii Fauentia litteris, quibus Gregorium in inuidiam adducere conatur, primum ad Angliae, tum ad Hungariae regem; promiſit quidem, Conradum, filium ſuum, cum copiis in auxilium Hungariae venturum; tum ſe quoque, compoſitis Italiae rebus, ſequuturum; neuter tamen cum auxiliis in Hungaria viſus eſt. Rex igitur Bela, deſtitutus ab omnibus, *miſit ad ciuitatem Albenſem*, vt Thomas archid. refert, (*b*) *et ſuſcepto corpore B. Stephani regis, ſuſceptis etiam multarum eccleſiarum theſauris, miſit omnia cum D. Maria, vxore ſua, et cum paruulo filio — Stephano, adhuc bimulo, ad maritimas regiones, rogans et mandans Spalatenſibus:* „vt haec ſeruanda ſuſciperent, „reginamque cum filio in ſuae fidei tutela tene„rent.“ *Sed D. regina veniens, — noluit intrare Spalatum; ſed compoſuit ſe cum omnibus regalibus gazis, et conſedit in caſtro Cliſſiae.* Gregorius, de clade Tartarica per Stephanum Vacienſem edoctus, ad pacem cum Friderico ſanciendam ſe paratiſſimum oſtendit; paternis litteris Belam conſolatus, (*c*) *kal. Iul. pont. an. XV.* Ex adiunctis legationum ac rerum aliarum colligimus, ante menſem Iunium fatale

prae-

(*a*) Libr. I. epiſt. 30. (*b*) Hiſtor. Salon. cap. 38. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1241. N. 27.

praelium cum Tartaris initum fuiſſe; poſt quod Hungariam, omnibus exterorum auxiliis deſtitutam, impune vaſtabant. (*a*)

CCCLXXXVII. Pars illa Tartarorum, quae duce Cadano Tranſſiluaniam eradebat, *prope Varadinum ciuitatem*, Rogerio teſte, (*b*) *ſubito aduenerunt. Et quia ciuitas multum erat in Hungaria nominata; vndique illuc nobiles — conuenerant. Et licet epiſcopus cum quibusdam canonicis exinde receſſiſſet; ego tamen cum remanentibus eram ibi. — Et quum vno dierum ſubito aduenisſent; — aufugi in ſiluam, in qua diu, prout potui, latitaui. Ipſi tamen ſubito ciuitatem capientes, et pro maiori parte comburentes, — receptis ſpoliis, tam viros, quam feminas, minores et maiores, interfecerunt. — Quibus peractis, ſubito exinde receſſerunt, — et longe a caſtro ſe per* 5. *milliaria poſuerunt. — Et quum plurimis diebus ad caſtrum non accederent; — milites et alii — domos, quae manſerant extra caſtrum, coeperunt communiter habitare. Et ſic in aurora eos Tartari — inuadentes, magnam ipſorum partem — necauerunt. — Et, caſtro per violentiam occupato, ceperunt milites et canonicos et alios; — et per tormenta duriſſima, quicquid habuerunt, a canonicis extorſerunt. Et quia cathedralem eccleſiam ſubito intrare nequiuerunt; igne appoſito, eccleſiam et dominos, et quicquid erat in eccleſia, combuſſerunt. — Nobiles, ciues, milites et canonici extra ciuitatem in campo fuerunt omnes — iugulati. — Nos vero, qui in ſiluis inter indagines morabamur, de nocte fugam iniuimus.* Prolixe deinde narrat, quomodo per varios

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 971—988. (*b*) Carm. Miſ. cap. XXXIV.

errores Tartarorum manus euaſerit, ac Chanadinum ab aliis Tartaris euerſum offenderit. Refert ſubinde fraudem hoſtium, e latibulis Hungaros elicientium, vt eorum opera maturam ſegetem demeterent, ac in futuros vſus reponerent. *Muneribus receptis*, inquit, (*a*) *omnes praeſentantes in quamdam vallem duxerunt, enormiterque ſpoliatos et denudatos ibidem interfecerunt.* Hominibus ceteris per villas crudeliter trucidatis, *nec fruges*, ſubiicit, (*b*) *nec ſtramina, nec domos aliquas combuſſerunt. — Pro eo conieci firmiter, velle in illis partibus hiemare.* — Cumprimis autem locis munitis, in quae magnus vndique numerus maioris ſecuritatis cauſſa ſe recipiebat, inſidiabantur. *Verſus Orodinum*, inquit Rogerius, (*c*) *et Chanadinum procedere inceperunt, in medio eorum noua villa* (Nagylak) — *in qua homines 70. villarum fuerant congregati, et dimiſſo monaſterio Egres, — tandem poſt totius terrae illius deſolationem, Ruthenorum, Comanorum, Hungarorum captiuorum, paucorum etiam Tartarorum multitudine adunata, villam magnam vndique circumdantes, ad pugnam captiuos Hungaros praemiſerunt, et illis interemtis totaliter, — Tartari, retro ſtantes, ridebant de caſu et ruina illorum.* Capto Nagylakino, clauſtrum Egres ad deditionem coegerunt, et omnes vbique crudeliter interfecerunt. *Ecce*, concludit, *per aeſtatem illam* (anni 1241.) *vsque ad confinia Auſtriae, Bohemiae, Morauiae, Poloniae, Sleſiae et Comaniae, vsque ad Danubium communiter omnia deſtruxerunt.* Perperam igitur quidam auctores ignauiae Hungarorum eam ſtragem adſcribunt; quum eadem crudelitate hoſtes illi prouincias etiam alias euaſtauerint. (*d*)

A.

(*a*) Ibid. Cap. XXXV. (*b*) Ibid. Cap. XXXVI. (*c*) Ibid. Cap. XXXVII. (*d*) Hiſt. Cr. T. V. p. 988—1012.

CCCLXXXVIII. Quum omnem Hungariam orientalem hac aeſtate Tartari iam occupaſſent; Danubius, glacie conſtrictus, occaſionem opportunam etiam occidentalem inuadendi, magno damno Hungarorum, iisdem obtulit. *Quum Strigonium*, inquit Rogerius, (*a*) *in Hungaria omnes et ſingulas praecelleret ciuitates; maxime cogitabant tranſire Danubium. — Et ecce! in hieme niuis et glaciei abundantia ſuperuenit, ita quod Danubius — gelabatur.* Narrat deinde, quomodo Strigonium expugnauerint. *Ibi inebriauerunt*, ſubiicit, (*b*) *gladios ſuos in ſanguine, et ex calore, quem conceperant contra eos, viuos aſſabant homines, ſicut porcos.* Eodem furore 300. illuſtres matronas, *receptis ſpoliis earum*, (*c*) *capite truncarunt, caſtro ciuitatis non expugnato. — Et quum ad Albam regiam ciuitatem accederent, quae eſt paludibus circumſepta; — nequierunt eam occupare. Et quum caſtrum S. Martini de Pannonia expugnarent; abbate ſe viriliter defendente, fuerunt ſubito reuocati: ita quod iſta tria loca tantum inexpugnata in illis partibus remanſerunt.* Meritis S. Stephani hoc tribui poteſt, qui haec praecipue loca pietate ſua viuens illuſtrauit. (*d*)

CCCLXXXIX. Vt Rogerius ea, quae hoſtes in Hungaria patrarunt, vberius ac fidelius refert; ita, quae circa maritimas plagas iidem geſſerant, melius et fuſius Thomas archidiaconus recenſet. Vterque Cadanum, ſeu Caydanum fuiſſe perhibet, qui Belam verſus maritimas partes inſequutus fuit. Sed

(*a*) Carm. Miſc. Cap. XXXVIII. (*b*) Ibid. Cap. XXXIX. (*c*) Ibid. Cap. XL. (*d*) Hiſt. Crit. T. V. p. 1012—1016.

Rogerius id breuiter perſtringit; Thomas autem, qui tunc Spalati vixit, et propius omnia vidit, vberius ita narrat: (*a*) — *Rex, praeſentiens eorum aduentum, relictis ſtationibus Zagrabienſium partium, cum omni comitatu ſuo ad mare deſcendit. — Appropinquante autem D. rege, ad introitum ciuitatis* (Spalatenſis) *vniuerſus clerus et populus, proceſſionaliter exeuntes, debito venerationis obſequio ſuſceperunt eum. — Venerunt etiam iſti magnates cum eo:* „Stephanus, ep. Zagrabienſis; et alter Stephanus, Vacien. et idem in Strigon. archiepiſcopum „poſtulatus; Benedictus, praepoſitus Alben. aulae „regiae cancellarius, et idem ad Coloc. ſedem „electus; Bartholomaeus, Quinqueeccleſiarum ep. „et quidam alii epiſcopi; — proceres quoque curiae iſti erant: Dionyſius, banus; Vladislaus, C. „curialis; Matthaeus, magiſter tauernicorum; —“ *Noluit autem rex reſidere Spalati; ſed abiens cum vxore ſua et cum omnibus gazis ſuis, demoratus eſt Tragurii, putans, ſe ibi contra hoſtium incurſum fortiorem habere tutelam propter vicinitatem inſularum.* — Caydanus igitur fruſtra Spalatum, deinde Cliſſam, vbi regem eſſe putabat, ac iterum Spalatum tentauit. Relictis tandem in Croatia, Dalmatia, Bosnia, Seruia, ſaeuae crudelitatis veſtigiis, in Bulgaria cum Batho conuenit. *Illi ergo*, ſcribit archidiaconus, (*b*) *ibidem coadunati, — ſimulantes gratias exhibere captiuis, fecerunt per totum exercitum praeconis voce clamari:* „vt, quicumque eſſet „in comitatu eorum ſpontaneus vel captiuus, qui „vellet redire in patriam; liberam ſe ſciret habere „licentiam ex clementia ducum.“ *Tunc multitudo magna Vngarorum, Sclauorum et aliarum gentium, nimia*

(*a*) Hiſt. Salon. cap. 39. (*b*) Ibid. cap. 40.

nimia exultatione repleti, data die, de exercitu exierunt. Et quum omnes conglobati, duobus aut tribus millibus proceſſiſſent; ſtatim miſſi equitum cunei, irruerunt in eos, quos ſimiliter gladiis detruncantes, in ipſa planicie proſtrauerunt. (*a*)

CCCXC. Reditum Tartarorum etiam Rogerius, ipſe quoque iam captiuus, fuſe deſcribit. *Tunc*, inquit, (*b*) *coepimus cogitare, — quod, nobis Hungariam exeuntibus, daturi eſſent nos omnes voragini gladiorum. Et quum iam mihi viuendi fiducia nulla eſſet; — cogitaui, melius ibi mori, quam procedendo, aſſiduis morſibus cruciari.* Poſtquam ſe ſubduxiſſet, et biduo, ramis foliisque tectus in ſilua, ſine cibo iacuiſſet; fruſtra tentauit *ſuccum herbarum ſilueſtrium deglutire, vel ipſas herbas, vti faciunt beſtiae, maſticare.* Tandem cum duobus ſociis egreſſus, *baſilicarum*, ait, *campanilia de loco ad locum erant nobis ſigna ducentia, et ipſa viam nobis ſatis horridam praeſignabant. Nam erant viae et ſemitae antiquatae, et ab herbis et vepribus totaliter occupatae. — — Quamuis ſaepius, neceſſitate quaerendi victualia cogente, loca petierimus quondam habitata; numquam tamen noſter tutus fuit deſcenſus; donec rex Bela maritimis de partibus per cruciferos de inſula Rhodi et dominos de Frangepanibus, multis agminibus militum adiutus, certificatus prius per Hungaros de receſſu Tartarorum, in Hungariam venit.* Magno hiſtoriae Hungaricae bono hic Rogerius, poſt toleratas tot aerumnas ad metropolim Spalatenſem euectus, cladem Tartaricam deſcripſit, de qua Turotzius admodum ieiune haec dumtaxat memoriae commendauit: (*c*) *Anno dom. MCCXLI ipſo Bela regnan-*

(*a*) Hiſt. Cr. T. V. p. 1016—1025. (*b*) Carm. Miſ. cap. XL. (*c*) Chron. P. II. cap. 75.

regnante, Mangali, ſiue Tartari, cum quinquies centenis millibus armatorum regnum Hung. inuaſerunt. Contra quos Bela rex, iuxta flumen Sayo praelians, vincitur; in quo praelio fere exſtinguitur militia regni Hung. vniuerſa. Ipſo vero Bela rege ad mare fugam faciente, Tartari vsque ibi ipſum crudeliter inſequuntur. Manſerunt enim ipſi Tartari in regno Hungariae tribus annis; non tamen integris, quum exeunte 1240. venerint, 1242. rediuerint. (*a*)

CCCXCI. Nondum e Dalmatia Tartari diſceſſerant, quum Bela Traguriensium, a quibus in fuga liberaliter exceptus erat, ſtudioſam in ſe voluntatem remuneraturus, eorum priuilegia vetera confirmauit, (*b*) *anno ab incarn. dom. MCCXLII. XV. kal. Apr. regni autem noſtri anno VII.* Poſt 18. Martii, Tartarorum aduentu cognito, Tragurio profectus, ac prope Vegliam delatus, a Frangepaniis, qui hanc inſulam a Venetis fiduciario iure poſſidendam acceperant, ingentem pecuniam in ſubſidium obtinuit. (*c*) Mirum profecto videri debet, eodem tempore, quo Bela tot malis circumuentus erat, non tantum maritimas ciuitates et inſulas in eius fide perſtitiſſe; ſed etiam Iadrenſes ad illum, excuſſo Venetorum iugo, deſciuiſſe. (*d*) Quia vero Bela prouidit, Venetos hanc defectionem otioſis oculis non eſſe ſpectaturos; Dionyſium banum ad eos defendendos illic reliquit. (*e*) Pharienſes autem, quorum opportuna ſubſidia fugiens expertus fuerat, remuneraturus, multas illis praerogatiuas contulit, (*f*) *an. ab inc. dom. MCCXLIII.* (MCCXLII.) *VI.*

(*a*) Hiſt. Crit. T. V. p. 1039—1048. (*b*) Ap. Farlat. T. IV. p. 340. (*c*) Ibid. p. 115. (*d*) Luc. L. IV. C. V. p. m. 264. (*e*) Dandul. L. X. C. V. P. 33. (*f*) Ap. Luc. L. IV. C. V. p. 265.

VI. idus Maii, an. autem regni VII. Plura diplomata Dalmatis et Croatis, apud quos diutius commorabatur, dedit, vt Zagrabienſibus, (a) *Dat. apud Wereuzha per manus M. Benedicti, praep. Alben. aul. n. canc. electi in epiſc. Coloc. Bartholomaeo Quinqueeccleſien. Stephano Zagrabien. Bartholomaeo Nitrien. Blaſio Chanad. epiſcopis; Benedicto Varad. et poſtulato Ieurien. Stephano Vacien. et poſtulato in archiep. Strigon. dilecto cognato noſtro Ioanne Angelo, domino Sirmiae et comite Bach. Ladislao palatino.* — Arnoldus in ſuperiore diplomate palatinus dicitur, et Ioannes Angelus omittitur, qui videtur ex Margarita, Belae III. filia, quam Iſaacius Angelus anno 1186. deinde Bonifacius, Montisferrati marchio, ſub an. 1204. duxerat, natus eſſe. Reuerſo Bela, teſte Thoma, (b) *regina cum regio puero in Cliſſae caſtro remanſit; fuitque ibi vsque ad menſem Septembris; mortuae autem ſunt duae ipſius puellae virgines*, Catharina et Margarita, cuius loco nata fuit alia Margarita hoc anno.

CCCXCII. Auſtralis chroniſta miſeram Hungariae faciem poſt cladem Tartaricam ita depingit: (c) *In 15. dietis, in longitudine et latitudine, homo non inueniebatur in regno illo. A natiuitate Chriſti non eſt tanta plaga et miſeria viſa et audita in aliquo regno, ſicut in Hungaria, propter peccata eorum.* Neque Belam pudet, publicis in diplomatibus iſtam cladis tantae cauſſam confiteri. Sed aliis quoque flagellis placuit diuinae iuſtitiae ſcelera Hungarorum caſtigare. *Fames*, pergit idem chroniſta, *horribilis et inaudita inuaſit terram Vngariae: et plures perie-*

runt

(a) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 124. (b) Hiſt. Salon. cap. XL. (c) Ap. Freh. T. I. p. 458.

runt fame, quam antea a paganis. Canes edebant et catos homines. Humana caro publice vendebatur in nundinis. Deinde rapaces lupi et infeſti, nemini parcentes, praeualuerunt in terra; ita vt vix aliquis auderet de domo ſua inermis procedere. Deinde locuſta id, quod ſeminatum erat, corroſit. Famis etiam Turotzius ita meminit: (*a*) *Et quia ſeminare illis temporibus non potuerunt Hungari; ideo multo plures poſt exitum illorum fame perierunt, quam illi, qui in captiuitatem ducti ſunt, et gladio ceciderunt.* Idem Thomas archidiaconus confirmat et addit: (*b*) *Poſt haec vero rabidorum luporum multitudo, quaſi de diaboli cauerna, emerſit, qui, nonniſi humanum ſanguinem ſitientes, non iam occultis inſidiis, ſed palam irrumpebant in domos, et de matrum gremiis paruulos rapiebant; nec ſolum paruulos, ſed ipſos etiam armatos viros, facto agmine, inuadentes, ſaeuis dentibus lacerabant. Tribus ergo cladibus ante dictis, videlicet ferro, fame, fera, totum regnum Vngariae, continuato triennio flagellorum, ex diuino iudicio poenam ſuorum expendit non mediocriter peccatorum.* Atque hinc intelligere poſſumus, quam ſit horrendum in manus DEI viuentis incidere! quanto ſtudio, ne DEI patientia continuatis et accumulatis ſceleribus ad vindictam irritetur, omnes debeamus cauere. (*c*)

A. C. 1243. *Bel.* 8. *Ind.* 1. *P.* 12. *A.*

CCCXCIII. Bela IV. in Hungariam e Dalmatia reuerſus, ac triſtia Tartaricae cladis veſtigia per vniuerſum regnum contemplatus, ad inſtaurandam vtram-

(*a*) Chron. P. II. cap. 74. (*b*) Hiſt. Salon. cap. XL. (*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 1048—1078.

vtramque remp. ſeſe fortiter accinxit, nullíque labori, quo nouam ex euerſa Hungariam erigeret, alter eiusdem conditor, pepercit. A ſacris exorſus, vt vacuae ſedes antiſtitum, a Tartaris interfectorum, implerentur, ſollicite curauit. Innocentius IV. hoc anno 25. Iunii pontifex electus, antiſtites electos ac poſtulatos confirmauit, quorum nomina Belae litteris, crucigeris datis, ita continentur: (*a*) „Datum
„ per manus R. P. Benedicti, archiep. Colocen. a.
„ n. canc. anno dom. MCCXLIII. regni autem no-
„ ſtri an. VIII. ven. P. Stephano, archiep. Strigon.
„ Bartholomaeo Quinqueeccleſ. Stephano Zagrab.
„ Zelando Veſprim. Vincentio Varad. Haimone Va-
„ cien. Gallo Tranſſiluan. Lamberto Agr. epiſcopis;
„ Radislao, illuſtri duce Galiciae et bano totius
„ Sclau. Stephano C. palatino, — Rolando iudice
„ curiae regiae. —" Vacuis ſedibus impletis, ſpes erat, vt ſenſim ſqualor, quem Tartarorum rabies in hoc regnum induxerat, abſtergeretur; quum funeſtus iterum imminentium Tartarorum rumor increbuit. Hungari, hoc perculſi, lugubres ad Innocentium IV. litteras dederunt, vt ad defendendum in his regionibus Chriſtianum nomen paternas curas porrigeret. Ille, ſingulari prorſus amore Hungaros complexus, ad Bertholdum, Belae regis auunculum, Aquileienſem patriarcham, litteras dedit ac mandauit, vt, quanta poſſet celeritate, cruce ſignatos, Tartaris opponendos, per Teutoniam colligeret, (*b*) *XII. kal. Aug. an. I.* ſed Tartari, regnante Bela, Hungariam non inuaſerunt. Bela, hoſtium metu liberatus, regnum obibat, multasque deceſſorum ſuorum litteras, a Tartaris diſſipatas, inſtaurabat; dum

---

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. P. I. p. 159. (*b*) Ap. Rayn. 1243. N. 36.

ditiones, vt eo promtiores ad Hungariam propugnandam efficerentur, contulit, (*a*) cum hoc prolixi diplomatis epilogo: „Dat. per manus R. P. Be„nedicti, arch. Coloc. et aul. noſtrae cancellarii; „ven. P. Stephano arch. Strigon. Bartholomaeo „Quinqueeccl. Stephano Zagrab. Baſilio Cenad. Pou„za Bosn. Artolpho Iaurien. Zalando Veſprim. Vin„centio Varad. Heymone Vacien. Gallo Tranſſilu. „Lamperto Agrien. epiſcopis; — Ratislao, illuſtri „duce Galitiae, et bano totius Sclauoniae; Stepha„no C. palatino; Laurentio vaiuoda Tranſſiluano; „— Rolando iudice aulae noſtrae. —" (*b*)

A. C. 1248. *Bel.* 13. *Ind.* 6. *P.* 19. *A.*

CCCXCVIII. Ex laudatis epiſcopis Stephano Zagrabienſi mortuo, Philippus, Mariae reginae cancellarius, a quibusdam electus eſt, qui, licet Albertus archidiaconus cum vitio creatum eſſe contendiſſet, praeualentibus aliis, epiſcopus manſit. Spalatenſes autem in locum Hugrini, ſub exitum Nouembris hoc anno defuncti, Ioannem, natione Hungarum elegerunt. (*c*) Bela ſub exitum huius anni, quum iam 14. regni numerabat, Detrico, filio Mohol, tres villas contulit, primum hic vſus titulo regis *Bulgariae.* (*d*)

A. C. 1249. *Bel.* 14. *Ind.* 7. *P.* 4. *A.*

CCCXCIX. Quia nullum Bela pro Bulgaria bellum geſſiſſe legitur; ſi Bulgariae titulus errore librariorum

(*a*) Ex MSS. Batthyanianis. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 91—103. (*c*) Thom. arch. H. Sal. cap. 47. (*d*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 115—127.

brariorum in illud diploma non irrepſit; ius in eam arrogauerit, quod Colomanus, eius e ſorore Maria nepos, non ſine ſuſpicione veneni mortuus anno 1245. nullum in Bulgariae regno heredem reliquerit. Ceterum titulus ille nec in anterioribus, nec in poſterioribus diplomatibus longo tempore comparet. Innocentius interim, electione Ioannis reſciſſa, Spalatenſi metropoli Rogerium praefecit. (*a*)

A. C. 1250. *Bel.* 15. *Ind.* 8. *P.* 27. *M.*

CD. Rogerius, optime de Hungariae hiſtoria meritus, poſt cladem Tartaricam, quam minutis cum adiunctis ſuo *miſerabili carmine* deſcripſerat, in Italiam reuerſus, non multo poſt Innocentium IV. in Galliam cum Ioanne card. ſequutus eſt. Commendatione huius ad metropolim Spalatenſem euectus, aliquamdiu Lugduni retentus, ac ibidem conſecratus, Spalatum 20. Febr. cum pallio venit. *Non autem placuit*, inquit archidiaconus, (*b*) *regali celſitudini, quod factum fuerat circa ipſum, non modicum ferens indigne, quod promotus fuerat praeter ipſius conſcientiam et aſſenſum.* (*c*)

A. C. 1251. *Bel.* 16. *Ind.* 9. *P.* 16. *A.*

CDI. Poſt Fridericum Auſtriacum, bello Hungarico caeſum, 4. iam annis tam Bela, quam alii hoſtes Auſtriam Stiriamque vaſtabant, ſibique ſubiicere conabantur. Bela propter nexum cognationis cum

(*a*) Ibid. p. 127—134. (*b*) Hiſt. Salon. cap. 48. (*c*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 134—136.

cum Babenbergica ſtirpe, quum vltimus dux nepos fuerit Helenae, Geiſae II. filiae, prouinciam hanc ſuae ditioni ſubiecturus, bello ſuperioribus annis eamdem vexauerat. *Stirienſes*, inquit Pernoldus, (*a*) *inuitarunt Heinricum, filium Ottonis, Bauariae ducis. Sed, quia Bela, Vngariae rex, has prouincias vehementiſſime cupiebat pro filio; non auſus eſt Heinricus Bauarus, licet Belae gener, ſine eius conſilio occupare.* — Gertrudis, Friderici neptis, *ad Belam confugiens, ius, quod ſe habere putabat, in illum transtulit.* Auunculum amiſit hoc anno Bela Bertholdum, Aquileienſem patriarcham, qui pro feſto S. Eliſabeth ſollemniter celebrando certam pecuniae ſummam reliquit. (*b*)

A. C. 1252. *Bel.* 17. *Ind.* 10. *P.* 31. *M.*

CDII. Primus ex eccleſia Hungarica numero cardinalium eccleſiae Romanae, Stephanus, nobiliſſima Vanchaiorum ſtirpe prognatus, hoc an. 1252. fuit adſcriptus. Hoc igitur ad inſulam Praeneſtinam translato, Bela, conſentientibus omnium ſuffragiis, Benedictum ex Colocenſi Strigonienſem archiepiſcopum eſſe iuſſit. Sed, quum Innocentium IV. in eo confirmando difficiliorem expertus fuiſſet; litteris ad eum non minori candore, quam reuerentia ſcriptis, (*c*) inter alia *ſollicitudinem ſuam ac diligentiam in conuerſione Cumanorum, nuper ad fidem reuocatorum, et venientium omni die, nec non in reuocatione Ruthenorum ad obedientiam ſedis apoſt.* commemorat, *V. id. Maii* 1252. Sed quia Stephanus, aerem Italiae ſibi grauiorem expertus, animum ad eccle-

(*a*) Faſt. Camp. T. I. p. 1321. (*b*). Hiſt. Crit. T. V. p. 141—145. (*c*) Ap. Péterf. Conc. P. I. p. 70.

eccleſiam Strigon. redeundi praeferebat; pontifex, vt vacuam illi ſedem hanc reſeruaret; Benedicti poſtulationem nondum admiſit. Stephanum hoc anno fuiſſe creatum cardinalem, ex Belae litteris, quibus praepoſituram Turotzienſem excitat, apparet; (*a*) in quibus nondum *cardinalis* dicitur; additur nouus illic epiſcopus *Nitrien.* Adamus; *palatinus* Dionyſius; *banus* Stephanus. Auſtriam hoc anno Bela rurſum vaſtauit. (*b*)

A. C. 1253. *Bel.* 18. *Ind.* 11. *P.* 20. *A.*

CDIII. Bela, plerisque iam Stiris ſuo filio Stephano conciliatis, Auſtriam et Morauiam vaſtare nondum deſinebat, hisque populationibus efficiebat, vt eidem etiam Auſtriaci quidam accederent. Vtriusque tam huius, quam prioris anni procurſionem Mellicenſe chronicon ita paucis exhibet: (*c*) *MCCLII. — Rex Vng. Auſtriam cum Cumanis ingreditur, incendiis, rapinis ac caede hominum hoſtiliter ipſam depopulando. — MCCLIII. Rex Vngariae, fauentibus atque opitulantibus ſibi quibusdam optimatibus Auſtriae ac Stiriae, Auſtriam atque Morauiam rapina, igne, gladio deuaſtat.* Innocentius, mutuas Chriſtianorum iniurias impediturus, Velaſcum legatum ad conciliandos principum animos miſit, (*d*) *kal. Iul. an. XI.* Paternarum Innocentii curarum is fructus erat, vt, Wenceslao hoc anno mortuo, Primislaus Ottocarus anno ſequente pacem cum Bela compoſuerit. Idem pontifex Stephano Praeneſtino, quem legatum in Hungariam miſerat, poteſtatem

Ii 2 con-

(*a*) Ap. Bel. N. H. T. II. p. 351. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 168—187. (*c*) Ap. H. Pez. T. I. col. 240. (*d*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 366.

conceſſit, (*a*) *VII. id. Iun. an. X.* vel metropolim Strigon. repetendi, vel epiſcopatum Praeneſtinum retinendi. Qua de re litteras et ad Strigon. capitulum, et ad Belam regem dedit. (*b*)

A. C. 1254. *Bel.* 19. *Ind.* 12. *P.* 12. *A.*

CDIV. Poſtquam Stephanus, mutata voluntate, cardinaliciam dignitatem retinere maluit; Innocentius Benedictum ad metropolim Strigonienſem e Colocenſi transtulit, (*c*) *V. kal. Mart. pont. an. XI.* Nouum is legatum ad pacem inter Belam et Ottocarum conciliandam miſit; ſed *III. id. Iul.* eumdem reuocauit; (*d*) quod interea pax inter illos ita coaluerit, (*e*) *vt Belae Stiria, Ottakero Auſtria permaneat*, vt chronicon Leobienſe teſtatur. Bela, hac pace Stiriam adeptus, eam quidem Stephano, filio ſuo, contulit; ſed quod is tenerior adhuc eſſet, Stephano, Sclauoniae bano, gubernandam illam commiſit. Hoc item anno pii parentes coenobium, in inſula leporum exſtructum, Humberto, ſupremo patrum praedicatorum praeſidi, gubernandum tradiderunt, in quo Margarita, 12. annos iam nata, religioſa vota nuncupauit. (*f*)

A. C. 1255. *Bel.* 20. *Ind.* 13. *P.* 28. *M.*

CDV. Ob merita filiae Margaritae templum ac coenobium, illic erectum, peculiari fauore complexus Bela, ius patronatus in eccleſiam Budenſem eidem

---

(*a*). Ap Koll. Hiſt. Dipl. p. 166. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 185—202. (*c*) Ap Peterſ. Conc. P. I. p. 72. (*d*) Ap. Wadding. T. III. p. 520. (*e*) Ap. H. Pez. T. I. col. 822. (*f*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 202—211.

dem contulit. „ — Quum, *inquit*, (*a*) nos poſt „ vaſtitatem, quam, culpis exigentibus, regno „ Hung. inuexit feritas Tartarorum, reformationi, „ reparationi, ſolidationi ac corroborationi ipſius re„ gni — curaſſemus apponere manus noſtras; inter „ alia caſtra, defenſioni regni congrua, in monte „ Peſtienſi (*ſeu Budenſi*) caſtrum quoddam exſtrui „ fecimus, refertum multitudine hominum numero„ ſa. — *De monaſterio deinde loquutus*, filiam no„ ſtram, *ſubiicit*, dominam Margaretam, quam in„ ter alios liberos noſtros eo teneriori amplexamur „ affectu, quo certiora piae et DEO placitae con„ uerſationis in ea primordia cernebamus, in ipſo „ coenobio poſuimus, DEO, quoad viuet, et glo„ rioſae virgini ſeruituram. — — Anno dom. M„ CCLV. VIII. kal. Aug. regni XX." Quanti vero Bela Benedictum, ad metropolim Strigonienſem translatum, fecerit; ex donationibus, eccleſiae Strigonienſi factis, inter quas eſt oppidum Vadkert, apparet. In eius locum ſuffectus eſt in metropoli Colocenſi Thomas, antea praepoſitus Albenſis. (*b*)

A. C. 1256. *Bel.* 21. *Ind.* 14. *P.* 16. *A.*

CDVI. Benedictum Strigonii ſynodum hoc anno celebraſſe, eique *Colocenſis archiepiſcopi ſuffraganeos aſſediſſe*, Peterſius perhibet. (*c*) Bela, rurſus eccleſiae Strigonienſis, cui Benedictus praefuit, indemnitati conſulturus, proteruiae quorumdam hominum, in eiusdem ius inuolantium, modum poſuit, edito diplomate, (*d*) *anno dom. MCCLVI. XVII. kal. Ian.*

(*a*) Ap. Schier. Bud. S. p. 101. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 219—239. (*c*) Concil. P. I. p. 86. (*d*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 137.

Ian. regni XXII. Eadem die litteris aliis, quibus etiam *ducis Stiriae* titulus eſt praeiectus, declarauit, reditus decimarum, quas archiepiſcopi Strigonienſes percipiebant, etiam vltra Drauum fl. pertinuiſſe. Primum et viceſimum annum regni tantum agebat, quum vetuſtiſſimae Forgachiorum ſtirpi, propter Andreae merita, ſuum equum Belae, Tartaros fugienti, cedentis, terram Ghymes aſſeruit. (*a*)

A. C. 1257. *Bel.* 22. *Ind.* 15. *P.* 8. *A.*

CDVII. Hoc anno Belam Spalatum ad venerandum S. Domnii corpus acceſſiſſe, Farlatus aſſerit. (*b*) In hoc itinere diploma *Zagrabiae* dedit, quo quamdam inquiſitionem *Stephano, bano totius Sclauoniae et capitaneo Stiriae* committit. (*c*) Idem Stephanus in alio monumento *Zagrabiae dux* appellatur. (*d*) Iacta ſunt interea fundamenta belli Stiriaci, cui Philippus, Salisburgenſis electus, occaſionem dedit. Quum enim is illam eccleſiam 9. annis adminiſtraſſet, nec tamen ſacris pontificalibus initiari voluiſſet; exauctoratus ab Alexandro IV. pontifice, ſuum archiepiſcopatum armis retenturus, Ottokarum, Bohemiae regem, in auxilium euocauit; ſed ab Henrico Bauaro, Belae genero, male multati, fugam capeſſiuerunt. (*e*)

A. C. 1258. *Bel.* 23. *Ind.* 1. *P.* 24. *M.*

CDVIII. Ottocarus, quo maiorem in Bauaria ſtragem accepit; eo minus quieſcere potuit. Dolorem

---

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 242—256. (*b*) Illyr. S. T. I. p. 483. (*c*) Ap. Kerchel. H. E. Zagr. p. 33. (*d*) Dipl. Stir. P. II. p. 226. (*e*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 256—263.

rem igitur ſuum vlturus, Stirorum, in Hungaros conſpirantium, ſtudia, miſſis clam auxiliis, adiuuabat. *Stirienſium conſpirationes*, inquit Pernoldus, (*a*) *contra ducem ſuum Stephanum Vngarum occulte fouens Ottokarus, et non deſinens Philippum iuuare, contra quem Bela erat, futuri belli ſemina iecit.* Hoc anno nihil aliud factum, quam Petouium ab Hungaris obſeſſum, interuenientibus tamen pontificis litteris, ab excidio liberatum. *Petouia tamen caſtrum*, inquit Marignolius, (*b*) *cum ciuitate et quibusdam aliis caſtris remanſerunt Vngaris; quia vxor regis Stephani, Cumana natione, licet baptizata, in praedicto caſtro remanſit.* (*c*)

A. C. 1259. *Bel.* 24. *Ind.* 2. *P.* 13. *A.*

CDIX. Bela, rurſus in coenobium, vbi filiam Margaritam depoſuit, liberalis, (*d*) permoueri tamen ab Alexandro pontifice non potuit, vt hoſpitalariis ſatisfaceret. Quumque ſuas itidem querelas ad Alexandrum transmiſiſſet, Tartarisque rurſum imminentibus, amplas ab iis foederis conditiones offerri ſibi, ſi *vel filio ſuo filia principis Tartarorum, vel filio eius filia ſua matrimonio coniungatur*, ſignificaſſet; grauiſſimis verbis prolixisque litteris ab hoc foedere deterritus eſt, (*e*) *II. id. Oct. anno pontif. V.* Sed Bela, hac vice liber a Tartaris, a Stiris bello petitus eſt, de quo Pernoldus ſupra laudatus ita ſcribit: (*f*) *MCCLIX. Stirienſes in Vngaros inſurgunt, et omnes, exceptis, qui in Petouia fuerunt,*

 ſine

(*a*) Ad an. 1258. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 218. (*c*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 263—265. (*d*) Vita Margar. p. 224. (*e*) Ap. Rayn. ad an. 1259. N. 33. (*f*) Ap. Hanth. Faſt. Camp. T. I. p. 1323.

ſiue occidunt, ſiue pellunt, intra paucos dies, ipſa hieme; et legatos ad Ottokarum Viennam mittunt, ducatum illi deferentes. Statim vero ipſe in Stiriam venit; ſed ſine exercitu, ne pacem violaſſe culparetur. (a)

A. C. 1260. *Bel.* 25. *Ind.* 3. *P.* 4. *A.*

CDX. Nec multo poſt grauiſſimum Stiriae cauſſa bellum inter Belam et Ottocarum erupit. *Permiſit Ottokarus*, inquit iterum Pernoldus, (b) *vt, ineunte vere, ambo ſtrenuiſſimi comites Hardekkenſes et mille viri electi, quaſi vltro et propria voluntate, pecunia Stirienſium conducti, quod ipſe clam diſpoſuit, vicinis auxilium ferrent. Quod audientes Vngari, contra Stiros aggreſſi, quum non ſatis numeroſi eſſent, ſponte receſſerunt.* Collectis ſubinde maioribus copiis, Auſtriam ingreſſi, Hardekenſibus interfectis, initio quidem Ottocarum vicerunt; deinde tamen, Cumanis diffugientibus, multi gladio caeſi, plures in fluuio merſi ſunt. Neque Turotzius diffitetur, Hungaros fuiſſe victos, in haec verba: (c) *Poſt haec idem rex A. D. MCCLX. congregauit exercitum copioſum contra Othocarum, regem Bohemorum, circa Morauiam, vna cum filio ſuo Stephano et Alpra, duce Cumanorum; ſed victus, fugit circa Haymburg III. id. Iulii.* Victor Ottocarus, Pragam reuerſus, Alexandro IV. belli ſucceſſum minutim et cum auxeſi perſcripſit, (d) *VIII. Octobr. an. MCCLX.* Bela, ſuum exercitum contra Tartaros, qui, Polonia vaſtata, Hungariae minabantur,

(a) Hiſt. Crit. T. VI. p. 283—302. (b) Ad an. 1260. (c) Chron. P. II. cap. 75. (d) Ap. Dobn. Mon. T. III. p. 228.

tur, ſaluum conſeruaturus, pacem accelerandam etiam cum iactura Stiriae cenſuit. (*a*)

A. C. 1261. *Bel.* 26. *Ind.* 4. *P.* 24. *A.*

CDXI. Vt Bela pacem, cum Ottocaro compoſitam, publicis tabulis firmaret; Viennam aſcendit; ac neptem Ottokari Brandeburgicam cognomini filio ſuo deſponſauit, vt Pernoldus perhibet, (*b*) *clam praeterea Otakoro depactus eſt pro vxore Kunegundem, neptem ſuam ex filia Conſtantia*, vel potius Anna. Suas enim quinque filias Bela ſic elocauit: *Eliſabetham*, Henrico, Bauariae duci; *Annam*, Radislao, Haliciae duci; *Conſtantiam* Danieli, Ruſſiae duci; *Helenam* ſeu Iolantam Boleslao Pio, maioris Poloniae duci; *Sabinam* Moyſi, palatino comiti. Ranzanus quidem ait, (*c*) Ottokarum Margaritae nuptias ambiuiſſe; ſed eam ab arrepto vitae propoſito nullis rationibus dimoueri potuiſſe. Quum haec agerentur; Tartari, Polonia vaſtata, Hungariae limitibus imminebant; ſed, audita Hungarorum et Bohemorum concordia, regnum inuadere non audebant. Antequam Ottocarus Cunegundem in Bohemiam ſub exitum anni huius traduxiſſet; Bela, iacturam inſtrumentorum, a Tartaris diſſipatorum, reparaturus, veteres Agrienſis eccleſiae poſſeſſiones ſuo diplomate recenſuit ac ſtabiliuit, *V. id. Sept. an. regni XXVI.* (*d*)

A. C. 1262. *Bel.* 27. *Ind.* 5. *P.* 9. *A.*

CDXII. Amiſſa Stiria, Bela Stephanum filium ad Tranſſiluaniam regendam, Sclauonia Belae filio con-

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 302—319. (*b*) Ad annum 1261. (*c*) Indic. XV. p. m. 620. (*d*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 325—344.

conceſſa, transtulit, cui hoc anno coniux Eliſabetha felici partu Ladislaum filium edidit. Bela, Ladislao nepote iam auctus, ad recipiendum Stephanum, fratrem ſuum, ante 26. annos e Beatrice nouerca natum, difficilior euaſit. Quam eius duritiem monachus Patauinus ad hunc annum merito carpit. (*a*) Et fortaſſis ideo iuſtitia diuina permiſit, vt a Stephano filio bello peteretur. Quum iam pater et filius ad ineundum praelium accincti ſteriſſent; Maria regina, Belae coniux, Stephani mater, vtrimque nimium afflicta, B. Ioannis, epiſcopi Bosnenſis, opem implorauit. Ab hoc per quietem praemonita de pace breui coalitura, laetiſſimos ante prandium nuncios accepit, a quibus ſignificabatur, vt ipſa ſcribit, (*b*) *regem Stephanum, filium ſuum, ſe omnino patri dedidiſſe, paratum efficere, quicquid illi collibuiſſet.* Subinde pacis tabulas Stephanus ita confecit: (*c*) „Nos Stephanus, D. gr. iunior rex Vngariae, dux Tranſſiluanus, dominus Cumanorum, ſignificamus omnibus, — quod ad habendam, redintegrandam et conſeruandam nuper in Poſonio habitam A. D. MCCLXII. — inter D. regem, cariſſimum patrem noſtrum, et nos pacis et concordiae vnionem, mediantibus ven. PP. Philippo, D. gr. Strigon. aulae cariſſ. patris noſtri cancellario; et Smaragdo Coloc. aulae noſtrae cancellario, archiepiſcopis; Philippo, ep. Vacien. aulae cariſſ. conſortis noſtrae cancellario; Ioanne, praep. Orod. el. Sirm. — iuramus, — nos contentos, quietos et bene pacatos iis, quae cariſſ. pater noſter — nuper in compoſitione — nobis dedit. — Caſtrum Fylek — gratanti animo recepimus a cariſſimo

(*a*) Ap. Vrſtis. P. I. p. 616. (*b*) Ap. Sig. Ferrar. P. II. L. I. C. VII. (*c*) Ap. Bel. N. H. T. I. p. 118.

„ riſſimo patre noſtro. — Dat. anno dom. MCC-
„ LXII. " (*a*)

A. C. 1263. *Bel.* 28. *Ind.* 6. *P.* 1. *A.*

CDXIII. Vt pax, inita cum patre, firmior eſſet; nouas conditiones prioribus Stephanus adiecit, vt, *qui compoſitionem — violauerit; cum baronibus ſuis — excommunicationis ſententia innodetur, — in inuentione S. Crucis, anno dom. MCCLXIII.* Diuiſa patrem inter ac filium Hungaria, plenum vterque ius in ſuas terras obtinuit, vt donationes vtrimque factae docent. Alterum filium, Belam iuniorem, pater in eo diplomate, quo Tobiam Bogudium remuneratur, (*b*) *ducem totius Sclauoniae* vocat, eius tamen adminiſtrationem eidem nonniſi tertio poſt anno commiſit. Bela tamen ſenior etiam in Tranſſiluania Kolos-Monoſtorienſem abbatiam, a Bela I. conditam, priuilegiis quibusdam exornauit. (*c*) Iura quoque tam praepoſiturae Tatenſis, quam eccleſiae Strigonienſis nouo diplomate confirmauit. (*d*) Quo tempore nouam ſectam flagellantium in Hungariam penetraſſe, Turotzius ita perhibet: (*e*) *Ipſius etiam tempore, an. dom. MCCLXIII. plebs, flagellis ſe feriendo, vniuerſaliter discurrebat.* De his Palkaua ſcribit, (*f*) *inſeruiſſe errores, quod confeſſiones audirent, ſe mutuo abſoluentes ab homicidiis et aliis criminibus. — Sed tandem igne et gladio hic error ceſſauit.* (*g*)

A.

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 344—369. (*b*) Ap. Kertsel. Not. Prael. p. 508. (*c*) Ap. Kaprinai Dipl. P. I. p. 38. (*d*) Ap. Pray V. S. Steph. p. 123. Hier. P. I. p. 131. (*e*) Chron. P. II. cap. 76. (*f*) Ap. Dobn. Mon. T. III. p. 232. (*g*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 369—404.

A. C. 1264. *Bel.* 29. *Ind.* 7. *P.* 20. *A.*

CDXIV. Vrbanus IV. pontifex anno 1261. creatus, plures in Hungariam litteras hoc anno dedit. Ac inprimis quidem Timotheum Zagrabienſem epiſcopum a ſe renunciatum eſſe, capitulo ſignificauit. (*a*) Deinde Belam ab affinitate, quam Tartari rurſus eidem obtulerunt, contrahenda dehortatus eſt. (*b*) Tum, quia diſſenſiones inter Belam et Stephanum recrudeſcere videbantur; flebiles ad vtrumque litteras ſcripſit. (*c*) *Valuere*, ſubiicit Raynaldus, *adeo pontificis ſtudia, vt Bela ac Stephanus prima naturae foedera redintegrarint. — Inita porro inter eos pace, Stephanus non leui iniuria matrem ea occaſione affecit; quum plura loca, ad Vngarorum reginas ſpectantia, — occupaſſet. Qua de re Vrbanus, a regina admonitus, Stephanum ea matri reſtituere, obiecta cenſurarum religione, iuſſit.* Epiſcopis quoque Hungariae per praeſidem ord. praed. admonitis, vt pacem diligentius colerent, a Bela rogatus, vt Bosnenſis eccleſia Colocenſi metropoli ſubiiceretur, rem inquirendam abbati S. Martini commiſit. (*d*) Ac denique Belae iuniori, *duci Sclauoniae, Poſonium et Nitriam, a patre donatas, confirmauit*, qui hoc anno nuptias cum Ottocari nepte, quatuor abhinc annis ſibi deſponſa, celebrauit. (*e*)

A. C. 1265. *Bel.* 30. *Ind.* 8. *P.* 5. *A.*

CDXV. Bela iunior, Sclauoniae dux in aetate teneriore renunciatus, connubio iam iunctus, vt ſuam

(*a*) Ap Farlat. T. V. p. 373. (*b*) Ap. Rayn. ad 1264. N. 48. (*c*) Ibid. N. 52. (*d*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 425. (*e*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 404—436.

ſuam coniugisque ſuae dignitatem melius tueretur, ad capeſſendam eam prouinciam a matre deductus eſt. Sed duobus Hungaris a Spalatenſibus fortuito caeſis, regina vindictae modum exceſſit. (*a*) Interim Vrbano mortuo, poſtquam Bela Clementem IV. ei 9. Februarii ſuffectum intellexit, ſupremam illi hanc dignitatem litteris, reuerentiae plenis, gratulatus eſt. (*b*) Ille, nouis de metu Tartarorum nunciis excitatus, per Hungariae metropolitas contra Tartaros *verbum crucis cum omni diligentia praedicari* iuſſit. (*c*)

A. C. 1266. *Bel.* 31. *Ind.* 9. *P.* 28. *M.*

CDXVI. Euaneſcente Tartarorum metu, quum Bela Timotheum, Zagrabienſem epiſcopum ab Vrbano IV conſtitutum, propter ignobilitatem generis reiiciendum cenſuiſſet; Clemens litteris elegantibus eum Timotheo conciliare conatus, (*d*) Smaragdo ſeruorum manibus enecto, Colocenſi metropoli Stephanum, potioribus canonicorum ſuffragiis electum, praefecit. Poſtquam autem Thomas archidiaconus Rogerii, Spalatenſis archiepiſcopi, mortem deſcripſiſſet; hiſtoriam ſuam, quae multam rebus Hungaricis lucem affundit, hoc anno concluſit, natus anno 1200. mortuus 1268. Bela quoque quum partes Sclauonicas hoc anno perluſtrandas ſumſiſſet; Zagrabienſibus in monte Grech peculiares praerogatiuas contulit, (*e*) *Anno dom. MCCLXVI. XII. kal. Decembr. anno regni XXXI.* (*f*)

A.

(*a*) Thom. Archid. cap. 51. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1265. N. 6—49. (*c*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 436—448. (*d*) Ap. Rayn. ad an. 1266. N. 38. (*e*) Ap Kerch. Not. Prael. p. 125. (*f*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 448—468.

A. C. 1267. *Bel.* 32. *Ind.* 10. *P.* 17. *A.*

CDXVII. Si Pultramum audimus; (*a*) *rex Stephanus anno MCCLXVII. de patre ſuo quatuor laudabiles triumphi titulos reportauit.* Non tantum iniquus in Belam hic ſcriptor eſt, quod victoriam, a filio de patre reportatam, laudet; ſed fide quoque non ſatis dignus, quod quater eodem anno victum a filio patrem affirmet. Quintam illi cladem Arenpeckius appingit; quum ab Ottocaro profligatum fuiſſe ſcribit. (*b*) Certius eſt, pacem inter Stephanum et Ottokarum vel concluſam, vel confirmatam fuiſſe hoc anno *VIII. kal. Aug.* (*c*) cuius ſponſores erant: *Stephanus, archiep. Colocen. Lambertus Agrien. Iob Quinqueeccleſ. Philippus Vacien. Paullus Veſprimien. Timotheus Zagrab. et Ladislaus Tinen. eccleſiarum epiſcopi;* cum poteſtate cenſuram in violatorem pacis ferendi. Toties refecta pax inquietum horum principum ingenium arguit. (*d*)

A. C. 1268. *Bel.* 33. *Ind.* 11. *P.* 8. *A.*

CDXVIII. Inter Belam et Stephanum hoc anno pacem viguiſſe, colligi poteſt ex huius diplomatibus, quibus patris donationes, partim eccleſiae B. V. in inſula leporum, partim eccleſiae Tranſſiluanienſi factas, confirmat. Ex aliis tamen eius litteris apparet, Stephanum cum Henrico palatino, quem pater aduerſus filium miſerat, pugnam commiſiſſe. „ Quum, *inquit*, (*e*) per parentes noſtros extra „ meri-

(*a*) Ap. H. Pez. T. I. col. 716. (*b*) Ibid. col. 1222. (*c*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 368. (*d*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 469—479. (*e*) Ap. Timon. Ep. Chron. p. 74.

„ meritum graues perſequutiones pateremur; et caſtrum Feketheuholm intraſſemus; — — demum, „ dum cum Henrico palatino in Vſuaſeg conflictum „ habuiſſemus; — multa letalia vulnera habue„ runt. —" Rurſus alibi conflictus eiusdem ita meminit: (*a*) „ Specialiter in Graecia et in Feketeu„ holm et etiam in Ilſuaſag, quum conflictum cum „ Henrico palatino et cum omni exercitu patris „ noſtri habuiſſemus, ſub vexillo Nicolai, vaiuodae „ Tranſſiluani. — —" Sed earum pugnarum tempus eſt incertum; quemadmodum et belli Suecici, cuius idem Stephanus meminit. (*b*)

A. C. 1269. *Bel.* 34. *Ind.* 12. *P.* 24. *M.*

CDXIX. Incertum item tempus eſt belli Bulgarici; certum tamen, ante hunc annum illud a Stephano geſtum fuiſſe, quum in diplomate, quo Goſztunios hoc anno remuneratur, ita loquatur: (*c*) „ — Iidem nobis in Bulgaria, coram oculis noſtrae „ maieſtatis, ſub vexillo noſtro viriliter dimicando, „ — vsque ad caſtrum Turnow (*Ternouam*) Bul„ garos, hoſtes noſtros, et ſchismaticos deuaſtare, „ deſtruere — nullatenus formidarunt. —" Turotzius de hoc bello, ſed regnante iam Stephano, haec habet: (*d*) *Praeterea Budam, ciuitatem Bulgarorum, expugnauit; et Bulgaros ſuperauit; regem eorum ſibi compulit deſeruire.* Pro *Budam* MS. habet *Budun*, Chr. Bud. *Bodun*, quo nomine Vidinum, antea Vudinum et Budinum, venit. Certum item eſt ex Belae diplomate, quod ſub exitum anni

(*a*) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 221. (*b*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 488—494. (*c*) Ap. Palm. Herald. p. 86. (*d*) Chron. P. II. cap. 77.

anni huius eccleſiae Zagrabienſi dedit, Belam iuniorem, qui *felicis recordationis* illic vocatur, hoc anno iam obiiſſe, Schieriumque male mortem eius ad an. 1270. differre. (*a*)

A. C. 1270. *Bel.* 35. *Ind.* 13. *P.* 13. *A.*

CDXX. Filium pater optimus, partim curis, partim annis confectus, non multo poſt ſequutus eſt, aetatis anno 64. regni 35. quibus male Turotzius 10. annos detraxit. *Regnauit*, inquit, (*b*) *XXV. annis*. Nec melius annum eiusdem obitus ita notauit: (*c*) *obiit autem anno domini MCCLXXV. nonis Maii, feria VI. in feſto inuentionis S. Crucis, in inſula Budenſi.* Haec inter ſe non congruere, cuiuis clarum eſt. Quum enim Andreae mortem alligauerit ad an. 1235. ſi Bela deceſſiſſet anno 1275. non 25. ſed 40. annos regnaſſet. Sed nempe librarius imperitus male numerum V. anno iunxit, quem nonis adiungere debebat; ſic enim in chronico Budenſi habetur: *Anno dom. MCCLXX. quinto nonas Maii*, ſeu 3. Maii, quae quidem hoc anno, quo littera dominicalis E. fuit, in ſabbatum incidit; quum tamen Bela noctem inter feriam VI. et ſabbatum ſupremam habuerit, ſcriptorum alter ante mediam noctem, alter poſt mediam noctem illum obiiſſe ratus, in die conſignando variarunt, et occaſionem errandi Turotzio dederunt. Alter Turotzius, nempe Ladislaus, elegans hoc elogium Belae concinnauit: (*d*) *Si cui alteri regum; Belae certe IV. ſtatuam erigat Hungaria, et illam auream, perenne grati animi monumentum. Perierat; ſi regem amiſiſſet Belam.*

(*a*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 498—506. (*b*) Chron. P. II. cap. 74. (*c*) Ibid. cap. 75. (*d*) Vng. Reg. p. m. 360.

lam. Euerterat illam ipſo triennio Tartarus, inqut ſolitudinem redegerat. Reparat Bela, ac nouam de integro condit Hungariam; ſuum in locum ſacra reponit et profana: — quin et Chriſtianorum haud ſatis Chriſtiana depulit regno arma. Auxit etiam populo et prouincia Cumanorum. Eo regnante fuit archiepiſcopus *Strigonien.* Robertus 1238. Mathias 1240. Stephanus 1242. Benedictus 1254. Philippus 1262. *Colocen.* Vgolinus 1238. Benedictus 1242. Thomas 1255. Smaragdus 1257. Stephanus 1262. Epiſc. *Agrien.* Cletus 1238. Lambertus 1243. Iacobus 1251. Lambertus 1252. *Iaurien.* Gregorius 1238. Vincentius 1244. Artolphus 1247. Georgius vel Omodeus 1263. *Quinqueeccleſ.* Bartholomaeus 1252. Iob 1267. *Nitrien.* Adamus 1252. Vincentius 1263. *Tranſſiluan.* Raynaldus 1238. Gallus 1243. Artolphus 1244. Gallus 1246. *Tsanad.* Bulchu 1238. Blaſius 1244. *Vacien.* Mathias 1238. Stephanus 1241. Heimo 1243. Philippus 1262. *Varadin.* Benedictus 1238. Vincentius 1243. *Veſprim.* Bartholomaeus 1238. Zelandus 1243. Paullus 1257. *Zagrabien.* Stephanus 1238. Philippus 1247. Farkaſius el. 1263. Timotheus 1266. *Boſnen.* Pouſa 1238. *Sirmien.* Oliuerius 1250. Ioannes 1262. *Palatini:* Dionyſius 1238. Arnoldus 1242. Stephanus 1243. Ladislaus 1244. Stephanus 1247. Rolandus 1251. Dionyſius 1252. Rolandus 1254. Dionyſius 1263. *Bani:* Dionyſius 1242. Stephanus 1245. ſimul capitaneus Stiriae 1254. Rolandus 1264. *Vaiuodae Tranſſilu.* Pouſa 1238. Laurentius 1244. Ladislaus 1252. *Iudices curiae:* Iula 1238. Ladislaus 1242. Rolandus 1243. Demetrius 1244. Rolandus 1247. Paullus 1251. Henricus 1254. — Licet Bela filius parentes obitu ſuo praeceſſerit; cum iisdem tamen apud

fratres Seraphicos Strigonii ſepultus eſt, cum hoc epitaphio: (*a*)

„ Aſpice rem caram, tres cingunt virginis aram:
„ Rex, dux, regina, quibus aſſint gaudia trina."

§. XXVIII.

STEPHANVS V. REX XXI.

Coepit A. C. 1270. *deſiit A. C.* 1272.

A. C. 1270. *Steph.* 1. *Ind.* 13. *P.* 13. *A.*

CDXXI.

Stephanus V. in lucem editus anno 1239. triceſimum primum aetatis annum agebat; quum ſolus a morte patris rerum potiri coepit. Vtprimum Hymenaeo maturus erat, Eliſabetham Cumanam connubio ſibi iunxit; ex qua nata Maria Carolo Claudo iam ante ſuperiorem annum collocata fuit. Ex eadem Ladislaus editus anno 1252. moribus Cumano, quam Hungaro dignioribus agnomen Chuni fuit adeptus. Stephanum porro, viuente patre, coronatum fuiſſe, patet ex eo Belae IV. diplomate, quo Fulkuſio caſtrum Filek aufert, vbi haec inter cetera habentur: (*b*) „ Quum igitur in medio regni noſtri Albae, coronato per diuinam clementiam cariſſimo filio noſtro, Stephano rege et duce totius Sclauoniae, pro tribunali ſederemus. — —" Quum iſtud diploma, datum anno 1266. de coronatione, tamquam

(*a*) Turotz. Chron. P. II. cap. 76. (*b*) Ex MSS. Wagnerianis.

quam re praeterita loquatur; ante hunc annum ea, vel iſto peragi debuit. Belae mortem ac Stephani ſucceſſionem vltra Maium huius anni non poſſe differri, diploma Stephani, quo duas partes tributi Strigonienſis capitulo confert (*a*) *pro remedio animae venerandae memoriae D. Belae regis, cariſſimi patris, in perpetuam eleemoſynam*, oſtendit; datum enim illud eſt *feria tertia ante quindenam apoſtolorum Philippi et Iacobi, in monte Peſtienſi, anno dom. MCCLXX.* Patris item defuncti memoriam facit, ac titulum regis Bulgariae ceteris innectit; quum villam *Epel* (Ebed) eccleſiae Strigonienſi, quod ab ea coronam receperit, donat. „ Quum, „ *inquit*, (*a*) poſt obitum ſeu. tranſitum incl. re„ cord. D. regis Belae, cariſſ. genitoris noſtri, ple„ num ius et regimen totius regni Hung. iure ge„ niturae ad nos deuoluta fuiſſent; — Eped, in „ comitatu Strigon. — pro remedio animae eius„ dem Belae regis — dedimus. — Anno dom. „ MCCLXX. tertio kal. Aug. regni autem noſtri „ anno primo. “ Plures ſubinde patris donationes confirmat, vt terrae Cholnok, inſulae B. virginis, cui *Toxum*, *Zoich et Kad* ipſe quoque donat, *vbi*, ſubiicit, *filia noſtra cariſſima* (Eliſabeth) *ac aliae ſorores, ord. praed. DEO iugiter famulantes, commorantur.* Stephano, piis id genus largitionibus intento, bellum Ottocarus intulit, cuius ita Turotzius meminit: (*b*) *Poſt ipſum anno dom. MCCLXX. coepit regnare filius eius, Stephanus, ſuper totam Hungariam; qui Othocarum, regem Behemorum, in Hungariam cum Bohemis, Auſtralibus, Brandenburgenſibus ac ceteris mixtis gentibus, cum potentia venientem,*

(*a*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 105. (*b*) Chron. P. II. cap. 77.

nientem, ante fluuium Rapcha deuicit viriliter ac fugauit. Sed haec hoc anno tantum inchoata; ſequente peracta ſunt. (*a*)

A. C. 1271. *Steph.* 2. *Ind.* 14. *P.* 5. *A.*

CDXXII. Belli cauſſam alii putant fuiſſe profugos quosdam ab Ottocaro protectos; alii Belae theſauros ab Ottocaro repetitos, nec redditos. Iactis anno ſuperiore belli fundamentis, vt annales Altahenſes referunt, (*b*) *MCCLXXI. Otakker, rex Bohemiae, congregato valido exercitu, infra octauam paſchae inuaſit Vngariam, et deuictis munitiſſimis caſtris, videlicet Preſburch et Altenburch et Tirna et caſtro S. Georgii ac aliis plurimis munitionibus captis et deuictis, circa feſtum pentecoſtes, propter conſumtionem victualium, reuerti cogitur in Bohemiam, exercitu relaxato. Stephanus autem, rex Vngariae, miſſis in Morauiam et in Auſtriam Vngaris et Comanis, per incendia et rapinas et multas ſtrages hominum plurima mala geſſit. Tandem circa ſolſtitium aeſtiuale per epiſcopos et religioſos viros, DEVM timentes, ad inopinatam et ſubitam pacis concordiam redierunt.* Ita nempe mutuis cladibus ad conſilia pacis vterque rex adactus eſt, cuius conditiones prolixis tabulis Ottocarus explicuit, (*c*) *Pragae, anno dom. MCCLXXI. — II. id. Iulii.* Tabulae vero Stephani confectae ſunt (*d*) *in caſtris apud Pozonium, anno dom. MCCLXXI. regni anno II. V. nonas Iulii.* Hac igitur pace promiſit Ottocarus, *quaedam caſtra, intra limites regni Hung.* con-

(*a*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 519—539. (*b*) Ap. Freher. T. I. p. 557. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1271. N. 22. (*d*) Ibid. N. 30.

conſtituta, — — *quae Henricus et* — *Ioannes*, *filius eiusdem Henrici*, *ac caſtrum Dobra*, *quod Nicolaus et Stephanus*, *filii Paulli*, — *qui a rege Hung. transfugientes*, *ſe ad ipſum transtulerunt*, *detinent occupata*, — ſe deſerturum, nec vllum illis auxilium daturum eſſe, neque deinceps recepturum *infideles ex parte ipſius regis Hung. ad ſe transfugientes*, — *et a Stephani Lombardi*, *nepotis marchionis Eſtenſis*, *foedere diſceſſurum.* Peraeque Stephanus promiſit, a ſe Philippum, electum Aquileienſem, non adiuuandum: *renunciauit omni iuri*, — *quod ſibi videbatur competere* — *in ducatibus Stiriae*, *Carinthiae.* — *Renunciauit etiam* — *iuri de inſigniis regalibus*, *corona videlicet*, *gladio*, *monili*, *ſella*, *ſcutellis et aliis clenodiis ac theſauro*, *delatis per dominam Annam*, *ſocrum* Ottocari, *in regnum Bohemiae.* Atque haec pacis capita belli cauſſas vtcumque retegunt. (*a*)

CDXXIII. Geminam hoc anno ſororem rex Stephanus amiſit; alteram Eliſabetham, Henrico Bauaro nuptam, cuius filius Otto Hungariae rex euadet; Margaritam alteram, in inſula leporum, aetatis anno 29. die 18. Ianuarii, ſancta morte defunctam, pro cuius apotheoſi mox apud Gregorium X. hoc anno kal. Septembris electum, agere coepit; ea tamen, ſaepius aſſumta, ſaepius adhaeſit. Quamuis autem ſanctis nondum adſcripta ſit; beatae tamen titulum obtinuit. Stephani quoque filiam, Eliſabetham, in eodem coenobio cultui diuino mancipatam fuiſſe, iam diximus. Vnde dubitari poteſt, an aliam eiusdem regis filiam, Stephano, Seruiae principi, nuptam, bene Luccaris Eliſabetham appellet.

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 540—560.

pellet. Quae Carolo, Siciliae regis primogenito, collocata fuit, Maria dicebatur; Anna vero, quam Andronicus, iunior imp. Graecorum, hoc anno duxit. (*a*) Interea varias donationes Stephanus tam ante, quam poſt bellum Bohemicum fecit, ac ſub exitum anni Saxonibus Scepuſienſibus ampliſſimas praerogatiuas conceſſit, *VIII. kal. Dec. anno regni II.* Eodem anno tam Chriſti, quam regni varias Agrienſis eccleſiae praerogatiuas, a deceſſoribus ſuis conceſſas, recenſet ac ratas habet, inter quas primo loco ponitur: (*b*) *quod nullus alius poſſit eligi in epiſcopum, niſi nobilis genere et iuris peritus; — — de tribus, praeſentatis per D regem, moribus et vita approbatus et legitimae aetatis, qui in cuſtodia, regis filio impendenda, regi et regno fideliter poſſit deſeruire.* — (*c*)

A. C. 1272. *Steph.* 3. *Ind.* 15. *P.* 24. *A.*

CDXXIV. Tot diplomata, quae Stephanus ad ſacras profanasque res melius conſtituendas dedit, erant fructus pacis, anno ſuperiore ſancitae, quam hoc anno Gregorius X. *tertio nonas Maii* confirmauit. Et Stephanus quidem initas pacis leges ad obitum vsque ſeruauit; at Ottocarum ab eius morte foedus abrupiſſe, deinde videbimus. Stephanus porro hunc annum in ſuis diplomatibus regni ſui iam ſecundum, iam tertium vocat, qui poſt 3. Maii currebat. Attigit enim etiam annum regni tertium, vt bene Turotzius in haec verba perhibet: (*d*) *Regnauit autem duobus annis; et mortuus eſt in*

anno

(*a*) Ap. Stritter. T. III. p. 696. (*b*) Ex MSS. Batthyanianis. (*c*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 566—590. (*d*) Chron. P. II. cap. 77.

anno tertio regni ſui in magna inſula; et ſepultus eſt in eccleſia B. virginis inſulae Budenſis, in loco reginarum. Quum enim iam alias oſtenderimus, eum coepiſſe regnare 3. vel 4. Maii 1270. hinc numeratis duobus annis, quos Stephano tribuit, deducimur ad 3. vel 4. Maii huius anni 1272. quo *ſi circa kalendas Auguſti mortuus eſt*, vt annales Altahenſes tradunt; (*a*) ſupra duos annos tribus fere menſibus regnauit. Non igitur Turotzii, ſed librariorum errore de Ladislao ſcribitur: (*b*) *Coronatus eſt eodem anno, quo mortuus eſt pater eius, videlicet anno dom. MCCLXXVI.* Minus quidem; errauit tamen et chronicon Budenſe, quum Stephani mortem affigit ad annum MCCLXXIII. Nam non tantum exterorum chronica, ſed et Ladislai diplomata teſtantur, Stephanum hoc anno deceſſiſſe. Paucis his annis, quibus Hungariae ſolus praefuit, vindicatis aduerſus Ottocarum regni iuribus ac limitibus confirmatis, adiunctis iam antea Hungaricae ditioni Bulgaris, oſtendit rex magnanimus, quid acturus porro fuiſſet; ſi vitam illi caelum diutius indulſiſſet. Occulto DEI iudicio, fortaſſe, quod parentes armis laceſſere non dubitauerit, praematuro fato ſublatus, nondum quartum et triceſimum aetatis annum exceſſit; quum regni habenas impuberi filio reliquit. Eo regnante praefuit eccleſiae *Strigonienſi* Philippus; *Colocenſi* Stephanus; *Agrienſi* Lambertus; *Iaurinenſi* Dionyſius; *Quinqueeccleſienſi* Iob; *Tranſſiluanienſi* Petrus; *Tsanadienſi* Brictius; *Vacienſi* Philippus; *Varadienſi* Lodomerius; *Veſprimienſi* Paullus; *Zagrabienſi* Timotheus. Palatinus erat *Moys*, qui factam nouem abhinc annis abbatiae de Abraham ord. Ciſterc. fundationem nouis

(*a*) Ap. Freher. T. I. p. 558. (*b*) Chron. P. II. cap. 78.

hoc anno fundis auxit. Plures erant *bani*, Rolandus, Henricus, Ioachimus, Laurentius *Seuerinenſis*; vaiuoda *Tranſſiluaniae* Matthaeus; *iudex curiae* Nicolaus; quorum nomina recenſentur in diplomate, quo Stephanus comitis Biud filiis terram Fintha contulit; et quo priuilegia Zagrabienſis eccleſiae rata habuit; et quo donationem ſuam, Marcello factam, confirmauit. (*a*)

§. XXIX.

LADISLAVS IV. REX XXII.

Coepit A. C. 1272. *deſiit A. C.* 1290.

A. C. 1272. *Lad.* 1. *Ind.* 15. *P.* 24. *A.*

CDXXV.

Quamuis Ladislaus, a morte patris nonniſi 10. annos natus, nondum ad moderandum Hungariae regnum idoneus fuerit; Hungari tamen, maiorem Arpadiani ſanguinis, quam aetatis, cuius defectus matris ac regni procerum opera ſuppleri potuit, rationem habendam rati, mox eodem Auguſto menſe, quo pater obiit, ſacro diademate redimiendum illum curarunt. Teſtatur enim ipſe Ladislaus, ſe iam *ante quindenas S. Stephani regis* inauguratum eſſe, quum ad Traguirienſes ita ſeribit: (*b*) „ Veſtra noſcat fidelitas, quod nos ſumus regni noſtri diademate inſigniti et coronati, gratiam per diuinam; regesque et principes regnorum, circum-

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 590—616. (*b*) Ap. Luc. Libr. IV. C. IX. p. 288.

„ cumquaque adiacentium, ſunt nobiscum in bona „ pacis vnione. Quare vobis firmiter praecipien„ tes mandamus, quatenus circa ea, quae nos et „ Ioachimum, noſtrum banum dilectum, contin„ gunt, tali fidelitate procedatis, vt vos omni bo„ no proſequamur. Sciatis enim, quod, quamuis „ ſimus ad praeſens puerili in aetate; tamen, do„ mino propitio, habemus poteſtatem, nobis in„ ſurgentes potenter coercendi. — Datum Albae in „ quindenis S. Stephani regis.“ Monumentum Traguriense teſtatur, anno hoc *MCCLXXII. indict. XV. — XIII. exeunte Septembri, — veniſſe litteras dicti D. regis, quatenus erat coronatus rex.* Ladislai matrem Eliſabetham Cumanam fuiſſe, iam oſtendimus; eiusdem vxorem Eliſabetham Siculam fuiſſe, ex his Gregorii X. litteris, ad tenerum principem cum amoris paterni ſignificatione datis, intelligimus: (*a*) „ Habes, fili cariſſime, vnde — in „ vocem exſultationis et confeſſionis erumpas. — „ Ipſe namque tibi donauit tantis oriri natalibus, „ immenſis abundare diuitiis. Ipſe te, in annis iu„ uenilibus conſtitutum, ad paterni ſolii culmen — „ euexit. Quid igitur retribues domino pro tan„ tis, quae tuae tribuit iuuentuti? Profecto, ſi pa„ ternis aurem inclines affatibus; — regnum tuum „ ab ipſo, per quem datur regnare principibus, „ recognoſcens, — illi iuuentutis tuae primitias „ offeres, — — Ad quod ſerenitatem regiam mo„ nemus, — quatenus et conſiliarios, et familiares „ tibi aſſumere ſtudeas, — — qui erga tuam et „ cariſſimae in Chriſto filiae noſtrae, reginae Vng. „ illuſtris, conſortis tuae, cariſſimi in Chriſto filii „ Caroli, regis Siciliae, natae, perſonas fidelitate „ ac

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1272. N. 52.

„ ac deuotione debita polleant." Atque hinc genus Eliſabethae vel Iſabellae, Ladislai IV. coniugis, innoteſcit. Vt enim Carolo Claudo huius Ladislai ſoror, ita ſoror illius huic enupſit, ex qua tamen nullam hic prolem ſuſtulit. (*a*)

CDXXVI. Etſi litteris, ad Tragurienſes datis, Ladislaus vicinos principes *in bona pacis vnione* ſecum eſſe ſcripſerit; ea tamen non multo poſt turbari coepit. Ottocarus enim, pacem ex vtilitate ſua metiri ſolitus, quum Ladislai tenerior aetas iniuriis opportunior videretur, certamque victoriae, de Hungaris referendae, ſpem polliceretur; audita Stephani V. morte, bellum inſtaurandum eſſe cenſuit. Stephani huius ſoror Anna, Ratislao, Halicienſi Machouienſique duci, collocata, praeter Cunegundem, Ottocari coniugem, etiam Belam, Machouiae poſt obitum patris ducem, ſuſcepit: quem quod Henricus, in Hungariam a Ladislao receptus, interfecerit; eius caedem Ottocarus bello nouo praetexuit. Certe, quod a priuato homine, non communi regis regnique conſilio, patratum erat, bello publico vindicandum non erat. Sed iam tunc Ottocarus pacis conditiones violauit, quum Aegidium, ab Hungaris ad ſe profugum, recepit. Ita duo hi Hungariae comites, quorum alter patriam deſeruit, alter ex eius odio repetiit, occaſionem huic bello praebuerunt, vt chron. Auſtriac. innuit. (*b*) Alienos a bello Hungaros fuiſſe, patet ex legatis, quos annales Altahenſes perhibent pro pace deprecanda fuiſſe miſſos ad Ottocarum, (*c*) a quo reiecti Hungari, pontificem interpellarunt. Gregorius X. Ottocarum

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 617—624. (*b*) Ap. Freher. T. I. p. 464. (*c*) Ibid. p. 556.

tocarum hortatus (*a*) *ad obſeruanda — cum genitore* Ladislai regis *inita foedera*, teſtatur, *ea per ipſum non eſſe hactenus violata, — nec in poſterum violanda: — necglorioſum fore celſitudini regiae, nec gloriae regali magnificum, in pupillum inſurgere, aut aetatem tam teneram impugnare. —* (*b*)

A. C. 1273. *Lad.* 1. *Ind.* 1. *P.* 9. *A.*

CDXXVII. Quum Hungari viderent, Ottocarum nullis ſeu precibus ſuis, ſeu cohortationibus pontificis a belli conſiliis abduci poſſe; ne vaſtitatem, anno ſuperiore Hungariae finibus ab eodem illatam, otioſe diſſimularent; et ipſi ſolito maturius, antequam Ottocarus ſe mouiſſet, in eius ditiones irruperunt. Nam, vt annales Altahenſes tradunt, (*c*) *Vngari et Cumani, praeuenientes motum praedicti regis Bohemiae, poſt feſtum purificationis quasdam partes Auſtriae et Stiriae et Morauiae, ſub magna ſtrage promiſcui ſexus hominum, intrauerunt.* Addit chron. Auſtr. (*d*) etiam Carinthiam ab Hungaris vaſtatam, ac 20. millia hominum in captiuitatem abducta fuiſſe; viciſſim Auſtriacos, expugnato Iaurino, multos Hungaros abripuiſſe: C. Aegidium, in Hungariam reuerſum, Poſonium reſtituiſſe: Morauos cum aliis Auſtriacis Nitriam occupaſſe, 100. Hungaris in ipſo templo caeſis: Ottocarum, ab Henrico Ginſienſi cum 30. millibus armatorum laceſſitum, collecto 60. millium exercitu, Hungariam ad Vagum vsque fluuium penetraſſe: Tirnauiam, Poſonium, Sopronium ſibi vindicaſſe: poſt nouem hebdomades

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1272. N. 49. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 624—631. (*c*) Ap. Caniſ. Ed. Baſn. T. IV. p. 200. (*d*) Ap. Freh. T. I. p. 464.

bdomades Bohemiam ſuam repetiiſſe. Hungaros itidem Auſtriacas prouincias vaſtaſſe, patet ex illo Ladislai diplomate, quo Gregorii filios propter expeditionem Teutonicam *et deuaſtationes ibi commiſſas* remuneratur, (*a*) *anno dom. MCCLXXIII. regni autem noſtri II.* „metropolitica ſede S. Strigon. eccl.
„ vacante; ven. PP. Stephano Coloc. et Ioanne Spa-
„ lat. archiepiſcopis; Lamberto Agr. Iob Quinque-
„ eccleſ. Paullo Veſprim. aul. noſtr. canc. Philippo
„ Vacien. aul. D. reginae, cariſſ. conſortis noſtrae
„ canc. C. Neogr. Timotheo Zagr. Lodomerio Va-
„ rad. Dionyſio Iaur. et Petro Tranſſilu. — Ro-
„ lando palatino; Henrico bano totius Sclau. Mat-
„ thaeo bano, iudice cur. Nicolao vaiuoda Trans-
„ ſilu. — " (*b*)

CDXXVIII. Neque bellum fuiſſe continuatum, neque pacem compoſitam apud vetuſtos ſcriptores inuenio. Videtur Ottocarus conſilia pacis iniuiſſe, poſtquam intellexit, hoc anno, quo Hungariam eradebat, Rudolphum Habsburgicum, a quo male ſibi metuebat, imperatorem electum eſſe. Ceterum, etiam Ottocaro ceſſante, non optimo loco res Hungariae conſiſtebant, Cumanis, alias quoque turbulentis, propter Cumanam Ladislai matrem plus in Hungaros auſis, vt Olomucenſis epiſcopus ad Gregorium X. in haec verba ſcribit: (*c*) „— In ipſo
„ regno Cumani manutenentur, qui non ſolum alie-
„ nigenis, ſed etiam ipſius regni incolis atrociter
„ ſunt infeſti; et, modo apud alios minus ſolito
„ praeliandi, infantibus et ſenibus non parcentes,
„ iuuenes et iuuenculos captiuatos in ſui ritus ma-
„ litiae

(*a*) Ex MSS. Praianis. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 632—636.
(*c*) Ap. Rayn. ad 1273. N. 12.

„ litiae deducunt conſuetudinem. — Ecce ipſa re„ gina Vng. eſt Cumana: proximi parentes eius „ gentiles ſunt et fuerunt. —" Gregorius igitur, Hungariae conſulturus, quum non ignoraret, belli cumprimis tempore Cumanos inſoleſcere, Carolum, Siciliae regem, Ladislai generum, ad illud ſopiendum ac impediendum eſt adhortatus. Inde vero maius Chriſtianae religioni diſcrimen impendebat, quod maiore parte huius anni Strigonienſis eccleſia vacabat. Vacaſſe dicitur etiam in eo diplomate, quo Ladislaus Moyſi, comiti Simeghienſi, quasdam villas donandi ſacris virginibus inſulae leporum facultatem concedit. (*a*) In diplomate, *III. kal. Apr.* dato, *M. Nicolaus*, *eccleſiae Strigon. electus* dicitur; ſed rurſum in alio, quo caſtrum Medued eccleſiae Zagrabienſi reſtituitur, *Strigonienſis vacat*. (*b*) Ita Nicolaus archiepiſcopus vix viſus, mox ereptus eſt. (*c*)

A. C. 1274. *Lad.* 2. *Ind.* 2. *P.* 1. *A.*

CDXXIX. Tunc quoque Strigonienſis eccleſia vacauit; quum Ladislaus factam a Bela IV. commutationem poſſeſſionis Szolka cum Ienö confirmauit, (*d*) *anno dom. inc. MCCLXXIV. regni II.* Item quum Kuchnallyam, a Colomano rege quondam ademtam, legitimis heredibus reſtituit, (*e*) antiſtitibus iisdem, quos ſupra recenſuimus; *Dionyſio palatino comite de Oklic; Henrico bano totius Sclauoniae; Nicolao vaiuoda Tranſſiluano; — Nicolao iudice*

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 188. (*b*) Ap. Kerchel. H. E. Zagr. p. 67. (*c*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 637—650. (*d*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 189. (*e*) Ap. Wagner Dipl. Saaros. p. 283.

dice curiae. — Verum in litteris, in fauorem eccleſiae Zagrabien. confectis, (*a*) *Benedictus eccleſiae Strigonienſis electus iam ſcribitur.* Quare quum anno ſuperiore 30. Martii *Nicolaum*; iſto 31. Maii *Benedictum*, electum Strigonienſem archiepiſcopum legamus; male Péterſius ait, (*b*) *mortuo anno* 1272. *Philippo, AE. Strigonienſi, in annum ſextum metropolitanam ſedem pontifice deſtitutam fuiſſe.* Eumdem Benedictum Strigonienſem electum exhibet etiam illud Ladislai diploma, quo parochis Scepuſienſibus liberam teſtandi poteſtatem facit. (*c*)

A. C. 1275. *Lad.* 3. *Ind.* 3. *P.* 14. *A.*

CDXXX. In eo diplomate, quo Ladislaus Spalatenſibus aduerſus Tragurienſes fauit, (*d*) occurrit iterum *Benedictus, Strigonienſis electus*, et praeter antiſtites alias laudatos, *Andreas Agrien. et Gregorius Tsanadien.* praeterea *Nicolaus palatinus; Nicolaus iudex curiae; Matthaeus vaiuoda Tranſſiluaniae; Ioannes, banus Sclauoniae; Nicolaus, banus maritimus.* — Hoc diploma datum eſt anno regni IV. proinde poſt menſem Auguſtum; nec in eo, quod eccleſiae Budenſi *VII., id. Mart.* hoc anno 1275. *regni tertio*, dedit, illae mutationes occurrunt, vbi *Lambertus Agrien. Brictius Tsanad. Dionyſius palatinus, Henricus banus* adhuc leguntur. (*e*) Anno quidem regni tertio, ſed ſerius eccleſiae Strigonienſi datum eſt diploma, quod *Andreae* iam *Agrienſis electi; Rolandi palatini, Thomae, iudicis curiae*, meminit. (*f*) In eo diplomate, quod ſub exitum anni

(*a*) Ap. Kerchel. H. E. Zagr. p. 91. (*b*) Concil. P. I. p. 90. (*c*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 650—662. (*d*) Ap. Farlat. T. p. 288. (*e*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 192. (*f*) Ibid. p. 195.

anni huius, *II. non. Dec. an. regni IV.* datum eſt, legitur *Petrus Veſprimien. Petrus palatinus; Thomas banus totius Sclauon. Vgrinus vaiuoda Tranſſiluan.* Tam crebrae hoc anno magiſtratuum mutationes occurrunt! (*a*)

A. C. 1276. *Lad.* 4. *Ind.* 4. *P.* 5. *A.*

CDXXXI. Ladislaus, ope B. Margaritae, quinis abhinc annis defunctae, ſanitati reſtitutus, vt ea ſollemni ritu caelitibus adſcriberetur, exemplo patris ſui, qui publicum ſorori ſuae cultum procurare ſatagebat, apud Innocentium V. hoc anno menſe Ianuario Gregorio X. ſuffectum, vrgebat. Erat hic annus fatalis pontificibus, e quibus Gregorius X. 10. Ian. Innocentius V. 22. Iun. Hadrianus V. 17. Aug. deceſſit. Huic ſuffectus Ioannes XXI. coronatus eſt 20. Septembris, ad quem commiſſarii proceſſum canonizationis, ab Innocentio V. ſibi demandatum, transmiſerunt. (*b*) Adhaeſit tamen hoc apotheoſeos negotium, fruſtra deinceps tam a Mathia Coruino, quam a Ferdinando III. reſumtum. At Excellentiſſimus Tranſſiluanienſis epiſcopus, Ignatius e comitibus de Batthyan, a ſacra congregatione rituum et officium, et miſſam de B. Margarita dicendam per ſuam dioeceſim, obtinuit 28. Iulii 1789. (*c*)

CDXXXII. Interea graues inimicitiae Rudolphum inter imperatorem, et Ottocarum, Bohemiae regem, exarſerant, quod hic, interregni tempore, quasdam imperii prouincias occupauerit; neque, moni-

---

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 667—687. (*b*) Act. SS. Ian. T. II. p. 899. (*c*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 688—695.

monitus, eas reddere voluerit. Rudolphus, Ottocarum ad officium reuocaturus, nec ignarus, multas ab eo Hungaris iniurias illatas eſſe; Ladiſlaum in armorum aduerſus illum ſocietatem ſuis litteris excitauit. (*a*) Suppetias ab Hungaris Rudolpho promiſſas fuiſſe, Gerardus de Roo teſtatur. (*b*) Auſtralis hiſtoriae pars easdem adductas ita perhibet: (*c*) *Ladislaus Vngarorum vsque ad metas Auſtriae in ſubſidium regis Romanorum cum ingenti exercitu Comanorum et Vngarorum venit. — Rex autem Vng. Ladislaus regi Boemiae eſt reconciliatus; et rex Rom. praedicto regi Vng. omnes ciuitates, quas ei rex Boemiae violenter abſtulerat, reſtituit.* (*d*)

A. C. 1277. *Lad.* 5. *Ind.* 5. *P.* 28. *M.*

CDXXXIII. Ottocarum conuiciis vxoris ad pacem abrumpendam impulſum fuiſſe, plures auctores teſtantur. Id Auſtralis hiſtoria poſtquam ad hunc annum retuliſſet; *eodem anno*, ſubiicit, (*e*) *circa feſtum OO. SS. rex Romanorum, et rex Vngarorum in confinio circa Haimburgum colloquium habuerunt: vbi rex Rom. eumdem regem Vng. in filium adoptauit; et omnes regi Romanorum ſeruire* (ſeu ſuccurrere) *promiſerunt. Eodem tempore rex Rom. regem Vng. apud Prucam ad prandium inuitauit.* (*f*)

A. C. 1278. *Lad.* 6. *Ind.* 6. *P.* 17. *A.*

CDXXXIV. Quum grauiſſimum rurſus bellum inter Rudolphum et Ottocarum erupiſſet; Ladislaus ſecun-

(*a*) Ap. Hergott T. II. P II. p. 481. (*b*) Hiſt. Auſtr. L. I. p. 25. (*c*) Ap. Freher. T. I. p. 471. (*d*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 707—716. (*e*) Ap. Freh. T. I. p. 471. (*f*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 716—720.

ſecundum pacta, iam prius inita, ſuum itidem exercitum in auxilium regis Rom. adduxit, vt chroniſta Mellicenſis ad hunc annum ſcribit. *Rudolphus*, inquit, (*a*) *rex Romanorum, auxilio regis Vngariae et regis Cumanorum, cum rege Boemorum campeſtre bellum circa Stilvrit iniit; et neſcio, quo caſu, rex Boemorum victus eſt et occiſus.* Eumdem belli campum et euentum ita Simon de Keza deſcribit: (*b*) *Hoc autem Ladislao rege viſo et percepto*, Rudolphus *Otacaro, ad praelium properanti ac parato, circa caſtrum Stilfrid prope fluuium Morawe appropinquat, Boemicum exercitum conuallando circumquaque. Quorum quidem equos et ſemetipſos ſagittis Hungari et Comani regis ſic infeſtant vulnerando, quod Milot, militiae ſuae princeps, — ſuſtinere non valens Hungarorum impetum ac ſagittas, cum ſuis fugam dedit. — — In iſto ergo praelio rex Otacarus, — in exercitu captus, occiditur. — — Facta ergo hac victoria, rex Germanicus Ladislao regi egit gratias, quod per eum Auſtria et Stiria ſibi fuit reſtituta. — — Haec eſt enim Ladislai regis victoria primitia, quam diuina clementia ei tribuit, in aetate adoleſcentiae conſtituto.* Quemadmodum antea Fridericus, Auſtriae dux; ita nunc Ottocarus, Bohemiae rex, plurimis Hungariae damnis illatis, in ipſo praelio caeſus, interiit. Bohemici quidem ſcriptores auxiliorum, aduerſus Ottocarum a Ladislao vel miſſorum, vel adductorum non meminerunt; chroniſtae tamen Salisburgenſis et Leobienſis auxilia non tantum miſſa, ſed etiam adducta fuiſſe teſtantur. Ipſe Rudolphus, praelio Ladislaum interfuiſſe, datis ad Nico-

(*a*) Ap. H. Pez T. I. p. 243. (*b*) Edit. Horany, p. 105.

Nicolaum III. litteris, ita perhibet: (*a*) „ In craſti-
„ no B. Bartholomaei feſto, nos et filius noſter,
„ Ladislaus, rex Hung. eo loco locauimus caſtra
„ noſtra, vbi ab exercitu regis Boemiae vix ad mil-
„ liare Teutonicum diſtabamus. " (*b*)

CDXXXV. Andream, Ladislai fratrem, cui Rudolphus Clementiam filiam deſponderat, ante hoc bellum fuiſſe defunctum, ex his Rudolphi verbis intelligimus: (*c*) „ Dilectus nobis quondam N. „ illuſtris filiae noſtrae ſponſus, vt dicitur, curſu, „ proh dolor! nimis praepeti vitam tranſiuit. — " Poſt eius obitum alter Andreas, Andreae II. regis ex filio Stephano nepos, *auxilio et conſilio auunculorum ſuorum*, vt Turotzius ſcribit, (*d*) *viuente adhuc rege Ladislao, in Hungariam ſubintrauit;* et hoc anno *VI. kal. Iun.* populos eccleſiae Veſprimienſis, a iurisdictione comitum Simeghienſis, Veſprimienſis et Szaladienſis exemit; (*e*) quam exemtionem, regiam ſubinde dignitatem adeptus, confirmauit. Atque hinc fortaſſis orta fuit illa ſeditio, cuius Ladislaus in diplomatibus huius anni meminit, cuiusque componendae gratia Nicolaus III. Philippum, epiſcopum Firmanum, apoſt. ſedis legatum in Hungariam miſit. (*f*)

A. C. 1279. *Lad.* 7. *Ind.* 7. *P.* 2. *A.*

CDXXXVI. Quum Nicolaus pontifex Philippo Firmano legationis in Hungaria munus anno ſuperiore

(*a*) Ap. Hergott Vol. III. T. II. P. II. p. 484. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 732—756. (*c*) Ibid. p. 741. 760. (*d*) Chron. P. II. cap. 82. (*e*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 230. (*f*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 758—773.

riore demandauit; (*a*) ne verbo quidem deprauatorum Ladislai morum, quorum aliqui iam nunc illum accuſant, meminit. Ait quidem *libellum repudii datum;* ſed non vxori, verum *domo pacis:* neque legato committit, vt *inter regem et reginae perſonas*, vt Peterſius habet, (*b*) ſed *inter regem et regni perſonas*, vt Raynaldus edidit et ſenſus exigit, *agere ſtudeat.* Nempe motibus inteſtinis regnum lacerabatur, paceque repudiata, *grauiter ſolium regale deprimebatur*, vt Nicolaus loquitur; in ipſo regno bona fidelium vaſtabantur; eccleſiarum et piorum iura diripiebantur; libertas eccleſiaſtica conculcabatur. Philippus legationis officium a Dalmatia coepit, vbi Paulli, Sibenicenſis epiſcopi, conſecrationem irritam declarauit. (*c*) Primum exercitae legationis in Hungaria teſtimonium occurrit in iis tabulis, quas in fauorem eccleſiae Scepuſienſis confecit, (*d*) *Budae, kal. Martii MCCLXXIX.* Subinde Ladislaum eo ſuis adhortationibus adduxit, vt iuraret, (*e*) ſe *fidem catholicam et eccleſiaſticam libertatem ſeruaturum*, — coacturumque Cumanos, vt *idolorum cultura et omnibus et ſingulis paganorum ritibus dimiſſis, — ſeruent catholicae fidei vnitatem: — recedant a tabernaculis ſuis et domibus filtrinis; et habitent — in villis, Chriſtiano more, in aedificiis et domibus ſolo fixis: — abdicent omnia monaſteria, eccleſias et poſſeſſiones — Chriſtianorum, quae et quas hactenus iniuſte — occuparunt. — IX. kal. Iul. anno regni VII.* Non fucate Ladislaum iſta promiſiſſe, mox indicta regni comitia teſtantur, in quibus eadem Cumani, quae legatus poſcebat, ſe facturos

 pro-

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1278. N. 23. (*b*) Concil. P. I. p. 90. (*c*) Ap. Farlat. T. IV. p. 355. 455. (*d*) Ap. Wagner. Scep. P. III. p. 11. (*e*) Ap. Rayn. ad an. 1279. N. 31.

promiſerunt, (*a*) *praeter abraſionem barbarum et abbreuiationem capillorum et habitum veſtium.* Ex vtroque monumento patet, ad ea potiſſimum vulnera curanda, quae Cumani Chriſtianis intulerant, Philippum in Hungariam ab apoſt. ſede miſſum fuiſſe. Quem in finem, ſynodo Budae celebrata, 52. conſtitutiones edidit, (*b*) *anno dom. MCCLXXIX. Ind. VII. die XIV. intrante Septembris; in quo videlicet die terminatum fuit concilium;* non igitur fuit *armorum terrore diſturbatum*, vt Raynaldus ait. Producit hic ad hunc annum prolixam Nicolai pontificis ad Ladislaum epiſtolam, qua dura mollibus, amara dulcibus permiſcendo, fortiter ac ſuauiter agendo, muneris ſui partes ad amuſſim expleuit. (*c*)

A. C. 1280. *Lad.* 8. *Ind.* 8. *P.* 21. *A.*

CDXXXVII. Accuſatum iſtic et reprehenſum a Nicolao Ladislaum legimus, quod licentiam Cumanorum, ſecundum promiſſa, iureiurando firmata, non repreſſerit; quodque, quum a legato de promiſſis implendis admoneretur, ad Romanum pontificem appellauerit: reprehenſum vero, vel quod ad Cumanos deſciuerit, vel quod Cumanarum amoribus ſe mancipauerit, non legimus. Multi, Dlugoſſum male ſequuti, ſcribunt, Philippum legatum a Ladislao captum ac in Poloniam eiectum fuiſſe; quem tamen in Hungaria poſt ſynodum quoque perſtitiſſe, plures ad illum datae Nicolai III. litterae teſtantur. Quicquid Ladislaus in legatum deliquit; ſuis ipſe litteris in hunc modum exprimit: (*d*)

„ Quum

(*a*) Ap. Pray. Suppl. Annal. p. 117. (*b*) Ap. Rayn. Ed. Manſ. T. III. p. 623. (*c*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 773—828. (*d*) Ap. Rayn. ad an. 1280. N. 8.

„ Quum tempore ſacri concilii, per ven. P. D. Phi-
„ lippum — in caſtro Budenſi — celebrati, nos
„ feruore iuuentutis contra noſtram ſalutem accenſi,
„ et quorumdam prauorum conſiliis deprauati at-
„ que ſeducti, in noſtram hoc inferri iniuriam aeſti-
„ mantes, — iudici et ciuibus dicti caſtri Buden-
„ ſis ſub grauibus poenis dedimus in mandatis, vt
„ praelatos regni noſtri de caſtro ipſo excluderent,
„ — quodque eis et familiae eorumdem victualia
„ et venalia prohiberent.“ — Hunc tamen exceſſum expiaturus, 100. marcas in eleemoſynam perpetuam addixit, *anno dom. MCCLXXX. XV. kal. Sept. an. regni VIII.* Optime propenſum ad religionem Ladislai regis animum partim haec palinodia, partim illud diploma docet, quo leges, aduerſus haereticos ab apoſt. ſede latas, ſuum in ditionibus Hungaricis robur habituras ſpondet. (*a*) Plurimas certe donationes in pias cauſſas tam ille hoc anno fecit, quam eius mater Eliſabetha, quae ſe *maiorem reginam Hung. duciſſam de Machow et de Bosna* vocat, at praeter ducatus iſtos, Belgrado circumfuſos, etiam Scepuſium poſſedit. (*b*)

A. C. 1281. *Lad.* 9. *Ind.* 9. *P.* 13. *A.*

CDXXXVIII. Altera quoque regina, iunior Eliſabetha, monaſterio B. Margaritae de Meſzes tributi Zilaienſis prouentus addixit, (*c*) vſa cancellario, *Thoma Vacienſi.* Ladislaus autem, quum Andream, Agrienſem epiſcopum, ab aemulis accuſatum, fortunis exuiſſet; de rei veritate melius edoctus, ab-

(*a*) Ibid. N. 9. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 829—850. (*c*) Ap. Fridvalſzki Miner. Trans.

latos eidem fundos reſtituit, (*a*) *ven. P. Lodomerio, Strigon. archiep. Timotheo Zagr. Dionyſio Iaur. Petro Tranſ. Petro Veſprim. Gregorio Chanad. Thoma Vacien. epiſcopis; — Pintha palatino.* — (*b*)

A. C. 1282. *Lad.* 10. *Ind.* 10. *P.* 29. *M.*

CDXXXIX. Si ſcriptores aliquos, Dlugoſſi commenta ſequutos, audimus; Ladislaus iam anno ſuperiore captus et Viſegradi cuſtodiae datus; nec, niſi bello Cumanorum ingruente, liberatus erat. Et tamen diploma laudatum Agriae, non Viſegradi dedit. Rurſus aliud ad Hernadum in fauorem eccleſiae Tranſſiluanienſis dedit, (*c*) *in feſto B. Benedicti conſ. anno dom. MCCLXXXII.* Liber igitur, non captiuus Viſegradi, fuit. Quum has litteras ad Hernadum confecit; videtur exercitum contra Cumanos coegiſſe, cum quibus pugnam feliciter commiſſam ita Turotzius deſcribit: (*d*) *Quum anno dom. MCCLXXXII. Oldamur, dux Cumaniae, congregato exercitu Cumanorum, circa locum, Hood vocatum* (Hódos-tó) *valuiſſet hoſtiliter regnum inuadere Hungarorum, vt ſuo dominio ſubiugaret; contra eum rex Ladislaus, vt fortis Ioſue, pro gente ſua et regno pugnaturus, acceſſit. — Poſtea, quum praelium committeretur inter partes fortiſſimum; ſubito et inopinate, ex diuina clementia, pluuia grandis exoritur contra faciem paganorum. — Et ſic rex Ladislaus victoriam obtinuit.* Cauſſam bello huic dediſſe videntur ea, quae Ladislaus ad licentiam Cumanorum coercendam Philippo Firmano promiſit. Martinus IV.

(*a*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. I. p. 205. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 855—862. (*c*) Ex autographo. (*d*) Chron. P. II. cap. 78.

IV. anno ſuperiore 23. Martii pontifex conſecratus, de hac victoria certior redditus; propoſita Ladislao periculi, quod inſtabat, magnitudine, beneficii diuini memoriam eidem inculcauit, ac ad vitiorum fugam ſtudiumque virtutum excitauit, (*a*) *II. kal. Oct. an. II.* (*b*)

A. C. 1283. *Lad.* 11. *Ind.* 11. *P.* 18. *A.*

CDXL. Qui Ladislaum vitiis immerſum eſſe iam hoc tempore crediderunt, quum eximia quaedam ſingularis eius in res ſacras munificentiae teſtimonia paſſim legerent; ſuam de peruerſo iam Ladislao ſententiam tuituri, lucida velut interualla miſero regi tribuunt. (*c*) Ego vero Ladislaum tamdiu bonum habebo; quamdiu malus certis teſtimoniis probari non potuerit. In ſuperioribus certe Martini litteris nihil occurrit, vnde Ladislaus iam nunc in mores improbos degeneraſſe videatur. Non illi legatus apoſtolicae ſedis ex Hungaria depulſus; non legitima coniux in carceres coniecta Cumanaeque mulieres adſcitae; non vllum ſpeciatim flagitium obiicitur; certe quidem obiiciendum, ſi iam nunc tam ſceleratus, ac paſſim depingitur, fuiſſet. Pietatem eius loquitur etiam diploma, quo Strigonienſem eccleſiam variis priuilegiis exornat, (*d*) *anno dom. MCCLXXXIII. III. kal. Sept. Ind. XI. an. regni XI.* Eius quoque mater Eliſabetha decimas Verötzenſes, quas contra fas vſurpabat, eccleſiae Zagrabienſi reſtituit (*e*) *in Oct. S. Martini* 1283. (*f*)

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1282. n. 36. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 863—877. (*c*) Péterf. Conc. P. I. p. 103. (*d*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 209. (*e*) Kerchel. H. E. Zagr. p. 92. (*f*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 877—887.

A. C. 1284. *Lad.* 12. *Ind.* 12. *P.* 9. *A.*

CDXLI. Hanc matris ſuae ceſſionem ac decimarum reſtitutionem ratam Ladislaus habuit, (*a*) *VII. idus Iun. anno dom.* 1284. *regni* 12. quo die iunior etiam Eliſabetha ſuae ſocrus litteras ſuo chirographo ſignauit, et ipſe Ladislaus eadem die plures litteras in fauorem eccleſiae Zagrabienſis confecit: cui quum mater Eliſabetha poſſeſſionem Vaſca, licet ſaepius admonita, non reſtituiſſet; his inter cetera verbis illi ſcripſit: (*b*) „— Admiratione vehementi, mater noſtra cariſſima, cor noſtrum „ concuti non immerito compellitur, quod in quibusdam noſtris agendis, et praeſertim in ſpiritualibus, veſtrae dilectionis conſilio et regimine „ etiam noſtros iuueniles actus eſſet expediens emendari, vnde hoc proueniat, vt in perſona veſtrae „ dilectionis, iam vergente deorſum virtute corporea, attentetur et inualeſcat poſſeſſionum eccle„ ſiaſticarum inuaſio. — Dat. in Patak, in feſto S. „ Dominici conf. anno dom. MCCLXXXIV." Ipſe rurſus in eccleſiam Agrienſem, vxor in Strigonienſem liberalis erat. (*c*)

A. C. 1285. *Lad.* 13. *Ind.* 13. *P.* 25. *M.*

CDXLII. Hac in eccleſias DEI munificentia promeriti fuiſſe videri poſſint, vt Tartari, qui cum Cumanis, alias anno 1282. profligatis, in Hungariam irruperant, cum clade reiecti fuerint. *Pauci de ipſis Cumanis*, inquit Turotzius, (*d*) *qui euaſerant, ad Tar-*

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. I. p. 213. (*b*) Ap. Péterfi Conc. P. I. p. 104. (*c*) Hiſt. Crit. T. V. p. 877—904. (*d*) Chron. P. II. cap. 79.

Tartaros fugerunt; quorum inſtinctu, Tartari anno dom. MCCLXXXV. ſecunda vice intrauerant Hungariam, et vsque Peſt vniuerſa miſerabiliter combuſſerunt. Cladem illis illatam annales Altahenſes ita referunt: (*a*) *Tartari in tanta multitudine intrauerunt Vngariam, quod dicebant, vna cum exercitu ſuo XI. milliaria occupare: qui tandem non humano auxilio, ſed diuino iudicio perierunt. Superuenit enim grando, nix et pluuia in tanta quantitate, quod ſe de loco mouere non poterant: et ſic a Chriſtianis, in circuitu poſitis, ſunt occiſi.* Virtutem Georgii, ſtirpis Soſianae progenitoris, in iis repellendis eminuiſſe, diplomata Ladislai teſtantur; cuius etiam opera Leſcum, Poloniae ducem, regno ſuo reſtituit. (*b*)

A. C. 1286. *Lad.* 14. *Ind.* 14. *P.* 14. *A.*

CDXLIII. Dum *Mokyanus* palatinus ſuperiores; rex Ladislaus inferiores Hungariae partes obibat: et ille quidem in *Potok* contra fures iudicium celebrabat; hic in *Kewe* liberam in terras Veſveres et Varhigy commigrandi facultatem concedebat. Diſſenſiones aliquas inter Ladislaum regem et Eliſabetham matrem excitatas hoc tempore fuiſſe, colligimus ex his Eliſabethae verbis: (*c*) „ — Irritamus priuilegia et inſtrumenta Iacob, filii Ponyth, qui contra noſtram maieſtatem talem commiſit infidelitatem, quod inter D. Ladislaum — et nos — diſcordiam ſeminauit et ſuſcitauit non modicam. — " (*d*)

A.

(*a*) Ap. Freher. T. I. p. 570. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 904—926. (*c*) Ap. Kerchel. H. E. Zagr. p. 335. (*d*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 926—930.

A. C. 1287. *Lad.* 15. *Ind.* 15. *P.* 6. *A.*

CDXLIV. Hoc tandem anno Ladislaus, Cumanarum mulierum lenociniis captus ac irretitus, Eliſabetham, vxorem legitimam, repudiauit, et carceri mancipauit. Hoc factum aliqui nimium occupant, et Ladislaum fere decennio prius ad illicitos Cumanarum amores deſciuiſſe; ſed iterum ad meliorem frugem reuocatum iterumque relapſum fuiſſe, contendunt. Non erant ſane pontifices in tot litteris, ad Ladislaum antea datis, diſſimulaturi; ſiquid ab eo prius in hoc genere peccatum fuiſſet. Vt primum enim Honorius IV. de hac regis immutatione certior redditus eſt; litteris ſuis illum ob dimiſſam vxorem illico redarguit, (*a*) *IV. id. Mart. pont. an. II.* Honorio ſub initium Aprilis mortuo, quum vltra 10. menſes pontificia ſedes vacaſſet, cardinales eiusdem argumenti litteras ad Lodomerium archiep. dederunt, qui cum aliis epiſcopis easdem communicauit. (*b*)

A. C. 1288. *Lad.* 16. *Ind.* 1. *P.* 28. *M.*

CDXLV. Non inutilem operam in reducendo Ladislao nauaſſe pontificem et cardinales; apparet ex eius litteris, eccleſiae Strigonienſi datis, *XII. kal. Aprilis, anno dom.* 1288., quibus palam fatetur, *nuper apud Strigonium ſe reſipuiſſe praeteritis ſuis de transgreſſionibus.* Vel haec Nicolaus IV. hoc anno 22. Febr. pontifex electus, adhuc ignorauit, vel tanta paganorum, in Hungaria degentium, potentia fuit, vt eos Ladislaus ſuis viribus edomare non

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1287. N. 1. (*b*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 931—941.

non potuerit; quum Lodomerium archiepiſcopum ad ſacram militiam, contra *Tartaros*, *Saracenos*, *Neugerios et paganos* indicendam, adhortatus eſt, (*a*) *VI. id. Aug. an. I.* Neugerorum nomine videntur venire *noui Hungari*, ſeu Hungaris ex diuerſis populis inſerti. (*b*)

A. C. 1289. *Lad.* 17. *Ind.* 2. *P.* 10. *A.*

CDXLVI. Inter eos, qui publicam pacem ſaepius interceperant, erat Iuanus, ſeu Ioannes, Henrici, qui Ginſium ſibi vindicauerat, filius, cuius cauſſa hoc anno bellum inter Auſtriacos et Hungaros exortum eſt. Et primum quidem Albertus, Auſtriae dux, Iuani latrocinia caſtigaturus, in Hungariam irrupit, multisque locis, (*c*) *expugnatis ac deuictis, quia inſtabat meſſis, — reuerſus eſt ad propria.* Poſtquam autem auxiliares a patre Rudolpho copias accepit; ipſum Ginſium, praecipuum Iuani nidum, expugnauit. Ladislaus rex nihil aduerſus Auſtriacos obmouiſſe legitur, fortaſſe non inuitus, quod Iuanus, ipſi quoque refractarius, in ordinem hac ditionum ſuarum iactura redigeretur. Publicis interea regni comitiis celebratis, decumas tributi Scepuſienſis, quas, prauis aliorum conſiliis perſuaſus, aliquamdiu dari vetuerat, archiepiſcopatui Strigonienſi reſtituit, (*d*) *in vigilia B. Ioannis B. anno dom. MCCLXXXIX.* Non igitur adeo profligatae conſcientiae fuit, vt quidam ſibi perſuaſerunt. (*e*)

A.

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1288. N. 25. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 964—974. (c) Auſtralis hiſt. pars plenior p. 479. (*d*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 25. (*e*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 986—996.

CDXLVII. Nicolaus IV. grauiſſimis verbis redarguit Ladislaum, (*a*) quod paganos *contra fideles in numero graui in regnum ipſum inducere non expauerit*, — *XIII. kal. Iunii pont. an. III.* Quod Ladislaus feciſſe videtur, vt eorum opera licentiam ſuorum, qui debitam regi reuerentiam ac obedientiam exuerunt, coerceret. Vnde palatinum quoque Saracenum, ſacro tamen fonte iam ablutum, conſtituit. Quae res quum Hungariae proceres acrius vſſiſſet; Ladislaum apud pontificem accuſauerint, quaſi cum paganis *in diſpendium fidei et exterminium regni horrendo foedere fuerit coniunctus*. Quam quidem criminationem tot donationes, eccleſiis ad obitum vsque factae, ſatis ſuperque refellunt. Triſtem miſerandi regis necem Turotzius ita refert: (*b*) *Rex anno dom. MCCXC. feria II. proxima ante feſtum S. Margaritae V. M. prope caſtrum Keresſzeg ab ipſis Cumanis, quibus adhaeſerat, eſt miſerabiliter interfectus.* Haſelbachius primum Chanadini, deinde Varadini ſepultum fuiſſe tradit. (*c*) Natus anno 1262. regnum auſpicatus Auguſto menſe 1272. nondum aetatis 28. regni 18. annum egreſſus eſt, quum infelix rex crudeli fato ſublatus eſt anno 1290. die 10. Iulii. Perturbatum, eo regnante, Hungariae ſtatum Turotzius ita depingit: *Coeperunt in ea inteſtina bella conſurgere, ciuitates confringi, villae per combuſtiones ad nihilum redigi.* — Nempe tenera pueri regis aetate praepotentes quidam proceres abuſi, neque tunc ad officium reduci poterant, quum iam is adoleuiſſet. Non defuerunt tamen multi, de

patria

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1290. N. 38. (*b*) Chron. P. II. cap. 81. (*c*) Ap. H. Pez. T. II. col. 763.

patria bene meriti, qui torrente malorum abripi ſe non patiebantur, ſuisque conſiliis ac obſequiis fidelibus regem ac regnum ab interitu vindicare conabantur. Ex his eminebat archiepiſcopus *Strigonien.* Philippus 1272. Nicolaus el. 1273. Benedictus electus 1274. Lodomerius 1279. *Colocen.* Stephanus 1272. Ioannes el. 1278. Epiſc. *Agrien.* Lambertus 1273. Andreas 1275. *Iaurin.* Dionyſius 1273. *Nitrien.* Paſchaſius 1288. *Quinqueeccleſ.* Iob 1273. *Tranſſiluan.* Petrus 1273. *Tsanad.* Brictius 1273. Gregorius 1275. *Vacien.* Philippus 1273. Thomas 1281. *Varad.* Lodomerius 1273. Thomas 1278. *Veſprim.* Paullus 1273. Petrus 1275. *Zagrab.* Timotheus 1273. Antonius 1287. *Palatini:* Rolandus 1272. Dionyſius 1274. Nicolaus 1275. Petrus 1278. Pintha 1281. Mokyanus 1286. Myze 1290. *Bani Sclauoniae:* Ioachimus 1272. Matthaeus 1272. Henricus 1273. Ioannes 1275. Thomas 1275. Ioachimus 1276. Nicolaus 1281. *Vaiuodae Tranſſiluaniae:* Nicolaus 1272. Matthaeus 1274. Thomas 1275. Matthaeus 1276. Rorandus 1288. *Iudices curiae:* Alexander 1272. Ladislaus 1273. Henricus ſimul banus 1273. Nicolaus 1274. Thomas 1275. Mauritius 1276. Stephanus 1278. Noui banorum tituli ſub eo comparent *de Boſzna et Sohul*, *de Machow*, *de Ruſznya*, *de Bronch et Krucho*, *de So et Vazara.*

§. XXX.

§. XXX.

ANDREAS III. REX XXIII.

Coepit A. C. 1290. *deſiit A. C.* 1301.

A. C. 1290. *Andr.* 1. *Ind.* 3. *P.* 2. *A.*

CDXLVIII.

Etſi certum ſit, Ladislaum IV. ſine herede vitam poſuiſſe; male tamen aliqui cenſuerunt, eius obitu hereditariam in Hungaria ſucceſſionem exſtinctam eſſe. Nec enim adhuc omnis virilis Arpadiana ſtirps defecit, Andrea ſuperſtite, qui licet non patrem, auum tamen Hungariae regem, Andream II. habuit. Hic, exſtinctis duabus primis vxoribus, Beatricem, Aldrouandini, marchionis Eſtenſis, filiam, tertio connubio ſibi iunxit anno 1234. ex qua Stephanus, poſt humatum patrem natus, ſubinde hunc Andream III. ex Catharina Thomaſina, nobiliſſimo Maurocenorum apud Venetos genere prognata, ſuſtulit. Errat quidem Turotzius in quibusdam tertiarum Andreae II. nuptiarum adiunctis; genealogiam tamen Andreae III. bene proponit; quum auum eidem Andream II. patrem Stephanum Poſtumum tribuit. Errat rurſum, quum de Beatrice, Stephani huius matre, ſic loquitur: (a) *Reuerſa in terram ſuam, Eſth vocatam, — apud patrem ſuum, puerum maſculum peperit;* non enim ad patrem Aldobrandinum, ante vicenos annos mortuum, ſed ad patruum, Azonem dictum, reuerſa fuit; et, teſtibus aliis, in Alemannia filium peperit, eoque nato, paternam domum

(a) Chron. P. II. cap. 92.

mum repetiit. Ex hoc Stephano Venetiis natus Andreas Fennenam, Zemomisli ſeu Zemouiti, Cuiauiae ſeu Wladislauiae ducis, filiam, in Hungaria poſt obitum patris exſulem, matrimonio ſibi iunxit, et quidem ante, vel mox poſt aditum regnum; quum in diplomate, quo ſiluae regalis donationem, Andreae, filio comitis Polyan, a Ladislao IV. factam, confirmat, ſuae conſortis reginae bis meminerit, (*a*) *anno dom. MCCXC. IV. kal. Aug. — regni — anno primo; ven. P. Lodomerio Strigon. Ioanne Coloc. archiepiſcopis; Andrea Agrien. Gregorio Chanad. Paullo Quinqueeccl. Haab Vacien. Benedicto Veſprim.* aulae D. reginae, conſortis noſtrae cariſſimae, cancellario; *Benedicto Varad. Poka Sirm. Andrea Iaur. et Petro Tranſſiluan. epiſcopis; — Matthaeo palatino; — Brictio bano totius Sclau. Rolando vaiuoda Tranſſilu. — Dominico M. tauernicorum noſtrorum; Moys* M. tauernicorum D. reginae; *Andrea iudice curiae noſtrae.* — Liquet igitur ex hoc diplomate; regem Andream menſe Iulio, quo Ladislaus obiit, et coronatum, et iam maritum fuiſſe, vereque Turotzium ita ſcripſiſſe: (*b*) *Poſt regis mortem, eodem anno, decimo octauo die, Andreas dux de Venetiis coronatur, qui, viuente adhuc Ladislao rege, adductus in Hungariam fuerat.* Vnde male quidam recentiores aſſerunt, Andream in Auſtria metu Ladislai latitaſſe; miſſisque poſt huius necem Viennam nunciis, eum monachi habitu clam inde diſceſſiſſe. Nec enim tantae res intra dies 18. peragi potuiſſent; niſi iam prius Andreas in Hungaria praeſens et Ladislai ſucceſſor deſtinatus fuiſſet; quum vnicus ex Arpadiana virili ſtirpe ſuperſtes fuerit. (*c*)

A.

(*a*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 112. (*b*) Chron. P. II. cap. 82. (*c*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 1014—1030.

A. C. 1291. *Andr.* 2. *Ind.* 4. *P.* 22. *A.*

CDXLIX. Andreae regnum illico turbari coepit ab impoſtore quodam Andrea, qui ſe Ladislai IV. fratrem (iam anno 1278. mortuum) fingebat. At miſſo poſt illum Georgio, filio Simonis, illius interitus, quem male Ladislao regi Dlugoſſus adſcribit, Andream regem metu liberauit; nec eſt dubium altam in Hungaria pacem obtenturam porro fuiſſe; niſi hanc exteri principes intercepiſſent. Nam et Rudolphus Alberto filio Hungariam fiduciario iure tradere voluit, et Carolus Siculus filio Carolo Martello, Ladislai ſorore nato, vindicandam illam cenſuit. Pars Auſtralis hiſtoriae plenior affirmat, (*a*) iam anno *MCCXC. circa natiuitatem domini ducem Auſtriae, iterum collecto exercitu, intraſſe Hungariam.* Andreas, hac iniuria prouocatus, eodem chroniſta teſte, *MCCXCI. — collecto exercitu maximo et forti pugnatorum — 80. millium, — Auſtriam — potenter intrauit: — a flumine dicto Leicha, qui diuidit vtramque prouinciam, vsque ad ciuitatem Viennam — praedis, incendiis et rapinis terram deuaſtauit: — et talis peſtilentia ſex ſeptimanis in terra iſta durauit. — Tandem, mediantibus epiſcopis et archiepiſcopis ac comitibus Vng. qui deſtructioni terrae compatiebantur, — pace inter regem Vng. et ducem Auſtr. reformata, ſub hac forma:* „quod ciuitates et caſtra, quae ad regnum „pertinent Vngariae, regi reſtituerentur; quae ve„ro ad comitem pertinerent, comitis Iuani con„ſtringerentur:“ *ratum et firmum ab omnibus acclamatur.* Haec hoc anno, non vt Belius vult, (*b*) ſequen-

(*a*) Ap. Freh. T. I. p. 479. (*b*) Not. H. N. T. II. p. 362.

ſequente, geſta fuiſſe, patet ex his ipſius Andreae verbis: (*a*) „ — Quum nos, DEO propitio, iure „ et ordine geniturae, ad ſolium et gubernaculum „ regni Hung. fuiſſemus ſublimati; et quidam, qui „ ſe ducem Andream nominabat, adiunctis ſibi „ peruerſitatis ſuae ſociis, in totius regni noſtri „ praeiudicium et grauamen, contra noſtram re„ giam procedere niteretur maieſtatem; — M. Geor„ gium, filium Simonis, deputatis ſibi in ſocios „ quibusdam cognatis et amicis eiusdem, ad inſe„ quendum dictum ducem duximus deſtinandum, „ qui ſe eidem pro fidelitate, nobis et coronae re„ giae ac toti regno noſtro debita, viriliter oppo„ nere non expauit. — Quum exercitum generalem „ contra ducem Auſtriae, qui confinia regni noſtri „ deuaſtauerat, et quaedam caſtra occupauerat, — „ mouiſſemus; — maxime etiam, quum ad giran„ dum ciuitatem Viennenſem — miſiſſemus; ipſe „ M. Georgius ſuae fidelitatis experientiam inibi „ luculentius exhibuit. — — Dat. — anno dom. „ MCCXCI. V. kal. Sept. regni autem noſtri anno „ II.“ Andream adhuc ad Viennam *in vigilia B. Laurentii M.* conſtitiſſe, patet ex eo diplomate, quod C. Kemenio *prope Viennam* eadem die dedit. (*b*) Paterna Nicolai IV. ſollicitudo multum ad reddendam Hungariae tranquillitatem contulit, qui ſub initium anni huius Ioannem, Aeſinum antiſtitem, in Hungariam miſit, vtque de regni ſtatu certior ab illo redderetur, praecepit. (*c*) Speciatim autem edoceri

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 304. (*b*) Ap. Timon. Epit. Chron. p. 84. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1291. N. 45. 46. 47. 48. 49.

ceri voluit, an, quum aliquamdiu Ladislaus a recto tramite deuiaſſet, poſtea reſipuerit. Quia vero certis nunciis accepit, Rudolphum imp. aliquod ſibi ius in Hungariam arrogare; Ioannem legatum admonuit, vt illum ab hoc conſilio reuocaret. Tum ipſe ſuis litteris tam Rudolpho, quam Alberto tam iniquum facinus diſſuaſit; ac eadem de cauſſa ſollicite metropolitis quoque Hungariae ſcripſit, nihilque diligentiae praetermiſit, vt Hungaria ſuam libertatem retineret. Andreas interea legitimum ſe regem geſſit, varia diplomata non tantum Hungaris, ſed et Tranſſiluanis ac Dalmatis dando. Quod Albenſi capitulo 22. Februarii, Siculis item Aranyoſienſibus 12. Martii dedit, praeter magiſtratus anni ſuperioris, ſubſcriptos habet *Ioannem Zagrab. Ladislaum Vacien. Thomam Boſnen. Nicolaum palatinum, Henricum banum, Thomam iudicem curiae.* (a)

A. C. 1292. *Andr.* 3. *Ind.* 5. *P.* 6. *A.*

CDL. Pacatum iam Hungariae regnum videbatur; quum nouus ex Italia turbo pacem publicam conuellere coepit. Poſtquam enim Maria, Stephani V. filia, Carolo Claudo nupta, Ladislaum IV. fratrem a Cumanis occiſum fuiſſe comperit; Hungariam ad ſe pertinere rata, ius omne, quod in hoc regnum arrogabat, in Carolum Martellum, ſuum primogenitum, publicis tabulis transtulit, (b) *anno inc. MCCXCII. die VI. Ian.* Martellus, quaſi hac translatione iuris, quod nec ipſa mater vel conſue-

tudine,

(a) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1040—1084. (b) Ap. Rouſſet Suppl. T. I. P. I. p. 155.

tudine, vel electione habuit, iuſtiſſimo titulo Hungariam obtinuiſſet; coronam e manu legati pontificii ſuſcepit, ſeque regem Hung. his litteris inſcripſit: (*a*) „ Carolus, primogenitus illuſtris Ieruſa-„ lem et Siciliae regis, D. gr. Vng. Dalmatiae — „ rex. — Mercatores de Spaleto, de pertinentiis „ regni Vngariae, vbique bene tractentur. — Dat. „ Nuceriae, MCCXCII. die XXVII. Iun." Hoc ille fauore Spalatenſes in ſuas partes pellicere fruſtra conatus, nec apud reliquos Dalmatas quicquam profecit. Eumdem Zagrabiam vsque penetraſſe, praelioque victum ab Andrea fuiſſe, nullo certo teſte doceri poteſt. Incertum etiam eſt, an Nicolaus IV. in Caroli coronationem conſenſerit. Vix enim Andreas eius in Hungaria legatum toleraſſet; ſi ſibi contrarium illum expertus fuiſſet. Interea Lodomerius archiepiſcopus, multis fauoribus ab Andrea cumulatus, celebrata Strigonii ſynodo, litem capituli Budenſis aduerſus ciues recognouit. (*b*)

A. C. 1293. *Andr.* 4. *Ind.* 6. *P.* 29. *M.*

CDLI. Nicolaum IV. anno ſuperiore defunctum, alienum ab Andrea non fuiſſe, nec aduerſus illius dignitatem quicquam egiſſe, vel inde patet, quod in diplomate, quo donationem ſiluae cuiusdam eccleſiae Scepuſien. Andreas confirmat, (*c*) *Iacobum Scepuſienſem epiſcopum* vocet. Quum enim ille prius tantum praepoſitus fuerit, vt epiſcopus euaderet;

 An-

(*a*) Ap. Luc. L. IV. C. X. p. 302. (*b*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1084—1101. (*c*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 305.

Andreas a Nicolao pontifice petere debuit, ac obtinere. Quare quum id eius precibus pontifex dederit; illum regem legitimum agnouerit, nec in Caroli coronationem conſenſerit. Nam etſi S. Antoninus ſcribat: *Per legatum papae fecit eum coronari*, Martellum nempe Carolus Claudus; an tamen id, conſcio Nicolao, legatus fecerit, oſtendi non poteſt. Nullum ego ſane documentum adhuc reperi, quo Nicolaus Andream adminiſtratoris dumtaxat, non regis titulo condecorauerit. (*a*)

A. C. 1294. *Andr.* 5. *Ind.* 7. *P.* 14. *A.*

CDLII. Andreas, ab Hungaris rex ſemper agnitus, regia iura conſtanter exercebat, et iam ſuperiores, iam inferiores Hungariae partes magna cum diligentia perluſtrabat. Ad illum Lodomerius, ſynodo rurſus Strigonii celebrata, quum cauſſam ſuam et capituli contra laniones Strigonienſes detuliſſet; (*b*) ille contra ciues ſecundum archiepiſcopum et capitulum ſententiam tulit, aſſiſtentibus, „Andrea „Agrienſis, Benedicto Veſprim. Paullo Quinqueeccleſ. Benedicto Iaur. eccleſiarum epiſcopis; Do„minico, M. tauernicorum D. reginae, conſortis „noſtrae; Ladislao, — M. tauernicorum, domi„nae Th. (*Thomaſinae*) D. gr. reginae ſenioris, „matris noſtrae; — ſpecialiter aſſiſtente nobis ea„dem D. Th. regina ſeniori, cariſſima matre no„ſtra. — Anno dom. MCCXCIV. IV. kal. Aug. „regni IV.“ Ita matrem ſuam Andreas honorauit. (*c*)

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1101—1109. (*b*) Ap. Peterſ. Conc. P. I. p. 130. (*c*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1109—1126.

A, C. 1295. *Andr.* 6. *Ind.* 8. *P.* 3. *A.*

CDLIII. Carolus Martellus, neque conſueta Hungariae corona redimitus, nec vmquam Hungariae regno potitus, nec a ſcriptoribus patriis inter Hung. reges vmquam recenſitus, hoc anno viuendi, regnumque, nullo iure ſibi debitum, ambiendi finem fecit; poſtquam e Clementia, Rudolphi filia, Carolum Robertum, poſt multas difficultates ad ſolium Hungariae tandem eluctaturum, anno 1288. ſuſcepiſſet. (*a*)

A. C. 1296. *Andr.* 7. *Ind.* 9. *P.* 25. *M.*

CDLIV. Eodem anno, quo ſuum aemulum, ſuam quoque coniugem Fenennam Andreas amiſit. Quum autem ex ea nullum filium, ſed filiam dumtaxat Eliſabetham, futuram Venceslai Bohemi, deinde vero Chriſti ſponſam, ſuſtulerit; in tanta regnantis Arpadianae ſtirpis orbitate non diu viduus manſit. Quam et quando ſibi coniugem acceperit, Auſtr. chron. ita memoriae prodidit: (*b*) *MCCXCVI. Andreas, rex Vngariae, magna cum ſollemnitate duxit filiam Alberti, ducis Auſtriae,* dictam Agnetem. Poſt has nuptias collocanda videtur Iuani ſeditio, cuius Andreas in litteris, M. Nicolao datis, ita meminit: (*c*) „Quum contra Ioannem, filium Henri„ci bani, infidelem regni noſtri, cum valido ex„ercitu acceſſiſſemus; — Dat. per manus V. P.D. „Theodori, D. gr. ep. Iaur. — anno dom. MCC„XCVI.

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1131. (*b*) Ap. H. Pez. T. I. col. 723. (*c*) Ex MSS. Wagner.

„ XCVI. regni VI VII. kal. Nou.“ Nam Auſtralis hiſtoriae pars plenior ait, et nuptias *anté carnis priuium*, ſeu quadrageſimam, celebratas, et Albertum *in adiutorium genero ſuo*, *regi Vng. venire voluiſſe.* (*a*)

A. C. 1297. *Andr.* 8. *Ind.* 10. *P.* 14. *A.*

CDLV. Andreas aſſignatam Agneti, coniugi ſuae, dotem his hoc anno litteris firmauit: (*b*) — —„Comitatum Poſonienſem cum caſtro Poſonienſi „ et aliis caſtris, eidem comitatui coniunctis, et „ annexis villis, tributo, ſeu aliis pertinentiis ac „ vtilitatibus vniuerſis, dedimus — ſer. D. Agne- „ ti, D gr. reginae Vng. filiae ipſius D. Alberti „ ducis, conſorti noſtrae cariſſimae. — Anno dom. „ MCCXCVII. IV. non. Nou. regni noſtri anno „ VIII.“ Quem annum illuſtriorem beata morte ſua reddidit S. Ludouicus, Toloſanus epiſcopus, Mariae Hungarae filius, Caroli Roberti, regis Hung. patruus, quem ſubinde Ioannes XXII. eius magiſter ac ſocius, in ſanctorum numerum retulit anno 1316. (*c*)

A. C. 1298. *Andr.* 9. *Ind.* 11. *P.* 6. *A.*

CDLVI. Andreas ſocerum cum ingenti comitatu Viennae hoc anno viſitauit, vbi, confluentibus multis ex omni parte principibus, vt Auſtralis hiſtoria plenior teſtatur, (*d*) *copulauit rex Vngariae filiam*

(*a*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 1146—1152. (*b*) Diplom. Stir. P. I. p. 255. (*c*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 1163 — 1178. (*d*) Ap. Freh. T. I. p. 484.

filiam ſuam (Eliſabetham) *filio regis Boemiae, cum ingenti tripudio et ſollemnitate, vt decuit tantos principes; et tota terra gauiſa eſt de pace et concordia tantorum principum.* Non multo poſt Albertus, Adolpho reiecto, rex Romanorum electus, auxiliis Hungaricis adiutus, aemulo profligato, Romanum imperium ſibi vindicauit. (*a*)

A. C. 1299. *Andr.* 10. *Ind.* 12. *P.* 19. *A.*

CDLVII. Quum Andreae pacata iam omnia viderentur, Alberto his nuptiis arctiſſime ſibi coniuncto, Carolo quoque Martello iam e viuis ſublato; repente ſeditioſi quidam Hungari huius filium, Carolum Robertum, aduerſus Andream euocandum cenſuerunt, vtque Bonifacium VIII. facilius in ſuam ſententiam pertraherent, *totius Hungariae hunc ſenſum eſſe*, commenti ſunt. (*b*) Ex iis Turotzius praecipuos Henrici filios, *Ioannem* et *Henricum* nominat, quibus *Vgrinum* Vilakium addit. *Hi*, ſubiicit, (*c*) *in praeiudicium regis Andreae a papa Bonifacio VIII. regem petierunt; quorum inſtantiam papa admittens, quemdam puerum XI. annorum, nomine Carolum, anno dom. MCCXCIX. viuente adhuc Andrea rege, in Hungariam deſtinauit.* Tamdiu Bonifacius quieuit, neque ſe rebus Hungaricis miſcuit; donec a ſeditioſis Hungariae proceribus interpellatus, ac vt Carolum Hungaris regem daret, importune ſollicitatus non fuiſſet. Vt aliquem hi ſuae defectioni fucum inducerent; Hungariam in mi-

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1184—1188. (*b*) Ap. Kerchel. H. E. Zagr. p. 97. (*c*) Chron. P. II. cap. 82.

ſerrimum ſtatum Andreae vitio delapſam eſſe comminiſcebantur; quem pontifex, vt ex iis intellexit, ad Gregorium, Strigonienſem electum, inter lacrimas perſcripſit. (*a*) Sed enim ipſe hic Gregorius electus factioſis aduerſus Andream adhaeſit, neque publicis regni comitiis, ad ſopiendas has turbas in campo Rákos coactis, intereſſe voluit, vt prolixum documentum, ab Emerico Varadinenſi confectum, oſtendit. (*b*)

A. C. 1300. *Andr.* 11. *Ind.* 13. *P.* 10. *A.*

CDLVIII. Anno ſuperiore Carolus, teſte Turotzio, tantum deſtinatus in Hungariam fuit; hoc tandem anno, teſte Micha Madio, (*c*) *menſe Auguſto, — per mare cum galeis Spalatum applicuit; vbi per menſem vel fere duos ſtetit; egrediensque de ciuitate Spalatenſi, in comitatu Paulli bani, verſus Vngariam ad vſurpandum regnum praedictum de manu regis Andreae, venit Sagrabiam.* Hic potius, quam Strigonii, Carolum a Gregorio Strigonienſi coronatum eſſe, veriſimilius eſt propterea, quod Carolus, aduerſantibus ſibi plurimis Hungariae proceribus, Strigonium vsque penetrare vix potuiſſet. Quum igitur a Clemente V. dicitur *in Strigon. eccleſia — regale ſuſcepiſſe diadema*, non aliud innuitur, quam quod ab eccleſiae Strigonienſis adminiſtratore diadema ſuſceperit. Id quidem Lucius ait, (*d*) *iuſſu ſummi pontificis* factum eſſe; ſed locus, ad

---

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1299. N. 12. (*b*) Hiſt. Crit. T. VI. p. 1208 — 1228. (*c*) Ap. Schwandtn. T. III, p. 638. (*d*) Ibid. p. 303.

ad quem prouocat, *auctoritate* pontificis non Carolum coronatum, ſed Gregorium *adminiſtratorem Strigon. eccleſiae* conſtitutum indicat. (*a*)

A. C. 1301. *Andr.* 11. *Ind.* 14. *P.* 2. *A.*

CDLIX. Poſtquam Andreas, Carolum Robertum a factioſis primum quidem Spalatum, inde Zagrabiam quoque iam adductum eſſe, comperiſſet; tantum inde moerorem hauſit, vt, morbo correptus, ſub initium anni huius diem ſupremum obierit. *Interim*, inquit Turotzius, (*b*) *anno dom. MCCCI. in feſto Felicis idem rex Andreas in caſtro Budenſi requieuit in domino; et ſepultus eſt in eccleſia S. Ioannis Euang. apud fratres minores.* Feſtum S. Felicis conf. *in Pineis*, quod Bud. chron. addit, in veteribus calendariis occupat *XIX. kal. Febr.* Andreas igitur, anno 1301. die 14. Ian. mortuus, vndecimum annum regni 5. menſibus et 17. diebus inchoauit; quum, multis fortunae caſibus iactatus, et, vt aliqui ſuſpicantur, veneno ſublatus, virilem ſtirpem Arpadianam, vltra 4. ſecula dominatam, in tumulum ſecum traxit, variisque morte ſua turbis ac aemulorum ſtudiis regnum obiecit. Socios et adiutores curarum publicarum e ſacro profanoque magiſtratu complures, quorum aliqui ſubinde fidem demutarunt, habuit. E ſacris viris erant archiepiſcopi *Strigonien.* Lodomerius anno 1290. Gregorius electus 1298. *Colocen.* Ioannes 1290. Epiſcopi *Agrien.* Andreas 1290. *Boſnen.* Thomas 1291.

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1230—1246. (*b*) Chron. P. II. cap. 83.

1291. *Iaurin.* Andreas 1290. Benedictus 1294. Theodorus 1296. *Nitrien.* Paſchaſius 1291. *Quinqueeccleſ.* Paullus 1290. *Sirmien.* Pouka 1290. *Transſiluan.* Petrus 1290. *Tsanad.* Gregorius 1290. Antonius 1298. *Vacien.* Haab 1290. *Varad.* Benedictus 1290. Emericus 1296. *Veſprim.* Benedictus 1290. *Zagrab.* Ioannes 1291. Michael 1295. *Scepuſ.* Iacobus 1291. E profanis, *Palatini:* Matthaeus 1290. Nicolaus 1291. Omodeus 1295. *Bani Sclauoniae:* Brictius 1290. Henricus 1291. Ladislaus 1300. *Vaiuoda Tranſſiluaniae:* Rolandus 1290. *Iudices curiae:* Andreas 1290. Thomas 1291. (*a*)

CDLX. Qui linguae Latinae ſex aetates diſtinguunt; et *auream* ad Augusti finem, *argenteam* ad Neronis mortem, *aeneam* ad Hadrianum, *ferream* ad Arcadium porrigunt; iidem *ligneam* ſeculo V. *luteam* decem poſtea ſeculis tribuunt, et ad ſeculum vsque XVI. extendunt. Quum igitur lutea hac aetate nec alibi ſcientiae florerent; mirum non eſt, paucos primis Chriſtianae Hungariae ſeculis XI. XII. XIII. litteratos et ſcriptores inueniri. Primus ex his occurrit S. Stephanus legislator; deinde S. Gerardus, octo librorum in *canticum trium puerorum*, quos Excell. Tranſſiluan. Epiſcopus anno 1790. primus in lucem emiſit, auctor; Maurus, vitae SS. Andreae et Benedicti deſcriptor; tum Carthuitius, S. Stephani biographus; ſanctorum item Emerici, Gerardi, Ladislai biographi; S. Ladislaus, Colomanus, legislatores; Albricus, decretorum Colomani collector; anonymus Belae notarius, qui Paul-

(*a*) Hiſt. Cr. T. VI. p. 1246—1252.

Paullus, Tranſſiluanienſis epiſcopus, a Bela III. laudatus in diplomate 1181. fuiſſe videtur. Eodem fere tempore floruit Calanus, Quinqueeccleſienſis epiſcopus, qui *vitam Attilae*, *regis Hunnorum*, quam Belius in apparatu ſuo vulgauit, concinnaſſe creditur. Ad monumenta ſeculi XIII. referuntur *Ritus explorandae veritatis per iudicium ferri candentis*, quos idem Belius luce publica donauit. Theodoricus etiam, ordinis praedicatorum, Apoldiae licet in Thuringia natus, commemorari hic meretur, quod *de vita et rebus geſtis S. Eliſabethae*, *Andreae II. regis Hung. filiae*, — *libros VIII.* ſcripſerit, vulgatos a Praio Tirnauiae 1770. cui mox adiungitur anonymus, B. Margaritae biographus, qui patria lingua huius virginis, Belae IV filiae, virtutes et acta deſcripſit. Praecipue vero hoc loco commemorandus eſt Rogerius Italus, Varadinenſis canonicus, deinde Spalatenſis archiepiſcopus creatus anno 1249. mortuus 1266. cuius *carmine miſerabili ſuper deſtructione regni Hungariae* ſaepius vſi ſumus. Eamdem laudem et memoriam meretur etiam Thomas, archidiaconus Spalatenſis, natus anno 1200. defunctus 1268. cuius *hiſtoria Salonitana*, 51. capitibus comprehenſa, magnam non tantum Dalmaticis, ſed etiam Hungaricis rebus lucem affundit. Ex codice miſſali MS. membranaceo, qui *ſeruatur in bibliotheca inſign. colleg. eccleſ. Poſonienſis*, excerpſit ac edidit RR. Koller, canonicus Quinqueeccleſienſis, vetus aliquod *chronicon rerum Hungaricarum*, cuius partem primam anno 1210. ſcriptam eſſe, reliquam ſerius adiectam ad annum 1300. recte probat. Eiusdem ſeculi XIII. chronicon eſt, quod Cl. Alexius Horányi, de CC. RR. S. P. edidit primum Viennae, deinde Budae 1782. cum hac inſcriptione: *Inuictiſ-*

ſimo

ſimo et potentiſſimo domino Ladislao III. glorioſiſſimo regi Hungariae, M. Simon de Keza, fidelis clericus eius, ad illum aſpirare, cuius pulchritudinem miratur ſol et luna. Titulus hic totum, quod de Keza ſcire poſſumus, exhauſit. Ladislaus ille, quem is tertium appellat, nobis quartus eſt, vulgo Cunus vel Cumanus dictus, Belae IV. nepos, Stephani V. filius, morte ſublatus anno 1290. Nobis enim tertius Ladislaus eſt Emerici filius, cuius Keza rationem habendam eſſe non cenſuerit, quod infans patri ſucceſſerit, paucisque poſt menſibus exſtinctus, nullam adminiſtrandi regni partem attigerit.



INDEX CHRONOLOGICUS P. I.

ALMUS, Dux I. Coepit A. C. 884. deſiit A. C. 889.
A. C. 884. p. 6. A. C. 889. p. 12.
ARPADUS. Dux II. coepit A. C. 889. deſiit A. C. 907.
A. C. 889. p. 14. A. 892. p. 15. A. 893. p. 16. A. 894. p. 18. A. 895. p. 19. A. 896. ib. A. 897. p. 21. A. 898. 899. p. 22. A. 900. p. 23. A. 901. p. 24. A. 907. p. 25.
ZOLTANUS, Dux III. coepit A. C. 907. deſiit A. C. 947.
A. C. 907. p. 25. A. 909. p. 26. A. 910. p. 27. A. 911. p. 28. A. 919. 926. p. 29. A. 931. 934. p. 30. A. 936. 937. p. 32. A. 938. 941. p. 33. A. 946. p. 34.
TOXUS, Dux IV. coepit A. C. 947. deſiit A. C. 972.
A. C. 947. p. 34. A. 948. p. 35. A. 949. p. 36. A. 955. p. 37. A. 972. p. 39.
GEISA, Dux V. coepit A. C. 972. deſiit A. C. 997.
A. C. 972. p. 39. A. 973. p. 40. A. 974. p. 41. A. 975. p. 42. A. 977. p. 43. A. 978. p. 44. A. 979. p. 45. A. 994. p. 46. A. 995. 997. p. 48.
S. STEPHANUS Dux VI. coepit A. C. 997. deſiit A. C. 1000.
A. C. 997. p. 49. A. 998. p. 50. A. 999. p. 53. A. 1000. p. 54.

REGES HUNGARIAE.

I. S. STEPHANUS, coepit A. C. 1000. deſiit A. C. 1038.
A. C. 1000. p. 58. A. 1001. p. 60. A. 1002. p. 61. A. 1003. p. 62. A. 1005. p. 63. A. 1007. p. 64. A. 1008. p. 65. A. 1009. p. 66. A. 1010. p. 67. A. 1015. p. 68. A. 1016. p. 69. A. 1017. p. 72. A. 1018. 1019. 1020. p. 73. A. 1021. p. 74. A. 1022. p. 75. A. 1023. p. 76. A. 1024. 1028. p. 78. A. 1030. p. 80. A. 1031. p. 82. A. 1032. p. 84. A. 1033. p. 88. A. 1035. p. 89. A. 1037. 1038. p. 91.
II. PETRUS, coepit A. C. 1038. deſiit 1046.
A. C. 1038. p. 96. A. 1039. p. 99. A. 1040. p. 100. A. 1041. p. 102.

III.

III. SAMUEL ABA, coepit A. C. 1041. deſiit A. C. 1044.
A. C. 1041. p. 103. A. 1042. p. 108. A. 1043. p. 111.
A. 1044. p. 113.
PETRUS reſtitutus, A. C. 1044. p. 115. A. 1045. p. 117.
A. 1046. p. 118.
IV. ANDREAS I. coepit A. C. 1046. deſiit A. C. 1061.
A. C. 1046. p. 123. A. 1047. p. 128. A. 1048. p. 132.
A. 1049. p. 134. A. 1050. ib. A. 1051. p. 135. A.
1052. p. 137. A. 1055. p. 140. A. 1056. 1057. p.
141. A. 1058. p. 142. A. 1059. 1060. p. 143. A. 1061.
p. 144.
V. BELA I. coepit A. C. 1061. deſiit A. C. 1063.
A. C. 1061. p. 145. A. 1062. p. 148. A. 1063. p. 149.
VI. SALOMON, coepit A. C. 1063. deſiit A. C. 1074.
A. C. 1063. p. 150. A. 1064. 1070. p. 153. A. 1072.
p. 155. A. 1073. p. 158. A. 1074. p. 159.
VII. GEISA I. coepit A. C. 1074. deſiit A. C. 1077.
A. C. 1074. p. 166. A. 1075. p. 171. A. 1076. p. 172.
A. 1077. p. 173.
VIII. S. LADISLAUS, coepit A. C. 1077. deſiit A. C.
1095.
A. C. 1077. p. 176. A. 1079. p. 177. A. 1081. p. 178.
A. 1082. 1083. p. 180. A. 1085. p. 184. A. 1086. p.
185. A. 1087. 1088. p. 186. A. 1089. p. 187. A. 1090.
p. 189. A. 1091. 1092. p. 192. A. 1093. p. 195. A.
1094. p. 196. A. 1095. p. 197.
IX. COLOMANUS, coepit A.C. 1095. deſiit A. C. 1114.
A. C. 1095. p. 208. A. 1097. p. 215. A. 1098. p. 216.
A. 1100. p. 218. A. 1101. p. 222. A. 1102. p. 224.
A. 1103. p. 227. A. 1104 p. 229. A. 1105. p. 230. A.
1106. p. 233. A. 1107. p. 236. A. 1108. p. 238. A.
1109. p. 241. A. 1110. ib. A. 1111. p. 242. A. 1112.
p. 243. 1113. p. 245. A. 1114. p. 247.
X. STEPHANUS II. coepit A. C. 1114. deſiit 1131.
A. C. 1114. p. 250. A. 1115. p. 252. A. 1116. p. 253.
A. 1117. p. 255. A. 1121. p. 256. A. 1124. p. 258. A.
1127. p. 259. A. 1128. p. 261. A. 1129. p. 263. A. 1131.
p. 267.
XI. BELA II. coepit A. C. 1131. deſiit A. C. 1141.
A. C. 1131. p. 269. A. 1132. p. 270. A. 1133. p. 272.
A. 1134. p. 274. A. 1135. p. 275. A. 1136. p. 276. A.
1137. 1138. p. 278. A. 1139. p. 279. A. 1140. 1141.
p. 280.
XII. GEISA II. coepit A. C. 1141. deſiit A. C. 1161.
A. C. 1141. p. 282. A. 1142. p. 283. A. 1143. p. 284.
A. 1144. p. 285. A. 1145. p. 286. A. 1146. p. 287. A.

1147.

1147. p. 288. A. 1148. p. 289. A. 1149. p. 290. A. 1150. p. 291. A. 1151. p. 292. A. 1152. p. 293. A. 1153. p. 294. A. 1154. p. 296. A. 1155. p. 297. A. 1156. p. 298. A. 1157. p. 299. A. 1158. p. 300. A. 1159. p. 302. A. 1160. p. 303. A. 1161. p. 304.
XIII. STEPHANUS III. coepit A. C. 1161. deſiit A. C. 1173.
A. C. 1161. p. 306.
XIV. LADISLAUS II. coepit A. C. 1161. A. C. 1162.
A. C. 1161. p. 309. A. 1162. p. 310.
XV. STEPHANUS IV. coepit et deſiit A. C. 1162.
A. C. 1162. p. 312.
XIII. STEPHANUS III. reſtitutus A. C. 1162. deſiit A. C. 1173
A. C. 1162. p. 315. A. 1163. p. 318. A. 1164. p. 325. A. 1165. p. 326. A. 1166. p. 330. A. 1167. p. 331. A. 1169. p. 333. A. 1170. p. 335. A. 1172. 1173. p. 336.
XVI. BELA III. coepit A. C. 1173. deſiit A. C. 1196.
A. C. 1173. p. 339. A. 1174. p. 342. A. 1175. p. 344. A. 1176. 1177. p. 345. A. 1179. 1180. p. 346. A. 1181. p. 347. A. 1182. p. 348. A. 1183. p. 349. A. 1185. p. 350. A. 1186. p. 351. A. 1188. p. 352. A. 1189. p. 354. A. 1190. p. 356. A. 1192. p. 358. A. 1193. p. 360. A. 1194. 1195. p. 361. A. 1196. p. 362.
XVII. EMERICUS, coepit A. C. 1196. deſiit A. C. 1204.
A. C. 1196. p. 364. A. 1197. p. 365. A. 1198. p. 367. A. 1199. p. 374. A. 1200. p. 377. A. 1201. 1202. p. 379. A. 1203. p. 382. A. 1204. p. 385.
XVIII. LADISLAUS III. coepit A. C. 1204. deſiit A. C. 1205.
A. C. 1204. p. 392. A. 1205. p. 398.
XIX. ANDREAS II. coepit A. C. 1205. deſiit A. C. 1235.
A. C. 1205. p. 395. A. 1206. p. 400. A. 1207. p. 405. A. 1208. 1209. p. 406. A. 1210. 1211. p. 408. A. 1212. p. 409. A. 1213. p. 411. A. 1215. p. 418. A. 1216. p. 419. A. 1217. p. 420. A. 1218. p. 424. A. 1219. p. 427. A. 1220. p. 429. A. 1221. p. 430. A. 1222. p. 431. A. 1223. p. 435. A. 1224. p. 437. A. 1225. p. 440. A. 1226. p. 441. A. 1227. p. 442. A. 1228. p. 443. A. 1229. p. 444. A. 1230. p. 445. A. 1231. p. 446. A. 1232. p. 449. A. 1233. p. 451. A. 1234. p. 453. A. 1235. p. 455.
XX. BELA IV. coepit A. C. 1235. deſiit A. C. 1270.
A. C. 1235. p. 458. A. 1236. p. 461. A. 1237. p. 464. A. 1238. p. 466. A. 1239. p. 468. A. 1240. p. 470. A. 1241. p. 471. A. 1242. p. 485. A. 1243. p. 490. A. 1244. p. 492. A. 1245. p. 493. A. 1246. p. 494. A. 1247. p. 495.

495. A. 1248. 1249. *p.* 496. A. 1250. *p.* 497. A. 1251. Ibid. A. 1252. *p.* 498. A. 1253. *p.* 499. A. 1254. 1255. *p.* 500. A. 1256. *p.* 501. A. 1257. 1258. *p.* 502. A. 1259. *p.* 503. A. 1260. *p.* 504. A. 1261. 1262. *p.* 505. 1263. *p.* 507. A. 1264. 1265. *p.* 508. A. 1266. *p.* 509. A. 1267. 1268. *p.* 510. A. 1269. *p.* 511. A. 1270. *p.* 512.

XXI. STEPHANUS V. coepit A. C. 1270. deſiit A. C. 1272.
A. C 1270. *p.* 514. A. 1271. *p.* 516. A. 1272. *p.* 518.

XXII. LADISLAUS IV. coepit A. C. 1272. deſiit A. C. 1290.
A. C. 1272. *p.* 520. A. 1273. *p.* 523. A. 1274. *p.* 525. A. 1275. *p.* 526. A. 1276. *p.* 527. A 1277. 1278. *p.* 528. A. 1279; *p.* 530. A. 1280. *p.* 532. A. 1281. *p.* 533. A. 1282. *p.* 534. A. 1283. *p.* 535. A. 1284. 1285. *p.* 536. A. 1286. *p.* 537. A. 1287. 1288. *p.* 538. A. 1289. *p.* 539. A. 1290. *p.* 540.

XXIII. ANDREAS III. coepit A. C. 1290. deſiit A. C. 1301.
A. C. 1290. *p.* 542. A. 1291. *p.* 544. A. 1292. *p.* 546. A. 1293. *p.* 547. A. 1294. *p.* 548. A. 1295. 1296. *p.* 549. A. 1297. 1298. *p.* 550. A. 1299. *p.* 551. A. 1300. *p.* 552. A. 1301. *p.* 553.

Sphalmata ſic emenda:

Pag.	15.	lin.	22.	*Atelcuſa*	—	*Atelcuſu*
—	33.	—	2.	*Vormatio.*	—	*Vormatiae*
—	37.	—	6.	901.	—	961.
—	38.	—	32.	*poſt* ſuſpenſum	*adde*	anonymus
—	232.	—	21.	Kolderianum	—	Kollerianum
—	344.	—	5.	quidem	—	quidam
—	364.	—	14.	1205.	—	1204.
—	380.	—	26.	Bela	—	Belae
—	408.	—	2.	Ieriadoni	—	Ierindoni
—	416.	—	26.	tamen	—	tam
—	431.	—	4.	1122.	—	1222.
—	447.	—	16.	Brennicis	—	Brennius
—	464.	—	5.	eidem	—	eisdem
—	496.	—	17.	cum	—	eum
—	525.	—	22.	Szolka	—	Szalka